SYSTEMA DISCIPLINÆ POLITICÆ,

PUBLICIS PRÆLECTIONIBUS
Anno MDCVI. *propoſitum*
IN GYMNASIO DANTISCANO,
à

BARTHOLOMÆO KECKERMANNO
Dantiſcano, philoſophiæ Profeſſore.

Cum Rerum & Verborum INDICE *copioſo.*

SEORSIM ACCESSIT
SYNOPSIS
DISCIPLINÆ
OECONOMICÆ, *Diſpoſitionem eius breuiter adumbrans; eodem Auctore.*

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCVIII.

Cum gratia & priuilegio S. Cæſ. Maieſt. ad decennium.

LECTORI BENEVOLO
Salutem.

N*VLLVM eſt dubium, Lector beneuole,* Politicam *hãc Clariſſ. viri Dn.* Bartholomæi Keckermãni *multis ſuſpicionibus & ſiniſtris rumoribus obnoxiam futuram, & aliquos de conſilio autoris non ſatis inſtitutos, hoc* Politicæ *ſcribẽdæ ſtudium ita accepturos, tanquam ex* πολυπραγμοσύνῃ *& curioſitate quadã* Politica *profectũ. A quo vitio vt autorem alieniſſimum omnes intelligant, quâ occaſione ad* Politicam *hanc conſcribendã autor acceſſerit, quid in ea tradendâ inprimis propoſitum habuerit, breuiter audiãt. Neque enim ipſe ſibi ex temeritate quadam partes has arrogauit, ſed ex officio ad eas pertractus fuit, exigẽte ita Cyclopædia diſciplinarum Philoſo-*

phicarum, quæ non tantum illas contemplatrices diſciplinas complectitur & ambitu ſuo continet, ſed Practicas etiam, & inter has inprimis Politicam *includit, cui propterea etiam in triennali Philoſophicarum prælectionum curriculo locus aliquis dandus fuit. Quæ cauſſa ſi abfuiſſet, equidem facilè, vt credo, Autor ſe continuiſſet, & non vltro talia appetiiſſet, quæ infinitos ei labores, ſollicitas curas, anxias meditationes paritura erant, & valetudini quoq; ipſi non exiguum detrimentum allatura; id quod hoc ipſum* Syſtema Politicum *nimis abundè præſtitit. Nimirum lata valdè ſunt diſciplinæ Politicæ pomœria, poſſeſſiones copioſæ & diffuſæ, ideoq; confuſioni, quæ in multitudine plerumq; regnat, inprimis obnoxiæ; quæ tanto maior redditur ex naturâ ipſarum ad Politicam pertinentium rerum, vtpote magis ſingularium, ad quas quô magis acceditur, eô magis à perfecta Methodo receditur. Hinc nempè etſi quod ad*

materiam

materiam attinet, Politica diſciplina excellentium virorum ingeniis & ſcriptis ad ſummam perfectionē deducta ſit, Methodum tamē auguſtiſſimæ diſciplinæ talem, quæ examen Logicum ſuſtineret, qui exhibuerit, nemo adhuc videtur fuiſſe. In quo quâ felicitate & ſucceſſu Autor laborarit, nolo ego magnificè prædicare, res & Syſtema hoc loquetur; quod cum propterea auidè à Studioſis Politicæ expeti viderem, quo honeſtis deſideriis gratificarer, in lucem vt emitteretur curaui. Optabam quidem, vt antequam id fieret, tum eius, tum etiam Oeconomicæ (quā ipſam quoque publicis lectionibus traditam hoc tēpore ad prælum paraui) recognoſcēdæ & expoliēdæ Autori facultas eſſet, qui multa abſque dubio tum limaturus & in melius mutaturus fuißet; verum quia nunc temporis adhuc id videbam ab eo impetrari non poſſe, potius ita vt ex ore eius excepta ſunt, publicanda, quā ſtudioſam iuuentutem eorum cupidiſſimam in lon-

giori exſpectatione detinẽdã duxi. Quod tamen nec ipſum Autorem ægrè laturum confido, quem ſæpè coràm hoc teſtantẽ me audire memini, nullo ſe propterea rubore affici, quod multa ipſum quotidiè in ſcriptis ſuis immutantem & in digerenda optimâ liberalium diſciplinarum Methodo indies proficientẽ, homines viderent & intelligerẽt. Vale Lector beneuole, & ſtudium noſtrum æqui boniq; conſule. Dabã Heidelbergæ, Anno 1607. Cal. Auguſti.

GEORGIVS PAVLI
Dantiſcanus.

INDEX CAPITVM SYSTEMATIS POLITICI.

LIBRI I.

CAP. PAG.

1, *De regimine primo, ſiue de Monarchia in genere* 29

2, *De fundamentis ſiue cauſis efficientibus remotis, principem & principatum conſtituentibus* 40

3, De

3, *De virtutib. morum, nempe de Ethicis, Oeconomicis & Politicis* 78

4, *De fundamentis ſiue cauſis regni propriis; & primò quidem de ſucceſſione, electione & inauguratione regis ſiue principis* 109

5, *In quo generales Canones & regulæ de cura ſiue regimine principis* 131

6, *De legibus Politicis* 136

7, *De adminiſtris principatus; nempe de cõſiliariis & rerum gerendarum præfectis* 145

8, *De cura & regimine principis circa ſubditorũ natiuitatem & educationem* 170

9, *De cura Principis circa educationem ſubditorum* 190

10, *De regimine virtutum Ethicarum* 201

11, *De regimine virtutum Oeconomicarum & Politicarum*

12, *De cura Principis pertinente ad vitam ſubditorum commodam, honorificam & iucundam* 225

13, *De cura Principis circa mortem & ſepulturam ſubditorum* 229

14, *De cura principis circa ſubditos in ſpecie; & primo quidem de ſubditis ſtatus altioris, ſiue eminentioris* 235

15, *De ſpeciali cura ſubditorum collectim conſideratorum* 255

16, *De cura diſtributionis, ſiue iudicii in genere* 276

17, *De iudicio forenſi* 285

18, *De iudicio cenſorio* 304

19, *De cura principis prima minus principali; & in ſpecie quidem de cura rerum animatarum, & rerum inanimatarum immobilium* 309

20, *De bonis, ſeu rebus mobilibus; & primò quidem de illis rebus, quæ inſtrumentaria vocantur* 325
21, *De reditibus Principis* 227
22, *De cura defenſionis, amplificationis & exornationis* 351
23, *De cura principis interna magis reſtricta & priuata; atque adeo de gubernatione aulæ principis,* 367
24, *De cura principis externa* 374
25, *De officio ſubditorum principis* 395
26, *De cauſſis primis mutationum in rep.* 406
27, *De vitiis reip. minus grauibus* 415
28, *De grauiori mutatione reipub. primo, ex parte Principis, deinde ex parte ſubditorum* 420
29, *De belli primariò dicti fundamentis & cauſſis* 440
30, *De cauſſis per quas bellum geritur* 451
31, *De belligeratione, ſiue ipſis actibus belli* 486
32, *De belli diuiſionibus & diſtinctionibus* 507
33. *De regimine monarchico relato ad finem eminentiorem; vbi ſimul de Monarchia maiori & minori* 513

LIBRI II.

CAP. I. *De ſtatu polyarchico in genere* 534
2, *De Ariſtocratia, ſiue de ſtatu optimatum* 540
3, *De Democratia ſiue ſtatu populari* 548
4, *De mixta rep. in genere; & in ſpecie, de temperamento Monarchiæ cum Ariſtocratia* 559
5, *De ſtatu reip. temperato ex Ariſtocratia & Democratia* 575, 576
6, *& vltimum, De ſtatu temperato ex trib. formis ſimplicibus; & ſimul de ſtatu mixto minus principali* 585

SYSTEMATIS POLITICI PRÆCOGNITA;

De fine & obiecto ſtatus Politici.

Abſoluimus hactenus per Dei gratiam præcepta Prudentiæ Ethicæ & Oeconomicæ, id eſt, eius quæ pertinet ad beatitudinem priuatam vel ſingulorum hominum ſeparatim ſpectatorum, vel ſocietatis domeſticæ, quæ Oeconomica *dicitur: reſtat inter partes philoſophiæ practicæ, vt loco poſtrema, ita dignitate prima,* Prudētia *nempe* POLITICA. *per quam publicus & maior hominum cœtus, ſiue ſocietas ad publicam beatitudinem dirigitur.*

Non eſt difficile agnoſcere qualis & quam arcta connexio ſit inter tres iſtas Philoſophiæ Practicæ partes, nempe inter Ethicam, Oeconomicam, & Politicam; nam vt felicitas ſiue beatitudo ciuilis eſt vel Priuata vel Publica, & Priuata iterum vel vnius hominis ſeparatim ſpectata, vel paucorum hominum in vna domo conſocia-

rorum; ita oportebat conſtitui tres partes Practicæ Philoſophiæ; quarum prima doceret, quibus mediis ſinguli homines per ſe ſeparatim ſpectati ad honeſtatem & alias partes ciuilis felicitatis dirigi poſſent. Altera oſtenderet, quibus mediis illi ad felicitatem tenderent, quos vnius domus ſocietas coniunxit. Tertia denique monſtaret ea media, per quæ publicam felicitatem aſſequerentur illi, qui ex priuatis ſocietatibus combinati maiores illos & publicos cœtus pagorum, ciuitatum, prouinciarum & regnorum conſtituunt. Quare quod & quantum intereſt inter priuata & publica, tantum quoq; intererit inter Politicam & duas iſtas alias Philoſophiæ practicæ partes, *Ethicam* dico & *Oeconomicam*. Vt ergò, quod Deus benè vertat, propius ad diſciplinam politicam veniamus, primò nomen eius nobis fuerit expendendum. Dicitur enim πολιτικὴ, ἀπὸ τῆς πολιτείας, q. d. *diſciplina politiæ*; πολιτεία autem dicitur ἀπὸ τῆς πόλεως à ciuitate, tanquam vno ex præcipuis obiectis, circa quod prudentia „Politica occupatur. Sunt enim vrbes & ciuitates pars politici ſtatus non quidem dignitate, ſed vtilitate maxima; quia nempe ibi & iuuentus melius educari poteſt quam ruri, & iudicia ſecurius exerceri, & abundantia rerum omnium melius acquiri, & deniq; inimici atq; hoſtes politici ſtatus facilius reprimi quam in locis patentibus ſiue campeſtribus. Τῆς πολιτείας autem varias eſſe ſignificationes in Græca lingua, diductè oſtendit Plutarchus in lib. quem ſcripſit de tribus rerumpubl. formis. Nobis hîc ſufficiat duas ſignifica-

ficationes enumeraſſe; quarum prior eſt abſtracta, altera concreta. Abſtracta ſignificatio vocis πολιτείας eſt, quando capitur pro ordine publici cœtus in genere humano; vt cum dico, qualis eſt politia Venetiis, nihil aliud quæro, quam qualis ſit ordo in adminiſtranda repub. Et ſic generaliter accepta politia, diuiditur in Ciuilem & Eccleſiaſticã. Ciuilis Politia eſt ordo, per quẽ adminiſtratur ſocietas humana & dirigitur ad honeſtatem. Eccleſiaſtica autem politia eſt, per quam dirigitur cœtus Eccleſiæ ad cultum Dei & ſalutem animarum. Quam diſtinctionem Politiæ in Ciuilem & Eccleſiaſticã, pulchrè explicat Lãbertus Danæus lib. 1. Polit. Chriſtianæ, cap. 2. Quando ergò ſumitur Politia pro ordine, ſiue ſtatu eiuſmodi, in quo cœtus hominum dirigitur ad ciuilẽ ſocietatem, tum iſta ſignificatio propriè huc pertinet; & vtitur eâ Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 1. vbi inquit: Πολιτεία τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἐστὶ τάξις τις: *Politia eſt ordo inhabitantium ciuitatem*. Ex quo loco id ſimul apparet, quod Politia interdum ſpecialiter ſumatur Ariſtoteli pro ordine & regimine ciuitatum; interdum vero pro ordine & regimine quouis, non tantum ciuitatum, ſed etiam pagorum, prouinciarum, regnorum & nationum integrarũ: quâ poſteriori ſignificatione nos id vocabulum hoc loco capimus. Latini promiſcuè appellant Rempub. item ſtatum publicum, Regimen, &c. In concreto v. Politia ſumitur pro cœtu hominũ publico certo loco habitantium, & certo ordine gubernatorũ, atq; ita non tantũ ipſum formale deſignat, ſed ẽt obiectũ

& materiale, in quo iſte ordo hæret, vt cum Politiam Venetam ſumo pro ipſa vrbe & repub. Venetiarum, in qua eſt talis vel talis ordo; item Politiam Polonicam aut Germanicam, pro ipſa natione, in qua eſt tale vel tale regimen. quâ poſteriori ſignificatione concretâ etiam ſæpe in hoc Syſtemate Politiæ vocabulum ſumetur.

Canones generales de Prudentia ſiue diſciplina Politica ſunt hi:

1 *Diſciplina Politica eſt princeps quædam & architectonica, vnde aliarum omnium diſciplinarum non quidem res ipſa & methodus, ſed inſtitutio tamen & docendi tradendiq; occaſio pendet, & in qua ſi erretur, error ſtatim latiſſimè diffunditur, ac cum maximo periculo coniunctus eſt.*

Plato πολιτικὴν appellat πασῶν ἐπιστατικὴν, *omnium diſciplinarum conſtitutiuam*: Et Ariſtoteles 1 Politic. cap. 2 appellat omnium diſciplinarum ἀρχιτεκτονικὴν, quaſi dicas, archifabrilem, & principiſſam ac reginam; idque ob has quatuor præcipuè cauſſas. Prima cauſa eſt; quia finem vltimum aliarum diſciplinarum omnium diſciplina Politica ad extremum gradum deducit, atque adeò ex priuata felicitate facit publicam. Sicut ergo tum demum perfecta eſt felicitas, quando fit bonum publicum, ita tum demum reliquæ diſciplinę ſuam perfectionem adipiſcuntur, quando ad ſalutem reip. atq; adeò finem Politicæ referuntur, ſecundum illud: *Salus reipub. prima lex eſto*, id eſt, primus ac ſummus ſcopus, ad quem omnes noſtras actiones oportet tendere. Altera cauſſa eſt, quia gubernatio Politica pſcribit aliis diſci-

1. Ethic. 1. & 2.

diſciplinis certas leges, quib. tradi, doceri & publicè proponi debeant; dat etiam iis occaſionem quâ tradi poſſint, atq; hoſpitium ac patrocinium præbet, vt nempe tutò & in pace excoli, & ad poſteritatem propagari poſſit, ſicut dicit Ariſtoteles citato cap. quod Politica aliis ſcientiis & artibus præſit, iiſq; præſcribat quomodo & quatenus in ciuitatibus tolerandæ, & excolendæ ſint.
Tertia cauſſa eſt, quia ab educatione iuuentutis III.
omnium diſciplinarum cultura pendet; educatio a. iuuentutis ab anno ſeptimo ætatis, vt in Oeconom. audiuimus, per magiſtratum gubernari debet. Deniq; quia Politica complectitur Impera- IV.
toriam & bellicam diſciplinam, quæ omnes alias diſciplinas earumq; Doctores in neceſſitate defendit, atq; idcirco eſt honoratiſſima, vt eã ibid. Ariſtoteles vocat. Quæ omnia cum ita ſint, vtiq; meritò Plutarchus dixit in Catone Maiore, τῆς πολιτικῆς ἄνθρωπος ἀρετῆς ὐ κτᾶται τελειοτέραν; *virtute, ſeu diſciplina politica homo perfectiorem non poſſidet.* Quò a. quælibet res eſt præſtantior & perfectior, eò peſtilentior eſt error, qui circa eam committitur; ita vt meritò Danæus in procemio Politicę ſuę dicat, *Nullibi grauius ab hominibus peccari, & periculoſius errari, quam in politicis;* quia errores qui cõmittuntur circa præcepta politica, redundant in integras nationes, prouincias & regna, idquod in aliis erroribus non ita accidit.

2 *Diſciplina politica ab vniuerſalibus valdè recedit ad ſingularia, & multo magis quam vlla alia diſciplina. Hinc nimirum eſt quod materia politicæ ſint plures & copioſiores, & quod methodus*

huius diſciplinæ ſit difficilior quam aliarum omnium.

Excitandi ſunt ſtudioſi Politicæ ad magnam attentionem, vtpote cũ verſentur nunc in tali diſciplina, quæ materiam habet inprimis copioſam & diffuſam, atq; adeò methodum etiam difficilem; de qua præſtantiſſimi quique ſcriptores conqueſti ſunt. Toloſanus.n. laborioſiſſimus Politicus ita exorditur libros ſuos de repub. *Diclurus*, inquit, *nobis de repub. tanta moles tractandorum occurrere videtur, vt ab ea non poſſe me expedire & ingenue & verè profiteri debeam.* Et Clariſſ. Lipſius lib. 5. Polit. cap. 1. *Sed iam tibi*, inquit, *ô æterna Sapientia, lætus lubens laudes ago, gratiasq; habeo, quod te duce euaſi ex illis ſalebris: diu me tenuit pacata illa & toga ſua verè inuoluta prudentia.* Danæus in procem. Polit. *Longa, & pene immenſa videtur hæc diſciplina, quemadmodum ab aliis tradita eſt.* Cæterum id pro primo & immoto principio ponamus, hanc diſciplinam nullâ aliâ methodo tradi poſſe, quam Analyticâ ſiue reſolutiuâ, & deinde methodi reſolutiuæ plura membra non eſſe, quam hæc; nempe finem, obiectum & media ad finem ducentia. Quocirca ad hæc tria tanquam ad Cynoſuram, totam noſtram methodum dirigamus; & quicquid ad vnum ex his tribus referri non poteſt, id tanquam alienum ab hac diſciplina reiiciamus. Hæc enim cauſſa mihi videtur eſſe potiſſima, cur hactenus parum methodicè tradita ſit Politica, quod partim ex Theologiâ, partim verò ex Ethicis & Oeconomicis multa aſſumſerint Politici ſcri-

ci ſcriptores, & tanquam Politica tradiderint, cum Politica non fuerint. Quæ autem aliena ſunt, ea in æternum non poſſunt ad methodum eius diſciplinæ, à qua aliena ſunt, reuocari; quia materia ſemper debet correſpondere formæ.

Obiectum ergò prudentiæ politicæ, eſt ſtatus publicus, ſiue Politia & reſpub. quæ eſt cœtus ſiue multitudo, ex pluribus familiis domeſticis certo ordine collecta, & directa ad felicitatem publicam.

Cum reſpub. ſit collectio quædam multarum ſocietatum domeſticarum ſiue familiarum, ideò tanquam de re collectiua, collectiuè etiam cogitandum fuerit. In collectiuo autem Themate duo eſſe ſpectanda Logicis præceptis monemur, nempe materiale & formale. Materiale politiæ ſiue reipub. ſunt familiæ, ſiue ſocietates domeſticæ aliquot vno loco collectæ. Itaque vna domus, ſiue vna familia domeſtica nunquam facit rempublic. ſed requiritur multitudo domorum. Cum vero reſpub. non ſit quiddam collectiuum fortuitum & temerarium, ſicut aceruus tritici aut aceruus lapidum aut ruderum, ſed ſit collectiuum ordinatum, idcirco iſti multitudini domorum formale additur; nempe quod ſit multitudo collecta certo ordine ad felicitatem; *ordine* dico, non tali, qualis eſt inter numerum & numerum, perinde ac ſi domus ordine collocatæ conſtituerent remp. ſed intelligitur ordo prudẽtiæ, iuſtitiæ & aliarũ virtutũ, ſine quo multitudo

domorum, vt vt affabrè & concinnè diſpoſita, quoad locum & numerum, non eſt politia, ſed barbaries & confuſio reip. oppoſita. Nam & latrones poſſunt habere multitudinem domorum ac familiarum, certo numero ac ordine ædium diſpoſitam, ſicut eſt in Tartariæ nonnullis locis, inq; Indiæ, & alibi; vbi quidem eſt multitudo domorum, ſed nulla propterea politia. Huc pertinet illud Auguſtini dictum: *Maxima regna abſq; ordine iuſtitiæ, quid aliud ſunt quam magna latrocinia*, ſiue cœtus latronum ac prędonũ? Idcirco Bodinus lib. 1. de Rep. c. 1. rectè monet, quod dũ reſpub. definitur *multitudo familiarum ratione moderata*, eo ipſo innuatur reipub. nomen ſanctũ eſſe, & debere diſtingui inter rẽpub. & inter cœtus latronum ac piratarum, quibuſcum nulla cõtractuum fides, nulla iuris ſocietas eſſe debet, ſed ſumma diſtractio. Et mouet ibid. quæſtiones aliquot de cœtib. latronum, nempe, *An latronibus precium capite pactum ſit afferendum*: item, *An illis qui à latronibus capiuntur, plus ſit concedendum, quam illis qui capti ſunt ab hoſtibus*: atq; adeò, *An illi qui à latronib. capti ſunt, poſſint teſtamenta condere aut alios actus legitimos obire*. Tertiò, *An latronibus interdum parcendum ſit, præſertim quando ſe offerunt magiſtratui ad pœnam*. Quæ omnia problemata conſideratione quidem digniſſima ſunt, ſed videtur nimis citò ad ea delapſus Bodinus. pertinent enim ad doctrinam de oppoſito reipubl. de quo infra ſuo loco dicetur. Ariſtoteles rempublic. definit quod ſit *ordo multarum familiarum ſiue multorũ ciuium vnitas, rectaq; ordinatio*; 3. Politic. cap. 1.
&

&4.Politic.cap.1. quæ definitio à noſtra non diſcrepat, niſi quod *ciuium* mentionem facit; quod vocabulum ad rempub.magis generaliter, quam ſpecialiter dictam pertinet. Cicero politiam ſiue rempub.ſic olim definiuit lib.3.de repub.ſicut citat Auguſtinus lib.2.de ciuit. Dei, cap.21.qui eos Ciceronis libros habuit & legit. *Reſpublica*, inquit Cicero, *eſt res popul*; *populus autem eſt non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus iuris conſenſu & vtilitatis communione conſociatus.*

Canones de Politia generali ſunt hi.

1. *Pol tica ſocietas originem trahit à Deo & natura hominu; quia ad ſocietatem homo naturæ lege atque inſtinctu fertur, tanquam à cauſa impellente interna, ad quam deinde acceſſit mouens externa, nempe vitæ commoditas, propter quam homines in ſocietatem conuenerunt.*

1.Polit.cap.2.dicit Ariſtoteles *hominem naturâ eſſe animal politicum*, & idcirco naturali inſtinctu homines in ſocietatem conueniſſe. id quod etiam probat ab hominis proprietate, nempe à ſermone & eius vſu; quia, inquit, ſermonem homini dedit, vt vtilia & inutilia, honeſta & turpia ſermone poſſet ad alios proferre & diſtinguere. Itaque concludit à natura humana ortum traxiſſe politiã: & addit, eum qui ſocietatem humanam primus ita inſtituit, maximarum vtilitatum cauſam extitiſſe. Et 3.Politic.cap.4. inquit: *Natura homo eſt animal Politicum*; propterea etiam illi, qui non videntur aliorum opera egere; tamẽ appetunt conuerſationem cũ aliis, οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν, id eſt, *non minimum appetunt conuiuere*;

quæ eadem verba habet etiã 1.Pol.c.7. Cæterum 1.Polit.c.2 addit hoc quoque: *Hominem ſua natura magis eſſe congregabile animal quam vllum animal* ἀγέλαιον; quod congregatione cœtum quodammodo ciuitatis imitatur, vt ſunt formicæ, columbæ, grues, apes. Eos ergo homines qui abhorrent à ſocietate, vocat ἀπόλιδας & hos dicit eſſe vel per fortunam, vel per naturam. Per fortunam à ſocietate excluduntur ii, qui relegantur, deportãtur, quibus igni & aqua interdicitur. Per naturam autem extra ſocietatem viuentes, vel ſunt præſtantiores vel deteriores. ὁ ἄπολις διὰ φύσιν ἢ φαῦλός ἐστιν ἢ κρεῖττον ἀνθρώπου ὥστε ἢ θηρίον, ἢ Θεός; id eſt, *qui viuit extra ſocietatem, aut est deterior aut melior homine, & eſt vel Deus vel beſtia.* Per eos quos vocat *meliores homine*, intelligit extraordinarios nonnullos, qui contemplationis cauſa in loca ſolitaria ſe abdiderunt, quorum etiam mentionem facit, 10. Ethicor. Per *deteriores* autem intelligit tum Timones μισανθρώπους, tum etiam vaſtatores, qui totam humanam ſocietatem turbantes, omnia cupiunt diſſipare.

Concluditur igitur politiam pertinere ad legem naturæ, & ſecundum legem naturæ eos viuere, qui in Politia viuunt. Iuriſc. dicunt vrbis conſtitutionem eſſe iuris gẽtium; id quod ita intelligi poteſt, quod ædificatio & ſtructura vrbium communi gẽtium conſenſu ſit approbata, etiãſi originem à natura ſiue à prima lege naturæ traxerit. Nam vnius rei variæ poſſunt eſſe cauſæ; & negandum non eſt, propter metum etiam vrbes eſſe exſtructas, vt homines ſe ab aliorum iniuriis

iniuriis defenderent, ſicut Herodotus, Cicero & Diodorus Siculus de origine vrbium ſentiunt. quod paulo poſt latius exponetur. Cæterum variæ aliæ fuerunt ſententiæ autorum veterum de cauſa efficiente politiarum. Nonnulli dixerunt homines temere & fortuito in ſocietatem politicam conueniſſe, perinde vt atomi temerè confluunt ſine vlla naturæ lege vel inſtinctu: quam opinionem Cicero Epicuro tribuit & refellit 1. & 2. De natur. Deorum. Secunda opinio fuit eorum, qui exiſtimarunt homines propterea in ſocietatem Politicã conueniſſe, & pagos ac domos exſtruxiſſe, vt ſe aduerſus frigus, calorem aut alias cœli iniurias munirent, ſicut ſenſit Ouidius 1. Metamorph.

Tum primum ſubiere domos, &c.

Sed iſta cauſa inter valdè debiles referri debet, ſi ſpectes Remp. Sin autem ſolummodo domum ſpectes, ſiue ædificium & ſtructuram, de qua hîc non loquimur, vtique admitti poſſet. Tertia opinio fuit, quod homines quodam ꝓdigio & miraculo inter ſe conuenerint, cum nempe primo conſpexiſſent ignem tanquam rem miram, & ex flamma ignis initio perterriti, poſtea autem propius ad ignem accedentes, atque eius calorem ac fomentum ſentientes, cœperint ad eum habitare & ſocietatem colere; vt quidem magnificis verbis Vitruuius perſuadere nobis conatur. *lib.1.cap.2.* Quarta opinio eſt eorum, qui dicunt homines initio conueniſſe inſtinctu & beneficio Muſicæ; in qua videtur fuiſſe Horat. in lib. de arte Poetica:

Syluestres homines ſacer interpresq; Deorum, &c.

Quinta opinio eſt ea, quam refert Athen. lib. 4. Dipnoſoph. quod homines initio conuenerint ob artem coquinariam. Sexta eſt Herodoti, Diod. Siculi & aliorum, quod homines initio cõuenerint defenſionis cauſa, vt ſe aduerſus potentiorum iniurias tuerentur. Denique vltima opinio eſt, quod conuenerint religionis cauſa, vt alter alterum de religione doceret: quæ vltima ratio, etſi videatur magnam ſpeciẽ habere, tamẽ & hanc ipſam, vt & alias omnes grauiter refutat Lambertus Danæus lib. 1. Polit. Chriſtianæ, cap. 3. vbi concludit, non alia cauſa, quàm naturæ inſtinctu & lege diuinitus implantatâ politias eſſe initio conſtitutas. Et cap. 4. eiuſd. lib. pulcherrimã quæſtionem tractat: *An etiam aliqua politia futura fuiſſet ante lapſum humani generis*; & concludit affirmatiuè; nam ſicut ante lapſum quoque fuiſſet aliquod caput familiæ, ſiue aliquis paterfamil. ita quoque futurum fuiſſe aliquod regimen politicum, licèt modus regendi planè diuerſus futurus fuiſſet ab eo, qui nunc eſt. Vide pluribus de hac re etiam diſputantem Toloſanũ lib. 1. De repub. cap. 2.

Cain condidit ciuitatẽ, Cainon August. lib. 15. de ciuit. Dei c. 1. & 8. Probat etiã Auguſt. lib. 14. de ciuit. Dei, c. 22. & 23. nuptias fuiſſe futuras, & ſobolis etiã procreationem in Paradiſo ante lapſum. Videatur etiam Buchananus in dialogo de iure regni apud Scotos, non procul ab initio iſtius dialogi.

2 *Falſum eſt homines initio inſtar pecudum in campis & ſyluis obuagatos eſſe, & longo demum poſt tempore per eloquentiam quorundam oratorum ad ſocietatem politicam ineundam fuiſſe collectos.*

Valde frequens eſt apud Cicero. & alios autores illud Eloquentiæ encomium, vt etiam Philoſophiæ ipſius, quod per eloquentiam & Philoſophiam homines traducti fuerint ad politicam ſocietatem, cum antea multis ſeculis pecudum inſtar

ſtar in ſyluis & campis ſoliuagam vitam tranſegiſſent. id quod falſum eſt omnino, ſi pleramq; partem humani generis conſideres; vtpote in qua viguit iſta naturæ lex, per quam homo animal politicum ſocietatem pagorum & oppidorũ à primis ſtatim initiis ſanxit & conſtituit, quod etiam Geneſis teſtatur cap. 2. & 3.

3 *Humana ſocietas certis gradibus ac progreſſionibus minorum ſocietatum ad maiores peruenit, ita quidem vt cum primo omnium ſola foret ſocietas inter maritum & vxorem, poſtea etiam tota domeſtica ſocietas coaluerit, & ex domeſticis ſocietatibus integræ familiæ gentilitiæ, quib. & extraneæ adſcitæ ſunt, ſic vt diſtinctis locis habitantes primò vicos, deinde pagos, pòſt oppida & vrbes, denique; prouincias & regna conſtituerent.*

Præclarè Ariſtoteles c. 2. 1. Oecon. *Cognitio*, inquit, *ſingularum rerum conſiſtit in minimis. &* 1. Polit. cap. 1. *Omne compoſitum oportet vſq; ad ſimplicia diuidi*: quæ generalia axiomata deinde applicat ad propoſitum; & dicit eum, qui velit rectè de politia tractare; oportere progreſſiones minimas politicæ ſocietatis primo conſiderare, & à minoribus ad maiora aſcendere; id quod hoc etiam Canone monere voluimus, vbi docemus ſocietatem politicam ſancitam eſſe certis gradibus ac progreſſionibus: qua de re etiam præclarè diſſerit Danæus libr. 1. Politic. cap. 3. & apparebit tota res diſtinctius in ſeqq. vbi de ſocietate politica per partes tractabitur.

Societas Politica eſt vel prima vel orta.

Prima eſt, quæ proximè conſtat ex ſocietatibus Oeconomicis; ſiue domibus.

Nam domum inter ſocietates politicas non numeramus, quod multi Politici faciũt; propterea ne Oeconomicam diſcipl. confundamus cum doctrina politica.

Eſt autem vel Vicus, vel Pagus.

Vicus eſt politia, ex paucioribus domibus collecta.

Vicus à via dictus eſt, teſte Varrone libr. 4. De lingua Lat. quod nempe in vico ex vtraque parte viæ publicæ ſint domus; vt nempe intelligatur vicum eſſe collectionem domuum eiuſmodi, in qua ſit vna tantum platea & non plures.

Vnde à vico etiam deriuatur nomen *vicinus* & *vicinia*, vt appareat vicum primos vicinos fecisse: poſtea tamen promiſcuè vicus & pagus ſumebatur apud Latinos, ſicut ex Sexto Pompeio apparet. & hodie adhuc vici dicuntur pagi, & contra.

Canon de vico eſt:

Vicus vt eſt prima ſocietas politica, ita maximè eſt ſecundum naturam.

Ariſtotelis Canon eſt libr. 1. Politic. cap. 2. vbi inquit: *Quæ ſocietas ex pluribus domib. conſtituitur, & conſtituitur tanquã prima non domeſticæ vtilitatis cauſa, ſed publicæ; ea eſt* κώμη, *vicus*. & addit: *maximè ſecundum naturam eſt vicus.* Quo in loco neminem turbet verſio Latina, vbi dicitur *pagus*, quia vox Græca propriè *vicum* ſignificat.

Eſt

Eſt autem vicus vel Gentilitius, vel Extraneus.

Vicus Gentilitius dicitur, quem conſtituunt domus, ſiue familiæ ſanguinis coniunctione, tãquam ab vno aliquo ortum ducentes inter ſe deuinctæ.

Primò enim admodum veriſimile eſt, præſertim cum homines eſſent longęui, quod ex domo domus fuerit propagata, ita vt conſtitueretur vicus ex hominibus eiuſdem originis & cognationis; qualis procul dubio fuit vicus ille, in quo domum habuit Adamus, alteram Cain, tertiam Abel, &c. iſte fuit vicus gentilitius: nam eodem, quem citauimus S. Pompeio teſte, *gens* Latinis dicebatur etiam *propago familiæ*, vt gens Fabia, gens Ælia.

Vicus Extraneus eſt, in quo habitant patreſfamil. multi, qui non ſunt eiuſdem originis & cognationis, quales hodie ſunt plerique.

Pagus ſequitur; qui eſt ſocietas politica ex duobus vel pluribus vicis collecta.

Pagus dicitur à Græca voce πήγη, id eſt, fons, pro qua Dores dicebant πάγη: vt *pagus* dicatur locus, in quo homines conuenerunt propter commoditatem alicuius fontis; poſtea illud nomen latius extenſum eſt ad ſignificandam omnem ſocietatem politicam ex duobus vel pluribus vicis conſtantem.

Ita ſi propriè capias pagi nomen, ſignificabit

eiuſmodi collectionē plurium ædium & familiarum, in qua ſunt diſtinctæ aliquot plateæ; quamuis poſtea nomen *pagi* & *vici* promiſcuè ſumptū ſit. Dicitur enim hodiè promiſcuè *Pagus*, etiam iſta ſocietas hominum, quæ ruri eſt, & vnicam tātum habet viam; ſicut contra id, quod pagus dici debebat, etiam vicus dicitur, quod ſit ruſticis vice ciuitatis, vt quidem deriuare libuit Iſidoro lib. 5. Etymol. Et inualuit hodiè, vt minora illa oppida, quæ qualicunque muro cincta, vnicam tantum plateā habent, dicantur *vici*. Cæterum eſt diſcrimen etiam inter pagos: nam quidam etiam iuris dicundi poteſtatem habent, ac certum territorium, deniq; nundinas & magiſtratum; quo reſpectu ad vrbium politiam accedunt. Quidam vero tantum ſimplices ſu t pagi, qui tale nihil habent. Et poterat in prima conſtitutione politicæ ſocietatis euidentius diſcrimen horum obiectorum inſtitui, quàm nunc poteſt, vbi pagorū & vrbium politiæ variè nonnunquam inter ſe commiſcētur. Nec prætereundum eſt, quod pagi appellatio apud ſcriptores Latinos, præſertim autem apud Iul. Cæſarē, & qui hunc ſecuti ſunt, Romanos hiſtoricos, admodum latè ſe extendat ſubinde; vt nempe ſumatur pro toto diſtrictu ac collectione multorum vicorum comprehendente aliquot miliaria Germanica, quemadmodum tempore Iul. Cæſaris Heluetia fuit diſtincta in pagos, nempe in pagum Tigurinum, pagum Bernenſem, &c. id eſt, in diſtrictus magnos, quibus multi vici comprehendebantur. Vide de hac appellatione pagi, nobiliſſ. hiſtoricum Marquardum Freherum in originibus Palatinis.

Tan-

Tantum de Politia prima minori. Politia prima maior, vocatur ciuitas, ſiue vrbs, quæ eſt ſocietas hominum ex multis pagis in vno loco collecta, & commoditatibus maioribus ac maiori ſecuritate inſtructa atque munita.

Vrbis vocabulum eſt ambiguum; ſumitur enim interdum pro ipſis ædificiis ampliori ac maiori ſpacio ad commoditatem, vel etiam ſecuritatem, iuxta ſe inuicem conditis; & ſic vrbs dicitur teſte Nonio Marcellino & aliis, quod in orbẽ circumduceretur aratrum, dum mœnium vrbis deſignatio prima fieret: interdum vero vrbs capitur non pro ædificiis, ſed pro ſocietate hominum, & pro politia maiori: quomodo hoc loco de vrbe præcognoſcimus, tanquam de obiecto politicæ diſciplinæ. nam quod attinet ad ædificia illa, non obiectum, ſed medium ſunt huius prudentiæ politicæ: idcirco de vrbe in iſta ſignificatione infra ſuo loco agetur: quod propter eos Politicos moneo, qui hæc inter ſe commiſcent.

Canones de ciuitate generales ſunt hi:

1 *Ciuitas eſt ſocietas Politica; quæ maximè ad commoditatem vitæ inſtituta eſt, itaque originem traxit à natura, præſertim cum contineat finem politicum vberiorẽ, quã continent reliquæ antea enumeratæ ſocietates, videlicet vicus & pagus: Vnde etiam homo fertur ad eam ſocietatem, quæ eſt ciuitas, tanquam in qua finis magis eſt ſufficiens ad benè viuendum.*

Hæc eſt altera ſignificatio vocabuli vrbis, quādo non ſumitur pro ædificiis, ſed pro ſocietate hominum, ſiue politia copioſiori, & ad bene viuendum magis ſufficiente, & ita de ciuitate ſiue vrbe loquitur Philoſophus 1. Polit. cap. 2. vbi inquit: *Quæ ex pluribus pagis conficitur ſocietas, ciuitas eſt, quæ quidem totius ſufficientiæ finem habet.* Et addit: *Conſtituta quidem eſt initio ciuitas viuendi gratia, deinde vero etiam extitit bene viuendi cauſa: itaque omnis ciuitas natura eſt; quia eius finis ad naturam tendit; ſiquidem cuiusq; rei finis eſt rei natura; omnis autem finis eſt optimum quid; omne autem optimum eſt ſufficiens.* Vnde concludit, hominem naturâ ciuitatem amare, & qui à ciuitate abhorret, eum aut eſſe nequam, qui ſcilicet non auſit in ciuitatem venire, aut eſſe homine aliquid præſtantius.

2 *Ex vicis ergo & pagis per ſe conſtituuntur ciuitates, tum vt maior foret commoditas viuendi, vtque liberorum educatio rectius poſſet inſtitui, ſacra dexterius adminiſtrari & iudicia exerceri; tum etiam vt omnia eſſent in politia ad maiorem ornatum, opulentiam & ſplendorem comparata; atque adeo vt homines inter ſe non tantum quomodocunque viuerēt, ſed etiam commodiſſimè, atq; ornatiſſimè viuerent.*

3 *Deinceps verò creſcente hominum petulantia, etiam ciuitates & vrbes foſſis, vallis & mœnibus muniri cœperunt, ne mali & legibus inobedientes pœnam poſſent effugere legitimè decretam, & elabi quando vellent, neve etiam illi, qui in exilium pulſi erant, poſſent in ciuitatem redire quando luberet.*

Non-

Nonnulli Politici, inter quos eſt Danæus, hoc diſcrimen inter pagum & vrbem principaliſſimũ conſtituunt, quod pagus non ſit munitus foſſis, vallo, aut muro; omnis autem ciuitas ſit ita munita muro. quod diſcrimen nec principale, nec perpetuum eſſe exiſtimo. Nam ciuitas à pago præcipuè differre debet fine, qui finis eſt in commoditate & ſufficientia vitæ, quam poſſunt homines obtinere, etſi mœnibus cincti non ſint. Nec eſſe perpetuum hoc diſcrimen, ſatis oſtendunt magnificæ nõnullæ vrbes, vt eſt Praga Bohemiæ, & nonnullæ aliæ, quæ muris aut foſſis vndiq; cinctæ non ſunt. Quare hoc eſt principale diſcrimen inter pagum & vrbem, quod nempe in vrbe iſta ſit ædificiorum vicinorum, & aliarum rerum commoditas, vt & ad honeſtatem & ad voluptatem, & ad dignitatem, & denique diuitias commodius viuere poſſint homines quam ruri aut in pagis: quodq; adeo virtutes ibi melius excoli, & flagitia excuti poſſint, quam in pago. Vnde Ariſtoteles 1. Politic. cap. 2. dicit: *Eum qui non eſt amans ſocietatis politicæ, præſertim eius, quæ in vrbibus colitur, meritò ab Homero per contumeliã increpari, quod ſit ſine tribu, ſine iure, & ſit belli cupidus, qui nullo retineri iugo poſſit.*

Addi autem & illud diſcrimen poteſt, quod ciuitas habet ſub ſe agros & pagos, ſicut 1. OEconom. cap. 1. definitur ciuitas ab Ariſtotele, quod ſit copia ædium & regionis & facultatum, quæ ſatis ſint ad bene viuendum.

4 *Cum in humana ſocietate magis ac magis creuiſſet hominum malitia, ita vt vna ciuitas*

inhiaret alterius ciuitatis bonis, & homo ab homine ſibi metueret, tanquam ab hoſte, tum etiam ciuitates hoc diſcrimen a pagis ſortitæ ſunt, vt foſſis, muris & vallis cingerentur.

Hic ergo eſt ſecundarius conſtitutarum ciuitatum ſcopus, atque adeo ſecundarium diſcrimen inter pagum & vrbem: quod nempe vrbes originem traxerint ex metu, quod ſibi homines ab hominibus timerent, atq; adeo homines ab hominibus periclitarentur de vita, & de poſſeſſionibus. Quô ſpectauit Cic. 3. Offic. vbi inquit: *Etſi duce natura congregãtur homines; tamen ſpe cuſtodiendarum rerum ſuarum præſidia vrbium quærebant*. & hinc eſt illa notatio vocabuli, *opidum*, quod Latini autores deriuant ab ope; quia opis auxiliique communis quærendi cauſa vrbs conditur, etſi hodiè oppidum ſoleat vſurpari pro parua vrbe, quod tamẽ non factum eſt ab omnibus veteribus auctoribus Latinis. Danæus lib. 1. Polit. c. 2. *Ex metu*, inquit, *prima cõdendarum vrbium origo fuit; quemadmodum ex prima vrbe à Caino propter ipſius trepidationem & pauorem exſtructa facile quis poteſt videre*, Geneſ. 4. verſ. 17. Sed tamen hinc non ſequitur, hunc eſſe principalem finem vrbium, aut primarium diſcrimen inter vrbem & pagum, quia Caini iſta trepidatio non facit regulam.

5 *Politia ciuitatis, ſiue vrbis olim fuit politia maxima; vſq; adeo, vt vni vrbi vnus rex, ſiue mõarcha imperaret.*

Apparet hoc ſatis ex hiſtoria Moſis, præſertim verò ex cap. 17. & ſeqq. Geneſ. quod ſingulis vrbibus ſinguli reges ſiue mõarchæ imperarint.

Vnde

Vnde dicitur rex Sodomæ, rex Gomorrhæ. Et Ariſtoteles 1. Polit. eo nomine ciuitatem, tanquam perfectam quandam politiam prædicat, quod in ea olim fuerit regimen monarchicum, inquiens: *Quapropter primo ſub regibus ciuitates erant, nunc vero ēt gentes ſunt ſub regibus; vtpote quæ proceſſerunt ex his* (nempe ciuitatibus) *quæ regno ſuberant*; quaſi dicas, poſtquam humana ſocietas ita creuit, vt qui antea in vna ciuitate ſub vno rege habitare poterant, cogerentur ſe diuidere & diſtribuere extra vrbem per diſtrictus: hinc factum eſt, vt etiam integræ gentes regibus ſubiicerentur.

Quo loco moueri poteſt pulchra quæſtio politica: *An feliciores futuræ ſint politiæ, ſi adhuc ſingulæ vrbes a ſingulis regibus regantur, quā nunc ſunt, quando ab vno homine tot prouinciæ & regna gubernantur?* Ad hanc quæſtionem pro diuerſitate circumſtantiarum reſpondendum eſt. Nam ſi qua vrbs poſſit eſſe contenta ſeipſa, & non indigeat neceſſaria communicatione cum vicinis, tum quidem non infelicem fore ſtatum, ſi eiuſmodi vrbes à ſingulis regibus regerentur antiquo iſto & primæuo more. Verū quia non ita amplius hodiè familiæ & gentes ſiue populares vnius ciuitatis ambitu poſſunt contineri, & egent communicatione contractuum, idcirco non vſque adeo commodum foret ſi vrbes, quæ numeroſæ ita hodiè creuerunt, ſingulæ à ſingulis regibus gubernentur. Quod alioquin attinet ad ipſos reges, poſſent ii quidem facilius & rectius gubernare vrbem, quam re-

gnum,& paucioribus egerent conſiliariis, nec ita facile poſſet ſuâ potentiâ abuti.

Tantum de politia prima: Politia orta eſt, quæ ex primis iſtis politiis conſtat.

Eſt q; etiam vel minor, vel maior.

Minor eſt, quæ ex paucioribus pagis interuallo à ſe diſſitis, & aliquando ex vrbibus aliquot conſtat; & vocari poteſt *Diſtrictus, *vel* Baronia, *vel* Comitatus.

* Herrligkeit.

Maior dicitur Prouincia & Gens, nempe Principatus & regnum, atque adeo ſæpe regnorum regnum, ſiue multa regna ſub vno rege.

Et tantum de obiecto prudentiæ Politicæ; ſequitur finis, qui eſt vel principalis, vel minus principalis.

Perinde vt in Ethicis & OEconom. neceſſariò diſtinguendus finis fuit, quod alius ſit principalis, vt honeſta actio cum voluptate coniuncta; alius minus principalis, vt dignitas & diuitiæ; ita quoque in Politica prudentia neceſſe eſt diſtinguere inter finem politiarum principalẽ, quæ eſt tranquilla virtutis operatio, eaque publica; & inter fines minus principales, vt eſt ſplendor reip. itemque opulentia & abundantia, vt ſuo loco vberius intelligemus.

Principalis Politicæ finis eſt, ad quem media politica principaliter referuntur.

Et

Et hic uerum vel abſolutè ſpectatur, vel cum gradu eminentiæ,

Abſolutè ſpectatus Politicæ finis, eſt publica Honeſtas, ſiue virtutum moralium communis & publica actio acque exercitium.

Graues cauſæ ſunt, cur oporteat diſtinguere inter Politicæ finem abſolutũ & conſideratum cũ gradu eminentiæ: nam quia eas reſpublic. [a] non oportet infelices iudicare, in quibus honeſtè & tranquillè viuitur, etſi non viuatur ſecundum contemplationem, aut ſecundum puriſſimæ religionis præſcripta; idcirco honeſtatem ſiue exercitia virtutum moralium, quæ felicem rempublic. efficiunt, oportet diſtinguere à fine contemplationis & religionis, qui fines ſummè felicem faciunt.

Et placet vehementer quod eruditè monet Lambertus Danæus, lib. 1. Politic. cap. 4. non eſſe confundendum regimen Politicum cum regimine Eccleſiaſtico; idcirco etiam inter honeſtatem ſiue exercitia virtutum moralium, & inter exercitia pietatis ac religionis oportere diſtinguere: Quod idem etiam Melanchthon ſæpiſſimè commonefacit, quando politico magiſtratui id incũbere dicit, vt ſit cuſtos externæ diſciplinæ, id eſt, honeſtatis.

Cæterum Ariſtoteles 7. Polit. c. 13, *eam*, inquit, *ciuitatem beatam voco, in qua ciues ſunt beati*: quid autem per beatitudinem intelligat, declaratum eſt tum in Ethicis, tum inprimis manifeſtè expedit ſeſe Ariſtoteles 7. Politicorum, capite 2.

inquiens: *Neceſſarium eſt illam rempubl. eſſe optimam, per cuius inſtitutionem vnuſquisq; optimè agi*. Quod autem 3. Polit. cap. 4. dicit finem politicæ eſſe conſeruationẽ ſocietatis mutuæ, id planè congruit cum priori ſentẽtia; nam cum omne bonum ſit conſeruatiuum; vtiq; ſummũ bonum erit maxime conſeruatiuum; ſummum autem bonum reipubl. & felicitas & beatitudo & publica actio virtutis æquipollent. Qui hæc conſiderat, facile intelliget Franc. Patricium lib. 1. de rep. tit 10. vbi dicit finem politicæ eſſe conſociationem, id eſt, conſeruationem ſocietatis, quæ fit per actionem virtutis.

a Sunt nonnulli qui opinantur Ariſtotelem perfectiſſimam politiam, eamq; ſolam beatam facere eam, in qua philoſophia & contemplationes ſublimes vigent; atque adeò inde concludunt, quod illa non ſit vera politia, vbi tales contemplationes non ſunt, in primis vnitas religionis, ſiue communis & vniformis ad Deum deuotio; itaque ſic argumentãtur: *Vbi nullus finis, ibi nulla felicitas*; Finis autem eſt vera religio & Dei cultus vnanimis; atque in tali republ. vbi ſi hanc plateam ingrediaris, ſic Deum inuocari audias, ſi alteram, ſi tertiam, alio atque alio modo, Dei cultum inſtitui videas, ibi nullus eſt finis verus; ſi nullus finis, ergo nec media vlla; ſi media nulla, nulla eſt reſpubl. ſi nulla reſpub. quis ibi viuere cuperet? Itaq; ſuper hæc fundamenta, pernicioſiſſ. axiomata Politica exſtruũt Ieſuitæ; 1, quod vbi talis ſit reip. ſpecies, perturbata ſcil. & impropria, ibi regẽs nõ ſit verus & legitimus magiſtratus, ſed tyrãnus, & per conſ. è medio tollẽdus. 2, ciues ſub iſtis tyrãnis ſunt fures, latrones, &c. ideoq; ſupplicio afficiendi. Verum. n. verò ſi ita argumentari vellemus, vbi talẽ reperiemus remp. quæ ita ſit conſtituta? nec poſſibile eſt eã dari, quatenus humana: nam ciues honeſtos facere quidẽ Politica poteſt, pios vero & vere Chriſtianos, & quidem omnes, faciet nunquã, ſed potius hypocritas & ſimulatores. Quia verò talis nõ da-

tur

tur reſpub. illa beata appellatur, in qua honeſtas publica viget. Si vero talis, quæ orthodoxa eſt vndiquaq;, reperitur, apprehendenda illa eſt ambabus manib. & magis optanda quam prior: nam excellentior gradus bonũ auget, vt in fine c.7. lib.1. Ethic. & lib.10. c.2. Ariſtot. docet. Nam in Ethicis virtutes quoq; dupliciter conſiderantur. 1, in mediocritate; 2, in excellentia, vt virtutes heroicæ.

Canones de hoc fine ſunt:

1 *Sicut* [b] *ex felicitate Ethica oritur ſecuritas & voluptas; ita quoque ex felicitate politica, id eſt, ex publicis virtutum exercitiis, neceſſario promanat ſecuritas, voluptas & pax interna reipub. nam vbi honeſtè viuitur, ibidem quoq; tranquillè & pacatè viuitur; nempe quoad pacem internam oppoſitam inteſtinis diſſidiis & bellis.*

b Dicat hic aliquis: Illud eſt finis vltimus potius dicendũ, quod eſt poſterius; atqui voluptas & ſecuritas eſt poſterior felicitate. E. voluptas & ſecuritas eſt finis dicẽda. Reſp. non ſequi: ſicut non ſequitur, finem principalem cur edamus, eſſe voluptatem in guſtu; Non enim edimus vt voluptatem inde capiamus, ſed vt nutriamur: ſicut ergò finis cibi eſt vt nutriamur, ita etiam politicæ finis eſt, vt honeſtè viuamus: ſicut etiam ſanitas nutritionem ſequitur; ita etiã ſecuritas ſequitur honeſtã vitę actionem.

Soluitur hoc canone quæſtio: *An finis principalis politicæ ſit pax & tranquillitas*: quæ ſanè plauſibilis eſt aſſertio; ſiquidem omnes homines eam remp. beatam prædicãt, quæ diuturna pace fruitur. Sed facilis eſt reſponſio, præcipuam illam pacem oppoſitam internis ſeditionibus, non tam eſſe finem politicæ quam fructum ſiue effectum iſtius finis; ſicut enim voluptas in Ethicis non erat finis Ethicæ, ſed iſtius finis neceſſarius effectus & proprietas, quæ poſito fine per

ſe & vltro ſequitur: ita quoque pax interna non eſt finis Politicæ, ſed effectus neceſſario finem ſequens, perinde vt lux ſequitur Solem orientem. Soluitur etiam quæſtio: *An reſpub. poſſit dici beata, quæ etſi publica habeat virtutum exercitia, tamen ab hoſte obſidetur*; Canon enim affirmatiuam tuetur:

c Ita vrbs Brunswiga quoad pacẽ internam, hactenus in ipſa obſidione felix fuit & beata; quod oſtendũt præclara in vrbe edita facinora: nam arctius in ipſa obſidione ciuium animi fuerunt deuincti mutuis officiis, & auxilio in virtutum exercitiis, & amicitia, & erga magiſtratum honore, quàm ante hac fortè non fuerũt.

2 *Finis hic abſolutus, nempe publica honeſtas, talis eſt, vt ſine eo reſpub. nullo modo eſſe poſſit, idcirco eſt vniuerſalis & ſtrictè ac rigidè tuendus in omnibus reip. ciuibus.*

Diſcernit hic Canon finem reip. abſolutum à comparato, ſiue conſiderato cum gradu eminentiæ, id eſt, contemplatione & religione puriſſima, vtpote ſine quibus reſpub. eſſe poteſt, nempe quoad eſſe abſolutè, non autem quoad perfectè & præclarè ESSE. Itaq honeſtatis ſtudium in omnibus reipub. ciuibus ſtricte vrgendum eſt, tanquam ſine quo reſp. eſſe nullo modo ne mediocriter quidem poteſt; contemplatio aũt & religio pura cum non poſſint in omnibus & ſingulis reip. ciuibus obtineri, idcirco ſic vrgenda ſunt, tanquam quæ non ad eſſe, ſed ad præclarè Eſſe requiruntur; idcirco & fuerunt olim multæ reſp. vt Spartana, Athenienſis, Romana, & hodie quoque ſunt, vt reſpublic. Venetorum, & aliæ, quæ verarum rerumpub. laudem habent,

nec

nec tamen ad iſtum excellentem finem peruenerunt.

Finis ſpectatus cum gradu Eminentiæ, iterum eſt vel contemplatio vel Religio.

Sicut in Ethicis aliæ virtutes erant mediocres, aliæ vero heroicæ; ita quoq; reſpub. alia eſt mediocris & fine abſoluto contenta; alia vero Heroica, quæ finem quoque obtinet eminentem & in gradu excellenti, quales ſunt eæ reſpub. in quibus ciues non honeſtati tantum ſtudent, ſed etiam præclariſſimarum rerum contemplationib. ſunt dediti: nec hoc tantum, ſed & religionem colunt doctrina & ritib. reformatam ac puram.

Contemplatio eſt publicum exercitium virtutum intellectualium; ſiue eſt cognitio & conſideratio earum rerum, quæ hominis intellectum maximè perficiunt in hac vita, vt ſunt res Metaphyſicæ, Phyſicæ, & Mathematicæ.

Quia 10. Ethicor. c.4. & ſeqq. Ariſtoteles probauerat contemplationem eſſe præſtantiorem actione virtutis moralis, ideo 7. Polit. c.1. & 2. cõtemplationem docet eſſe præſtãtiſſimum finem, qui in repub. ſpectari debeat. Finem, inquam, non abſolutum, nec ab omnibus æquè requirendum, ſed finem conſideratum cum gradu eminentiæ; quique non tam ad eſſe reip. pertineat, quam ad præclarè eſſe. De qua re vide P. Greg. Toloſ. lib.4. c.10. Danæum l.2. Pol. c.3.

Religio eſt exercitium pietatis, ſiue fidei & bonorum operum, atq; adeò cultus diuini tam in doctrina quàm in ritibus.

Antè diximus honeſtatem abſolutè pertinere ad reip. conſtitutionem, neq; poſſe ſine ea remp. vllam eſſe ſimpliciter; religio autem etſi ad finē reipubl. pertineat, tamen hoc diſcrimen obſeruandum eſt, quod dedimus inter finem abſolutū & finem eminentem, ad quem religio pertinet. Vnde iudicari poterit, quid ſentiendum ſit de illa quæſtione: *Vtrum ſine religione reſpub. eſſe & conſeruari poſſit.* Nam ſi per *religionem* intelligas notitias menti humanæ inſculptas de DEO, deq; diſcrimine honeſtorum & turpium, vtique concedendum eſt, *nullam rempub. ſine religione vel conſtitui vel eſſe poſſe*; ſi vero religio ſumatur perfectiſſimè, nempe pro doctrina, ritibus & vita Eccleſiæ reformatæ propria, vtique ſine hac reſpublicæ multæ fuerunt, & ſunt, licèt non fuerint nec ſint perfectæ aut gradu eminēti prꝑditæ.

Vide Dan. p. 46. ſiue lib. 1. Polit. c. 5.

Et ſic de fine Politicæ principali.

Finis minus principalis, eſt primò pax externa; 2, honor & gloria publica, 3, opes, abundātia & ſplendor.

Dicimus *pacem externam* eſſe finem minus principalem; quia multæ reſp. quoad finē principalem beatæ ſunt, etiamſi pace externa non fruantur, ſed perpetuò ab hoſtibus exerceantur. Sic reſpub. Belgica beata eſt, etiamſi annis iam 40. oppugnetur ab Hiſpano. Sic Geneuenſium reſpub. beata eſt, etiamſi perpetuò infeſtetur à Sabaudo. Ariſtot. 3. Pol. c. 4. *finem politiæ eſſe dicit cōmunem vtilitatem*: id quod intelligendum eſt de fine minus principali; nam honeſtum ſemper præualere debet vtili. Et multæ ſunt reſpub. be-

ne

ne conſtitutæ, quæ tamen nec magnas opes, nec magnum ſplendorem habent. Cicero vtrumq; finem tam principalem, quam minus principalẽ coniunxit in 5. De republ. è quo lib. propria ſua verba citat lib. 8. Epiſtolarũ ad Attic. vbi inquit: *Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria; ſic moderatori reipub. beata ciuiũ vita propoſita eſt, vt opibus firma, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit reſp.* Et in epiſtola ad Q. Fratrẽ: *Eò referenda ſunt omnibus iis, qui præſunt aliis, vt ii qui eorum imperio ſubſunt, ſint quàm beatiſſimi;* quod fit, ſi & honeſtè & commodè viuant. Vide de fine reip. Toloſanum l. 5. cap. 5. Dan. lib. 1. cap. 5.

PARS PRVDENTIÆ POLITICÆ GENERALIS.

LIBER PRIMVS,

De ſtatu Politico primo, ac perfecto; nempe de *Monarchia*, ſiue *Principatu*.

CAPVT I.

DE REGIMINE PRIMO, SIVE DE MONARCHIA IN GENERE.

EXplicauimus præcognita Prudentiæ Politicæ, de obiecto nempe & Fine: poſt hac docendum fuerit de mediis, quibus finis iſte in obiectum poſſit introduci.

Duo autem ſunt iſta media generaliter ſpectata, nempe REGERE *&* PARERE.

Canones de his mediis ſunt hi:

1 *Etſi* regere *&* regi, *&* Parêre *ſint Relata, tamen quatenus* regere *actionem ſignificat*, *&* regi *paſſionem*, *eatenus* regere *naturâ prius eſt quam* regi.

Notum illud eſt ex Logicis & Metaphyſicis, quod *Agere ſit prius quam pati*; vnde concluditur, eum qui regit, quatenus regit, naturâ priorem eſſe illis, qui parent, quatenus parent. Quod pertinet ad decidendam grauem quæſtionem Politicam; *Vtrum Magiſtratus an ſubditi prius fuerint*? Nonnulli enim ſtatuunt magiſtratum prius fuiſſe, propterea quod caput familiæ, ſiue regiminis domeſtici Adamus prior fuerit illis, quos gubernare debebat. Contra vero alii dicunt ſubditos prius fuiſſe, quam Magiſtratum; atque adeò ſubditos non propter Magiſtratum, ſed Magiſtratum propter ſubditos factum eſſe: quam ſententiam prolixè tuetur Lambertus Danæus libro 1. Politicorum, capite quarto: vbi memorabilem admodum diſputationem & ad multas quæſtiones vtilem inſtituit de prioritate Magiſtratus, & ſubditorum. Oportet autem diſcernere inter prius naturâ & prius tempore: nam ſi maximè concedamus Danæo, quod ſubditi ratione temporis fuerint priores regentibus, atque adeò quod omnis magiſtratus ab initio liberis ſubditorum votis fuerit electus; tamen non ſequitur, ſubditos naturâ prio-

priores eſſe; ſiquidem hoc firmum manet, quod diximus, Actionem ſiue rectionem eſſe naturâ priorem Paſſione, ſiue obſequio. Eſt ergò magiſtratus naturâ prior, nempe ſecundum qualitatẽ, ſiue vim agendi. Quod dum dicimus, neutiquam probamus Machiauelliſtarum hypotheſin, qui dicunt *ſubditos ſimpliciter eſſe propter principem, atq; eſſe ex principum ſemine primitùs natos, atq; idcirco principum eſſe mancipia, in quæ illi poſſint pro libitu dominari, tãquam in id quod ne eſſet quidem, niſi illi eſſent*. Nam etſi principes naturâ ſint priores, quatenus regunt; tamen non ſunt natura priores, quatenus ſunt homines: &, aliud eſt regere, aliud pro libitu dominari: nam regere, eſt ad beatitudinem dirigere; pro libitu autem dominari, eſt dirigere ad miſeriam.

2 *Regere perfectius & principalius quid eſt, quam regi: idcirco regi, ſiue obſequium pendet à gubernatione, tanquam à naturâ priori, & tanquam à ſua menſura & norma; idcircò præcipuum Prudentiæ Politicæ medium, quod in diſciplina hac principaliter ſpectatur, eſt Gubernatio; ita vt qui intelligit præcepta gubernandi, facilè poſſit percipere præcepta obſequendi; vnde fit quod in Politicis multa doceantur de gubernatione, pauca de obſequio.*

Cum autem regere & regi vel in genere conſiderari poſſit, vel in ſpecie; idcirco ex mediorum partitione ad Obiectum & Finem accommodata; Prudentiam Politicam diuidimus in duas partes, nempe in Generalem & Specialem.

Generalis pars Prudentiæ Politicæ eſt, quæ de regimine & obſequio, ſiue de ſtatu Politico, qui nihil aliud eſt quam regere & regi, in genere tractat.

Status porrò Politicus vel eſt benè compoſitus, vel laborans, ſiue affectus.

Status benè compoſitus eſt, in quo media ad ſuum finem directè diriguntur, atq; adeo, in quo ſine impedimento regit is, qui regere debet, & ſine vitio paret is, qui parêre debet; ſic vt totus ſtatus ſit beatus tam principalib. quam minus principalibus finib.

Benè compoſitus ſtatus Politicus, ſiue Reſpublica bona trifariam dicitur: primò ea, quæ ſimpliciter eſt optima, qualis per ſe & vna vix datur: ſecundo ea, quæ ratione ſubiecti & pro rerum præſentium ſtatu eſt optima:3, quæ ex hypotheſi, ſiue præſuppoſitis certis conditionibus, aut comparatione cum aliis, eſt optima. Politica autem præcepta oportet omnes has tres reipublicæ conditiones ſpectare; ſic tamen vt primariò formentur de illa republ. quæ ſimpliciter eſt optima; quia prȩcepta artium debeant de idea eſſe magis quam de defectu.

Status politicus benè compoſitus eſt vel primus & perfectus: vel ortus à primo, & imperfectior, ſiue minus principalis.

Politici tradunt ſeptem formas ſtatus politici, ſiue reip. è quibus tres vocantur ſimplices, nempe *Monarchia, Ariſtocratia & Democratia*: quatuor

tuor v. appellantur mixtæ; quarum prima eſt tẽperata ex omnibus tribus ſimplicibus; ſecunda eſt temperata ex Monarchia & Ariſtocratia; tertia tẽperata ex Monarchia & Democratia; quarta deniq;, ex Democratia & Ariſtocratia: quas formas nobis propoſitum eſt dexteriori quadam & planiori methodo perſequi; & idcirco diſtinguimus inter ſtatum, ſiue formam regiminis primam & ortam; cuius partitionis ratio in ſeqq. clarius eluceſcet.

Status politicus primus & perfectus eſt is, in quo vnus regit, cæteri parent; ſiue eſt, in quo multitudo eorum, qui gubernantur, reducitur ad vnitatem, quæ reipub. forma, Monarchia *vocatur.*

Canones de Monarchia ſunt hi:

1 *Monarchia eſt ſtatus politicus ſimpliciſſimus, propterea, quia in vnitate conſiſtit, & quia multitudinem ſubditorum reducit ad naturalem vnitatem.*

Dico, *ad naturalem vnitatem*, vt ſoluatur obiectio, quod etiam in aliis reip. formis ſit vnitas; e. g. In Ariſtocratia multi optimates habentur pro vno magiſtratu; ſed iſta vnitas non eſt naturalis; neque pura, ſed artificialis, collectiua & reductitia.

2 *Monarchia eſt ſtatus politicus, maximè ordinatus.*

Quia nempe ordo eſt diſpoſitio, in qua poſteriora à priorib. pendent; quo a. priora magis accedunt ad vnitatem, eo perfectior eſt dependentia, &, per conſeq. eò perfectior ẽt eſt ordo: Qui

quidem ordo in ſtatu optimatum vel ſtatu populi ita perfectus eſſe non poteſt; quia in ſtatu optimatum à multis multi pendent, & multi ibi ſunt pares. In ſtatu autem populari omnes ab omnibus pendent, & omnes ibi ſunt pares. Vbi a. multi, vel omnes ſunt pares, ibi ordo admodum eſt propinquus confuſioni.

3 *Monarchia facilius aſſequitur finem reipub. propoſitum; quia facilior ibi eſt gubernatio, ſiue ſpectes inuentionē conſiliorum, ſiue eorundem executionem; atq; adeò ſi ſpectes legum vel promulgationem vel executionem.*

Vix fieri poteſt, vt multi, quorum vnus ab altero non pendeat, de reb. iiſdem eodem modo iudicent; vnde & conſiliorum inuentio impeditur, vbi multi imperant & conſilia arcana facilius propalantur. Hinc nim. neceſſariis temporibus cum ardua conſilia ex tempore promenda eſſent, & repentè exequenda, vt tempore belli Spartani Regem eligebant, Romani Dictatorem. Et Germanis Principibus contra Carolum V. Imperatorem belligerantibus, nihil magis obfuit, quam quod conſilia bellica eſſent diuiſa

Anno 1547. inter Iohan. Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philip. Landgrau. Haſſiæ; id eſt, quod ſumma rei non eſſet penes Philippum Landgra. vt prudenter annotat Sleidanus. Neq; diu poſſunt manere in occulto conſilia, quando multi eorum ſunt conſcii; quod Mauritius Saxoniæ Elector intellexit, quando dixit: *Si meum induſium foret conſcium mei conſilii, vtiq; repentè de corpore detractum comburerem.* & Belgæ hodiè, etiãſi habeant

Demo-

Democraticam regiminis formam cum Ariſtocratica mixtam in ſuis conſiliis, tamen cum ventum eſt ad ardua conſilia, reliquis excluſis, pauciſſimos deligunt, & ad iſta conſilia admouent, vt annotat Meteranus in fine hiſt. Belgicæ. Toloſanus lib. 13. De republ. cap. 12. *Conſilia*, inquit, *reipub. celanda ſunt; quod in Monarchia eſt facilimum, in aliis reip. formis difficile.*

4 *Monarchia eſt ſtatus reipublicæ omnium firmiſſimus, & maximè diuturnus; quia nempe maximè vnus & ordinatus eſt, quod autem maximè vnum eſt, difficultèr diuiditur; quia vnum maximè repugnat diuiſioni, ſiue multitudini, quæ eſt diuiſionis mater.*

Nempe quod citò diuidi poteſt, & ſuis partibus disiungi, id infirmum eſt, & mutationi ac diſſolutioni obnoxium; id autem quod multum eſt, ſiue quod ab vnitate magis recedit, id diuidi & diſſolui facilè poteſt; contra vero vbi omnia conſpirant in vnum, & maximè recedunt à multitudine, vt fit in Monarchia, ibi diuiſio eſt difficilior, &, per conſequens mutationes ac confuſiones non ita metuendæ ſunt in hac reipublicæ forma, vt in aliis. Vnde & hiſtoriæ teſtantur, nullas reſpublicas diutius duraſſe, quam Monarchicas; nam Aſſyriorum monarchia, Euſebio referente, durauit annis mille & ducentis; Imò diutius, ſi credimus Iuſtino libro 1. qui idem Iuſtinus, libro ſecundo annotat Scytharum regnum aliquot annorum millibus ſteriſſe. Romanorum reſpublic. ſub nulla forma diutius durauit, quam ſub Monarchica. Nam

ab exactis regibus vſq; ad Iul. Cæſarem, tantum ſunt anni 480. At vero à I. Cæſare in Occidente quidem vſque ad Auguſtulum, durauit annis 500. In Oriente vero durauit annis 1495. Si quis obiiciat, *rempub. Venetam duraſſe iam annis mille & ducentis propè, & tamen non eſſe ibi monarchicum regimen*; reſpondemus, vnum exemplum nec facere nec tollere regulam, ſed oportere bonam inductionem aliquot exemplis conſtare. Et in ipſa repub. Veneta eſt omnino aliqua Monarchiæ imago in Duce reip. vt apparet ex egregio lib. *Caſparis Contareni de rep. Venetorum*, vbi oſtendit quatenus ad Monarchiam ea reſp. accedat.

5 *Per ſe & ſua natura facilior eſt gubernatio in forma regiminis Monarchica, quam in aliis.*

Id enim facilius eſt quod maximè ordinatum eſt, & quod maximè recedit à multitudine. Et eſt facilius vnum bonum & excellentem hominem reperire, qui regat, quam multos; neque tam facilè hîc oritur æmulatio & contentio, quia vnus eſt qui regit, atque oriri ſolet tunc, quando multi regunt. Neque is qui regit vt Mōarcha, poteſt in alio oneris ſui deponendi fiduciam ponere, ſicuti quidem fit vbi multi imperant; nam ibi vnus alterum reſpicit, & ab altero exſpectat quod ipſe debebat præſtitiſſe; quin & vbi multitudo eſt regentium, ſæpe mutantur magiſtratus, & ex iſta mutatione ſæpè oriuntur boni & felicis regiminis impedimenta.

6 *Si*

6 *Si ergò abſolutè ſpectetur τὸ βέλτιον, id eſt, hoc quod ex rei natura præſtantius eſt; vtiq; perfectiſſimus Politici ſtatus eſt Monarchia: ſin vero conſideretur τὸ αἱρετὸν, id eſt, non quidem id, quod ſuà naturâ præſtantius eſt, ſed quod reſpectu vitæ humanæ & imbecillitatum humanarum vtilius, ſiue optabilius eſt, non ſemper aliis reip. formis Monarchia præferri debet; quia imbecillitas humana non ſemper concedit, vt vnus aliquis reperiatur, qui cæteris omnibus, quos regere debet, virtute ſit præſtantior. Et ſi maxime daretur, non datur qui ſemper viuat.*

Hac diſtinctione quam Canon dedit, & ſolidè & facilè ſoluitur illa anxiè & ſollicitè à Politicis agitata quæſtio: *Quænam forma reipubl. ſit præſtantior, & , an Monarchia ſit præferenda Ariſtocratiæ & Democratiæ.* Nam ſi ſpectemus formam reipub. per ſe & ſuà naturâ, atque adeò abſolutè ſine conditionibus defectuum in vita humana, iam Monarchia neceſſariò palmam feret. Si autem has conditiones & hos defectus conſideres, nempe primò, quod difficile ſit reperire hominem, qui alios virtute antecellat, & ſub cuius imperio verus Dei cultus ac religio poſſit propagari. Secundo, quod Monarchæ omnes ſint mortales. 3, quod hac formâ regiminis periculoſius abuti homo poſſit quam aliis formis, vtique ipſa Monarchia fatebitur, non ſemper ex vſu reipub. eſſe vt abſolutè & ſtrictè retineatur. Sed, vt antè notauimus, methodus diſciplinarum id primò ſpectat ſemper, quod per ſe & ſuà naturâ eſt præſtantius. Talem autem eſſe Monarchiam,

proprietates eius probarunt, quas aliquot Canonibus docuimus. Et quib. etiam addi poſſunt hæ: nempe, quod *Monarchicus ſtatus ſit imago eius imperii quod Deus in creaturas exercet* Deus enim non Ariſtocraticè, nec Democraticè regit, ſed tantum Monarchicè. Deindè quod *Monarchia maximè conformis ſit naturali inclinationi*: Etenim beſtię, quę aliquod veſtigium regiminis habent, vt apes & grues vnum principem & ducem ſequuntur. Et anima rationalis corpori humano & animæ vegetanti ac ſentienti monarchicè dominatur. In Oeconomico etiam regimine vnum eſt caput, nempe Paterfamilias. Rationibus addamus autoritates: quod Deus ipſe Monarcham dederit ſuo populo; & teſtimonia gentium manifeſta ſunt in hiſtoriis, quod quàm primum homines aliquod regimen politicum conſtituerunt, ſiue in pagis & vrbibus, ſiue in prouinciis, vnicum ſibi principem aut regem delegerint. Homeri autoritas lib. 2. Iliad. nota eſt, & ab Ariſtotele reuerenter citata 12. Metaphyſ. (ad quem locum vide egregium diſcurſum Thomæ Aquin. de Monarch. in Metap. quæſt.)

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς, &c. hoc eſt:

Multorum dominatio non eſt bona, vnus ſit dominus, vnus rex. Plato in Politico multis diſſerit de Monarchiæ præſtantia. Ariſt. 8. Eth. c. 10. & 3. Pol. c. 5. & in 1. de hiſtor. an. c. 1. *In omni rerum genere*, inquit, *vnum quid eminere cernimus, quod cæteris eiuſdem generis dignius eſt.* Seneca lib. 2. de beneficiis inquit M. Brutum non ſatis prudenter feciſſe, cum Iul. Cęſ. ſpe libertatis occidit, & redidit

ditrationem; quia *optimus ciuitatis ſtatus eſt ſub iuſto rege.* Plutarchus in egregio opuſc. de formis rerumpub. inquit: *Si optio eligendi conceſſa fuerit, non aliam formam elegerim quam vnius poteſtatem.* Idem in Solone, cum dixiſſet Athenis infinitas ſeditiones ortas eſſe ſub Democratico ſtatu, addit: *Vna autem ſupereſſe ratio videbatur ad ſalutem & quietem, ſi res relata ad vnius dominatum eſſent.* Videant ſtudioſi Polit. Phil. Beroald. de optimo reip. ſtatu, Patricium lib. 1. de regno, tit. 3. Toloſ. lib. 5. c. 1. & ſeqq. Bodinum lib. 2. c. 2. Lipſium lib. 2. Polit. c. 2. Caſum lib. 3. Sphæræ ciuitatis, cap. 7. Vincent. Caſtellan. de officio regis, lib. 1. c. 1. Hippolytũ à Collibus, lib. De principe, c. 1. Iunium in quæſt. Polit. c. 1. quæſt. 4.

7 *Pro diuerſitate obiectorum, Monarchia vel anguſtior eſt vel latior; neq; enim tantum in prouinciis & regnis eſt Monarchia, ſed etiam in vrbibus eſſe poteſt, prout olim omnes vrbes fuerunt ſub Monarchis.*

Hunc Canonem propterea pono, ne quis exiſtimet nomine monarchiæ tantum intelligi principatus & regna ampla, ſicut quidem præſtans monarchiæ gradus eſt in regnis; ſed alias res ipſa, ſi abſq; gradu maiori ſpectetur, etiam eſſe poteſt in vrbe aliqua, imò in pago, vbi nempe vnus abſolutè cæteris imperat; quomodo quidem ſupra cum de vrbe præcognoſceremus, ex Ariſtotelis 1. Polit. cap. 2. citauimus locum memorabilem, quod prima vrbium imperia monarchica fuerint.

CAP. II.

De fundamentis, ſiue cauſis efficientibus remotis, principem & principatum conſtituentibus.

ET ſic quidem de Monarchia in genere. iam veniendum eſt ad ſpecialiora, & tractandum de ipſis correlatis; nempe primo de Principe, ſiue Monarcha, ſiue de gubernatore: pòſt de Gubernatis, ſiue de Subditis & ſubiectis Monarchæ, ſiue principi.

In Monarcha ergò ſiue Principe conſiderandum: 1, eſt ſubiectum ſiue perſona principatus capax: 2, cauſſa efficiens, ſiue fundamentum principale: 3, proprietates ex fundamento fluentes; & denique ipſum effectum, ſiue officium Principis, nempe Regimen & Gubernatio.

De ſubiecto, ſiue perſona gubernationis capaci, hic eſt Canon:

Perſona gubernationis & principatus capax per ſe & ordinariè debet eſſe Mas, Fœmina autem non niſi extraordinariè, quatenus nempe vel ſexum ſuum ſuperat, & virilibus ſiue maſculis dotibus prædita eſt; vel, etiam quatenus ineuitabiles quædam neceſſitates id interdum poſtulant, accedente ſubditorum conſenſu.

Grauis eſt & anxia quæſtio inter Politicos: *An fœmina debeat admitti ad gubernacula reip.*

reipub. Nonnulli enim id ſimpliciter negant, ac dicunt *imperium fœminæ diuino ſimul atque humano iuri repugnare.* Diuino quidem, quia Deus 1. ad Tim. 2. vt etiam Geneſ. 3. diſertè ſanxit, vt vir ſit caput mulieris. Idcirco Eſaiæ 3. inter alias comminationes, quibus Deus teſtatur ſe hoſtes ſuos vlturum eſſe, hanc quoque diſertè addit, quod eos velit fœminarum imperio ſubiicere; quaſi nempe id omnium miſeriarum extremum ſit, & ſumma ignominiæ nota. Humano vero iuri aiunt eſſe aduerſum, propterea quod l. 2. de regulis iuris, fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus remoueãtur; ſi autem remouentur ab officiis ciuilibus, vt à tutela, &c. quantò magis remouebuntur ab imperio politico, quod longè ſuperat omnia eiuſmodi officia ciuilia. Ariſtotelis locus memorabilis eſt 1. Polit. cap. 5. τὸ ἄῤῥεν ἄρχον· τὸ δὲ θῆλυ ἀρχόμενον: *Mas eſt quiddam imperio natum, fœmina autem ad parendum.* Apud Stobæum ſerm. 72. dicitur: *Ea familia quæ à muliere gubernatur, nunquam felix fuit.* Quod ſi ergo in domeſtica ſocietate inconcinnum eſt & indecorum fœminæ imperium, quantò magis in Repub? Plinius in Panegyrico: *Sufficiat fœminis obſequi gloria.* Tacitus, *Fœmina*, inquit *Romæ dominatur in tantum non modo à libertate, ſed etiam à ſeruitute degenerauit.* Et in verſibus Sibyllinis pro indicio euerſionis mundi affertur, quod circa finem mũdi vidua aliqua in amplo imperio ſit dominatura. Vide latius Toloſanum libr. 7. de repub. c. 11. vbi inquit: *Nec docere poteſt fœmina, nec teſtis eſſe in iudicio; quanto minus poterit imperare?* Et citat ibi Auguſtinum, qui in quæſtionibus ſuper Vet.

Teſtamentum, quæſt. 45. ſic ratiocinatur: *Fœmina ad imperium admiſſa, aut marito nubet, aut cœlebs non erit. Si nupſerit, ea lege nubet, vt maritum habeat ſub ſua poteſtate, atq; adeò contra naturam coniugii marito imperet*; (cuius rei horribile exemplũ vide apud Buchananũ lib. 8 & 10. hiſtoriæ Scoticæ) *Sin autem non nubet, iam præſens eſt periculum libidinum, & ſubditi non poterunt diu ferre ardentis atque impotentis fœminæ imperium*. Qua ſimili argumentatione etiam prudenter diſputat Bodinus contra fœminarum imperium, lib. 6. c. 5. Sed cõtra diſputant alii autores, ita vt ſint tela non imbellia pro imbelli ſexu, vt ait Lipſ. lib. 2. Pol. c. 3, & Caſus lib. 1. cap. 3. *Natura*, inquit, *fœminam ſæpè ſolertem, induſtria literatam; educatiò, piam; experientia ſapientem fecit*: & allegat exemplum Reginæ ſuæ Eliſabethæ, talis ꝑfectò fœminæ, quæ virorum vel heroicas virtutes æquaret. Vide etiam Toloſanum lib. 6. c. 11. Chaſſanæum in Catalogo gloriæ mundi, parte 2. conſideratione 8. Vide etiam Picol. gr. 6. philoſophiæ mor. c. 10. & Iunium parte 1. quæſt. Politicarum, quęſtione 13. Tota controuerſia determinatur iſtâ limitatione, quã canõ dedit; nempe quod fœminarum natura conſideretur vel ordinariè, quatenus hic ſexus eſt maſculino inferior, & eatenus nullo modo fœminis imperium eſſe committendum propter datas rationes. Sin verò fœminam conſideres extraordinario modo, quatenus Deus & natura eam inſtruit interdum maſculis virtutibus, atq; adeo quodammodo ex fœmina marem facit, ſi non corpore, ſaltem animo & affectibus, eatenus ſceptrum fœminis etiam tradi

di poteſt, pręſertim ſi ſpecialis conditio & neceſſitas regnorum accedat, qualis conditio eſt regni Anglici, Scotici, &c. vbi antiquo ſubditorum cõſenſu, fœminæ admittuntur ad gubernacula, vt euitentur horribilia incommoda, quibus regna iſta premi poſſunt temp o e interregni: Et ſic hanc quæſtionem videntur determinare verba Taciti, quæ Lipſius dicto loco citat: *Inueniuntur fœminæ, quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerunt.*

Tantum de ſubiecto principatus; ſequitur fundamentum ſiue cauſa efficiens principatus: quæ eſt vel remota, vel propinqua, vel proxima.

Fundamentum principatus remotum eſt vel minus principale, vel principalius.

Minus principale fundamentum, eſt conſtitutio corporis excellentior, de qua ſunt hi Canones:

1 *Auguſtam principis perſonam, auguſtum decet corpus, tum vt omni genere virtutum tam corporis, quam animi eos ſuperet, quos imperio ſuperat; tum vt externa corporis ſpecies indicium prabeat pulchri & concinni animi; tum deniq; vt ſubditos ad maiorem venerationem & reuerentiam iſta externa & in oculos incurrente ſpectabilitate corporis, atq; maieſtate commoueat.*

Porphyrius in prædicab. citat Euripidis verſum,

πρῶτον μὲν εἶδος, ἄξιον τυραννίδος,

Primo omnium corporis ſpecies digna eſt imperio.

Et idem Porphyrius alibi inquit: *Quorum animi iniqui ſunt, hi corpora habent deformia;*

& nobis natura datum eſt, vt contemptui apud nos ſint, qui turpi ſunt corpore: contra vero corpore ſpectabiles diligamus & veneremur. Quò Vergilius reſpexit: *Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.* Et Pythagoras exiſtimabat corporum ſtructuram ſimilem eſſe ſtructuræ animi, & diſtorta membra eſſe effectũ atq; adeò teſtimoniũ animi prauis affectibus diſtorti: idcirco ſcholæ ſuæ appoſuit inſcriptionem, *ne quis tam ingrederetur qui eſſet malè cõſtructâ corporis compage, & deformi vultu.* Nec tantum deprauata, ſed etiam inauſpicata habebantur deformia apud Veteres; de quo latius legi poteſt Iohan. Porta lib. 6. phyſiognomiæ cœleſtis. Hinc nempe legimus in hiſtoriis, quod gentes Scythicæ & aliæ in oriente eum Regem elegerint, qui corpore eſſet omnium ſpecioſiſſimo. Et ſanè in hiſtoria Saulis apparet, quod corporis ſpecies & proceritas in eo quoq; ſpectata eſſet. Curtius lib. 5 *Pleriſque gentibus*, inquit, *in corporum maieſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos ſpecie eximia & egregia donare natura dignata eſt.* Et Dius Pythagoricus apud Stobæum, ſermone 63. *Reuerendum quid & admiratione dignũ continere videtur pulchritudo corporis.* Caſtilionæus in aulico ſuo, libr. 4. pulchros habet de pulchritudine corporis diſcurſus, & inter alia ſcribit Platonicis viſum eſſe, pulchritudinem eſſe inſtar circuli, cuius centrum ſit bonitas, vtque circulus nequit eſſe ſine centro, ſic pulchritudo nequit eſſe ſine bonitate. Id quod tamen interdum fallere paulo poſt monebimus. Addit autem

tem Caſtilionæus ibidẽ: *Statura pulchra eſt tropheum, quod victrix ſtatuit anima, quando diuina natura vincit materiam & ſuo lumine corporis diſcutit tenebras.* Et Patricius libr.2. de regno, cap.2. *Oris & corporis deformitas virtutis gloriam minuit, & hominem reddit obnoxium detrectatoribus.* Gratianus diſtinctione 47. ex Auguſtino citat hęc verba: *Cuius facies deformis eſt, vix poteſt habere bonos mores.* Quam ſententiam ẽt Chaſſanæus citat parte 5. de gloria mundi, conſideratione 18. Strabo refert [a] Indos, qui Catheam incolunt, & Æthiopes neminem elegiſſe principem niſi formâ decorum. Idem de aliis nonnullis gentibus refert Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 33. Panormitanus, in lib. de dictis & factis Alphonſi, refert Bartholomæum Catram, Epiſcopum Mediolanenſem neminem ad miniſteria aulæ ſuæ [b] admiſiſſe, niſi qui formâ præſtaret, & addidiſſe rationẽ, *quia improbitas in egregia forma raro comperta ſit.*

a lib.16. & 17.

Columella libr.9.c.10. dicit apes alium ducem non ſequi, quã eũ qui ſpeciei eſt inſignioris.

b *Plutarch: in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς dicit regem Archidamum apud Lacedamonios pecuniá eſſe mulctatum, quod vxorem paruæ ſtaturæ duxiſſet: dixerunt enim;* Sic non Reges nobis, Sed Regulos aut Regunculas generabis.

2 *Pulchritudo corporis conſiſtit in proportione membrorum, & in ſuauitate coloris: quæ vtraque in viro principe optanda eſt, ſed ita tamen, vt ſemper dotes animi præferantur dotibus corporis; & ſi ſimul coniuncta eſſe non poſſint, magis reſpiciendum eſt ad principalia fundamenta & requiſita principis; quam ad hæc minus principalia.*

Si virtus adſit, facilis eſt iactura formæ; non enim in fronte, ſed in [a] mente ſedent virtutes, vt

diſſerit Caſus, 3.Pol.c.11.Et, præſtat regem,quam regnum oculo carere; præſtat regem, quam regnum claudicare. Nec enim corporis deformitate animus fœdatur, ſed pulchritudine animi corpus ornatur, inquit pulcherrimè Seneca epiſtola 77. Et deprauati animi labes formæ ſpecie aliquando contegi poteſt, ita vt in eburneo & gemmeo corpore animus habitet ſtercoreus: id quod multa exempla teſtantur principum, quorum corpora pulcherrima & ſpecioſiſſima fuerunt, animus vero turpiſſimus. Bernhardus ſerm. 25. ſuper cãticum cãticorum: Eſt, inquit, *nigredo quadã felix, quæ mentis candorem coniunctũ habet.*

a *Nero fuit forma eleganti, & tamen homo peſſimus. Item, Maria Scotiæ regina, beſtia iſta fuit formâ incomparabili, & tamẽ malæ naturæ. Contra Æſopus fuit formæ turpis, & tamẽ ingenio excellebat. Item Socrates Apollinis oraculo ſapientiſſimus proclamatus, fuit turpis forma: vnde etiam quidam videns Socratem dixit*: ô excellens anima, quàm deforme hoſpitium nacta es!

2 *Ad naturalia fundamenta & requiſita principis hoc quoque pertinet, vt ſit natus in ea gente, cui imperat, niſi fortè circumſtantiæ quædam ſingulares, & incomparabilis virtus, aut conditio & neceſſitas regni exteri, & peregrini alicuius præſidium & ſceptrum requirat.*

Sollicitè diſputant Politici: *An peregrino tradendum ſit ſceptrum imperii*; & ſunt pleriq; qui negent, idq; ꝓpter has rationes: 1, quia inter principalia fundamenta felicis principatus, eſt amor patriæ & ſubditorum, tanquam popularium: qui quidem amor arcana quadã vi rapit animos principis, vt ſalutem patriæ quærat, neque cogitet ita facilè de regno in quo natus eſt deſerendo. Nunquam

quam enim ex Polonia profugiſſet Henricus III. ſi in Polonia natus fuiſſet. 2, patria communis continet in ſe ſingularem quandam obligationē conſcientiæ, ita vt ſecundum leges naturæ rectius regimen ſuum inſtituat, qui in eo loco natus eſt, cui per legem naturæ obligatur; tribus enim naſcimur, & tribus obligamur præcipuè; Deo, Patriæ & Nobis. 3, Princeps alienigena volet conformare mores ſuorum ſubditorum iuxta id, quod vſitatum eſt in ipſius patria, ſicq; rempubl. non emendabit, ſed perdet, vt Toloſanus inquit lib.7.c.4.num.13. 4, etiam præiudicioſum valdè eſt, & cedit in contemptum gentis, ſi exterū principem quærat, quaſi ita nouercam habeat patriam, vt neminem producat tam excellenti virtute præditum, qui dignus ſit qui ad gubernacula patriæ admoueatur. 5, allegant exempla; 1, populi Iſraelitici, cui Deut. 16. diſertè Deus iſtam legem tradit, vt regem ex numero fratrum ſuorum eligant; 2, allegant exemplum Lacedæmoniorum, de quib. Plutar. in Lycurgo ita inquit: Lycurgus apud Lacedæmones omnibus viribus & legibus contendebat, ne peregrini in vrbem admitterētur, multò minus ad rerum gubernacula admouerentur. Conſiderandum etiam eſt exemplum Romani imperii, ad quod nemo admittitur niſi Germano ſanguine natus: ſummum decus imperii ad exteros perferendum nō eſſe, legib. cautum eſt, inquit Sleidanus, vel potius apud Sleidanū Electores in deliberatione de electione Caroli V. anno 1519. In inclyta Venetorum republic. & magiſtratu peregrinis non eſt locus, inquit Patricius lib.3. de inſtit. reipublic. titulo 2. Ciceronis

etiam autoritas à nonnullis allegatur, qui 2. De oratore inquit: *Caput reip. eſt perſpectos habere ciuium mores*; quod peregrino eſt denegatum. Vide b latius Bodinum lib. 6. c. 5. vbi etiam hoc argumentum affert minimè contemnendum: *Non poterit enim*, inquit, *peregrinus princeps à periculis tutus eſſe, niſi validiſſimo præſidio ſeipſum inprimis, deinde arces munierit: illa vero externa præſidia multum incommodi ſecum trahunt, & ad tyrannidem viam parant.* Sicut etiam infra audiemus, quod ſi princeps cuſtodes ſui corporis aſſumat exteros, nō leuis ſuſpitio tyrannidis oriatur; quod inter alios diligenter notauit Buchan. libr. 18. hiſtoriæ Scoticæ, vbi, inquit, *Mariam reginam ſuaſu Dauidis Ricii, Italos ſui corporis cuſtodes elegiſſe*; & addit: *quæ proxima ad tyrannidem via eſt.* Atq; hæc quidem ita diſputantur in eam partem, quę negat peregrino eſſe ſceptrum imperii committendum. In alteram partem non multæ quidem rationes afferri poſſunt; ſed neceſſaria tamē eſt illa limitatio, quæ in Canone extat de ſingularibus alicuius regni tum conditionibus, tum neceſſitatibus. Nam ſi regnum ita ſit comparatū, vt æquabilitatem libertatis ſuę commodè ſeruare non poſſit, quando aliquem ex incolis atque indigenis ad regni gubernacula aſſumit, vtiq; per eiuſmodi circumſtantiam licebit ad exterum aliquem reſpicere; & poteſt incidere tempus eiuſmodi, vt peregrino deferri faſces expediat, ſi vel ſtatus reipubl. per indigenas ipſos turbatus, ab indigena nullo reſtaurari poſſit, ſed exteri alicuius præſidium requirat. Quibus caſibus pro cynoſura eſſe debet lex illa 12. Tabularum: *Salus populi*

puli ſuprema lex eſto. Sic Florentini Ruperto regi Neapolitano imperium ad annos 5. commiſerunt, pro inſtauranda republ. ſeditionibus concuſſa; & iidem Florentini Carolum Calabriæ Ducem ad annos vitæ principem ſuſceperunt & tolerarunt, vt ſeditionibus medelam aliquam afferret. Poloniæ proceres cauſis grauiſſimis non carent, cur exteros ad regni gubernationem ſubinde aduocent, vt nempe paritatem & æquabilitatem libertatis inter ſeſe poſſint conſeruare. Iohan. Herbortus in Chronolog. Poloniæ, libr. 11. procœmio: *Per nongentos*, inquit, *aliquanto plures annos ſemper Polonia ad Caſimirum vſque Regem ſui generis reges & principes habuit, Wenceſlao Bohemo excepto, qui regnauit circa annum Chriſti* 1300. Deinceps vero à Caſimiro exteri apud Polonos regnarunt, quorum poſteritas ad hunc vſque diem durat atque feliciter regnat. Et nunc quidem difficilius foret, quam antea, indigenam aliquem regem eligere, poſtquam libertas, atque adeo æqualitas procerum & nobilium (libertas autem ab æqualitate & paritate potiſſimum pendet) vehementer creuit in interregno, quod fuit poſt Sigiſmundum Auguſtum, & per iſta pacta, in quæ iurauit Henricus è Gallia ad regnum vocatus, anno 1573. Cæterum illud laudabile eſt, quod etſi exteri, id eſt, tales qui non ſunt in communi nobiſcum patria nati, propter particulares conditiones regnorum ad gubernacula vocentur; habeatur tamen ſanguinis ratio, ſicut Carolus V. etſi eſſet natus non in ſuperiori, ſed inferiori Germania, tamen quia natus

fuit è Germanico ſanguine, habitus fuit pro Germano.

b *Non ita ſtrictè Bodini ſententia intelligenda eſt, quaſi planè nulli peregrini ſint admittendi; ſed loquitur Bod. de illis qui valdè multos exteros ſecum habent, quos ſolos ſui corporis conſtituant cuſtodes. 2, ſi illi tales ſint, quibus non poſſis fidere. Admitti igitur poſſunt ad regis cuſtodiam peregrini; niſi ſint pauci; 2, ſi ſit probata eorum fidelitas. Ita Papa Romanus non Italos, ſed Heluetios habet Germanos homines & Bauaros; vtpote quorũ fidelitas tot ſeculis iam eſt probata. Item, Dux Florentinus non tam Italos, quam Germanos habet ſui corporis cuſtodes. Item, Rex Poloniæ multos habet Germanos, & tamẽ nihil ſibi propterea metuunt Poloni.*

4 *Is qui nobili loco & familiâ natus eſt, potius ad principatũ admitti debet, quam is, qui ex ignobilibus parentibus ortum duxit, niſi particulares neceſſitates & conditiones diuerſum ſuadeant.*

Inter fundamenta principatus merito etiam collocatur Nobilitas; idq; propterea, quia nobiles perſonæ præſumuntur habere maiora ſemina virtutis, vt in Ethicis docuimus, & eſſe procliuiores ad impetus heroicos; & quia minus inuidiæ apud ſubditos habiturus eſt princeps nobili familiâ natus; & deniq; quia ipſum ſtemma & inſignia nobilitatis ac recordatio magnarum rerũ à maioribus geſtarum maiorem reuerentiam & venerationem principi conciliabit. Vnde Latinus Pacatus in Panegyrica oratione ad Theodoſium prudenter inquit: *Is ad regendam Rempub. deligendus eſt, cui felix patria, cui domus clara, cui forma diuina, cui ætas integra, cui denique militarium & ciuilium rerum vſus contigit.* Probant idem gentium hodiè omnium conſuetudines, vtpote quæ non facilè plebeium aliquem hominem ad rerum faſtigia euehunt. Sed dicimus tamen

men conſiderandas eſſe particulares conditiones regnorum: habuit enim Deus ſuas cauſas cur Saulem & Dauidem è media plebe eueheret ad regni apicem; & ſæpè incidunt eiuſmodi neceſſitates, quæ ſuadent vt vel ſorte vel alio aliquo peculiari indicio gubernaculis regnorum admoueantur plebei, cuius rei exempla paſſim extant in hiſtoriis. Et eſt memorabile inprimis id, quod in regno Poloniæ accidit. vbi planè ex infimo hominum genere ad principatum euectus fuit Piaſtus; de quo vide Herbortum lib. 1. hiſt. Polon. c. 12. *Anno Chriſti 800.*

5 Pertinet etiam ad fundamenta principatus iuſta ætas; nempe, ne vel puero, vel aliquin nimis immaturâ ætate adoleſcenti gubernatio committatur.

Ferè omnes Politici hanc quæſtionem habent; *An iuueni gubernacula reip. comittenda ſint*: Et nó eſſe committenda, hæ rationes ſuadent: 1, quia ad rectè gubernandum requiritur maturitas iudicii & varius rerum vſus, quem ætas demum affert, vt inquit Cicero 1. De orat. Et Ouidius 6. Metamorph.

—— Seris venit vſus ab annis.

2, ratio eſt, quia iuuenilis ætas eſt flexilis, & prona in voluptates & flagitia, vt Horatius inquit; *Imberbis iuuenis.* Item, *Cereus in vitium flecti.* 3 ratio, quia nulla eſt authoritas iuuenũ apud ſubditos, vt Plutar. in egregio lib. *An ſeni regenda ſit reſp.* Non in iuuenum, ſed ſenum vultu veneranda maturitas apparet. Et celebratur Baldi Iuriſconſulti dictum; *Plus valet vmbra ſenis, quam*

gladius iuuenis. Hinc apud Eccleſiaſten dicitur; *Væ regno, cuius rex puer eſt.* Et Ariſtoteles 7.Polit.cap.14.*Iuuenilis ætas*,inquit *ſenili ætati ſubiicienda eſt.* Solon lege ſanxit, *ne quis iuuenis ad magiſtratum aut conſultationem admitteretur, quamuis haberetur prudentiſſimus.* Sed in contrarium etiam aliæ ſunt rationes,non quidem pro puerili ætate,nec pro penitus immatura adoleſcentia, ſed pro ætate iuuenili, quæ ab anno 18.incipit. Nam 1.robur & ſanitas corporis valdè eſt requirenda in principe, vt ſupra docuimus. At vero iſta non in ſenili, ſed iuuenili corpore quæri debent; vtpote quod maxime aptum eſt & firmum rebus gerendis. 2.ſi ſenes eligantur, crebra accidit rerumpublic.mutatio; contra autem ſi iuuenes ſceptra capiant, diuturnior erit gubernatio. 3.poterunt iuuenes magis aſſueſcere conſuetudinibus regnorum,& ſeſe accommodare ſubditorum ingeniis; cum contra, ſenes ſint moroſi, & minus tractabiles.

Denique non tam ætas reſpicienda eſt, quam virtus:ac vt multi ſenes ſunt pueri, ita non pauci ſunt iuuenes, quibus animus eſt ſenilis, inquit Cicer. in Catone M. *Multi antiquorum tempora præueniunt meritis, & quod deeſt ætati, virtutibus compenſant*, inquit Bernhardus. Imperium conſulare apud Romanos nemini niſi 43.ætatis anno exacto capere licuit. Sed tamẽ multis citra eam ætatem,ſi quid dignum operæ precium reipublic. præſtitiſſent, conſulatum gerere permiſſum fuit. Vide Alexandrum ab Alexandro libr.3. genialium dierum,cap.3. Et in Bulla aurea imperii Romani ad Electoratum & alios prin-

principatus imperii admittuntur iuuenes 18.annorum. Quærunt hîc politici porrò: *An Princeps ob ætatem decrepitam ſit amouendus à republ. & ſubſtituendus ei talis, qui viribus corporis & animi integer eſt.* Et reſpondent quidam, principem ætate decrepitum nullâ ratione à repub. amoueri poſſe, quin potius faciendum eſſe id, quod fecit Alexander Magnus equo ſuo Bucephalo; cum enim is conſenuiſſet, curauit eum geſtari per alios equos vſque ad locum pugnæ, vbi deinde eo demum feliciter vſus eſt ad hoſtes inuadendos: Sic etiam magiſtratum ſenio confectum, ſubleuari debere per conſiliarios, & alios Senatores regni, vt ætatis imbecillitati per aliorum auxilia ſuccurrant.

Alii vero qui rigidius ſentiunt, exiſtimant principem ætate iam confectum, & ad gubernacula regni inhabilem, remouendum eſſe à regimine; ſed ita tamen, vt ex publico ſuſtentatio ei tribuatur eâ perſonâ quam ante geſſit, non indigna. Verum non poteſt decidi hæc quæſtio, niſi reſpicias *an regnum ſit ſucceſſiuum, an vero electitium*; nam ſi ſucceſſiuum regnum ſit, nō apparet, quomodo princeps poſſit propter ætatem regimini ineptā remoueri; quod fortaſſis facilius fieret in electitio regno.

6 *Fortuna etiam bona, nempe opes & potentia inter fundamenta principatus reponi debent.*

Omnia bona requiruntur in Principe, animi, corporis & fortunæ; ſed controuertitur apud Politicos: *An diues pauperi præponendus ſit in demandando magiſtratu.* Quam quæſtionē nōnulli

ſic determinant, quod in laudata politia magiſtratus non ſit committendus niſi viro bono, & ad rempubl. gerendam idoneo. Quo præſuppoſito, aiunt nec nimium diuitem, nec nimium pauperem ad magiſtratum gerendum aſſumi debere; quæ etiam eſt ſententia Ariſtotelis 4. Pol. c. 11. Qui enim ſupra modum pauper eſt, propenſus eſt ad fraudes & captat munera, & depeculatur rempub. Vnde Plutarch. in Lycurgo inquit: *Paupertas eſt magnus reipubl morbus.* Quem quidem morbum vt Romani curarent, neminem ad magiſtratum admiſerunt, qui non per annos 10. ſuis bonis propriis honeſtè vixiſſet, vt annotat Valerius Maximus lib. 4. c. 4. Contra vero qui ſupra modum diues eſt, is ad inſolentiam & ὕβριν propendet, ſicut inquit Ariſtoteles 4. Politicor. cap. 12. *nimiæ diuitiæ excitant inſolentiam; ex inſolentia autem oriuntur intolerabiles iniuriæ*, vt inquit 5. Polit. cap. 7. Ex iniuriis autem & contumeliis oritur regnorum euerſio, 5. Polit. 2. & in Rhetoric. ad Theodecten, cap. 17. Medius itaque ſtatus optimus eſt, &, per conſeq. appendendum, vt talis magiſtratus aſſumatur, qui mediocribus opibus ſit inſtructus, & magis tamen ad diuitias & potentiam declinet, quam ad paupertatem; quia diuites occaſionem habent maiorem acquirendæ experientiæ, vt ratiocinatur Ariſtoteles 5. Pol. c. 9. & quia diuites magis cupiunt in luce viuere, pauperes autem malunt deliteſcere: & deniq; quia pauperes curâ rerum domeſticarum impediti, negotia publica negligunt.

Hæc quidem ita diſputantur à Politicis; ſed accu-

accuratiori tamen opus eſt diſtinctione. Nam ſi quæratur de magiſtratu Ariſtocratico, qualis eſt in vrbibus & rebuſpub. rectè dictum fuit, quod reſpiciendum ſit ad diuitias, & ad cenſum. Si autem loquamur de Monarchia, & de principe abſoluto, vtique non ita ad priuatas poſſeſſiones reſpici poteſt, cum omnes reditus regni vel principatus pertineant ad talem principem qui abſolutè dominatur. at cum huius principis omnia illa ſint, quæcunque in eius principatu annuis reditibus proueniunt, ad reipubl. non tantum neceſſitatem, ſed etiam commoditatem & ſplendorem; ita vt princeps is etiam eſſe poſſit, qui nullas habet diuitias alias, quam publicas quæ eſt natura Monarchiæ, in qua nēpe principis ſunt omnia, quæcunq; ad felicem gubernationem principatus requiruntur, vt non oporteat diſcrimen facere inter diuitias principis & diuitias principatus. Niſi fortè in regno electiuo princeps aliquis ſit admotus ad gubernacula regni, qui ad iſtius principatus, quem antea habuit, reditus, & bona nolit iſti principatui, ad quem electus eſt, incorporari.

Hac vſque fundamenta Monarchiæ remota minus principalia; ſequuntur fundamenta remota principalia: quæ ſunt tum affectus, tum virtutes.

Affectus in Monarcha conſideratur vel generaliter, vel ſpecialiter.

In genere Monarcha, ſiue princeps, affectus

ſiue appetitum & voluntatem, ſiue motus cordis heroicè bonos habere debet.

Mala enim anima, male imperat, inquit Plato 1. De legibus.

In ſpecie hos inprimis affectus bonus princeps habere debet, nempe amorem ſubditorum, vt omnia cupiat ad eorum ſalutem referre, atq; adeo inclinationem & propenſionem ad benè imperandum. 2, conſcientiam, quâ nempe Deum timeat & metuat infamiam.

Primus affectus boni principis, eſt amor ſubditorum & firmum propoſitum, quod non tam ſuo, quam parentium bono velit imperare, atq; omnia ad ſalutem non ſuam tantum, ſed inprimis ſubditorum referre. Ex hoc enim affectu pendét omnes reliquæ virtutes, quæ in bono [a] principe requiruntur: ſicut ex amore parentum in liberos pendent omnes virtutes pertinentes ad felicem liberorū educationem. Eſt enim amor vehemens impetus & impulſio cordis ad quærendam ſalutem rei amatæ; quo impetu quando corda principum concitata ſunt; vltro ſequuntur alii motus affectuum & voluntatis, è quibus promanant deinde actiones virtutum omniū, quæ ad principis officium neceſſariæ ſunt. Idcirco Ariſt. 8. Eth. c. 10. dicit hoc eſſe præcipuum diſcrimen inter tyrannum & regem, quod tyrannus ſuam, rex eorū, quib. imperat, vtilitatē ſpectat; & addit præclariſſima verba: *Rex non eſt, cui ſua non ſunt ſatis, quiq; non omnium bonorum copia antecellit.* At qui talis eſt, nihil præterea deſiderat, ideoque non

ſua,

ſua, ſed eorum quib. præeſt, commoda ſibi proponit. Plato 1. De repub. *omnis qui gubernat quæcunq; dicit & facit, ad illorum tantum utilitatem & decus dirigit quos gubernat*. Cic. 5. De rep. & 8. epiſtolarum ad Atticum: *Moderatori reip. beata ciuium vita propoſita eſſe debet.* Quod dictum plenius ſupra citauimus. Vnde laudatur admodum vox Hadriani Imper. qui in concione ſæpè dixit: *Ita ſe rempub geſſurum, vt ſciret populi rem eſſe, non propriam.* Vox aurea, & res multò magis, quam præſtatur, inquit Lipſius 1. Pol. c. 6. Vide prolixius de hac materia, & quidem pulcherrimè diſſerentem Vincent. Caſtellanum libro 1. de off. regis, c. 28. Quando a. dicimus in Principe hunc affectum requiri, vt habeat propenſionem ad principatum ſuum, mouetur non leuis ſanè controuerſia inter Politicos: *An inuitis magiſtratus ſit offerendus, & quodammodo obtrudendus*: ſiquidem multi reperiuntur præſtantes viri, qui oblatum principatum recuſant, propter nēpe difficultatem iſtius muneris, quo nullum eſt in terris magis arduum, & propter hominum malitiam ac ferociam. Ac in partem quidem negatiuam, quod inuitis non ſit principatus obtrudendus, hæ ſunt rationes: 1, quia inuiti carent ſtimulis ad res benè gerendas. Vnde Comicus dicit: *Inuitos canes in venatum ducere, id vero nihil eſt.* 2, quod eſt inuitum, id non eſt diuturnum; cum inuitum ſit quodammodo violentum. Itaq; ſi maximè inuitus principatum ſuſcipiat, tamen non poterit diu feliciter eum gubernare, aut facilè degenerabit in tyrannum inuitus princeps, & exprobrabit ſubditis hoc ipſum, quod ſe inuitū

ad imperium traxerint. Sed ita decidenda quæſtio eſt. quod ſi delectus haberi poſſit; & , ſi plures ſint excellentes & ad principatum apti, & denique ſi tempora reipub. ſint libera, & non expoſita extremis neceſſitatibus, vtique non eſſe cuiquam inuito imperium obtrudendum, ſed ſpontaneam propenſionem reſpiciendam eſſe. Sin vero delectus non detur, & ſi neceſſitas reip. extrema poſtulet, tum etiam inuitos eſſe trahendos ad principatum; idque propterea, 1. quia quilibet obligatur & tenetur id præſtare patriæ, quod poteſt: & poſſumus omninò cogi ad quærendam aliorum ſalutem, quando in nobis ea ſunt, quæ ad iſtam ſalutem pertinent. Sicut videmus naturam particularem cogi quodammodo, vt obſequatur naturæ vniuerſali, quando eſt periculum vacui.

Altera ratio eſt à ſimili: Vt natura iubente vna pars corporis diſcrimen ſubire cogitur, & ſectiones atque vſtiones pati, ne totum corpus pereat; ita requirit lex naturæ, vt boni viri, qui ſunt partes ſocietatis humanæ, periculoſum magiſtratum ſubeant potius, quam vt tota reſpub. naufragium patiatur. 3. ratio eſt ab exemplis rerumpublic. quæ mulctare eos ſolent, qui magiſtratus & officia publica recuſant; de quibus exemplis vide Iunium parte 1. quæſt. Pol. quæſt. 8. Neque vero hîc loquimur de iuſtis excuſationibus, vt eſt excuſatio ætatis, vel imbecillitatis & morbi, ſed tantum de prætextibus, & de metu periculi, ob quem multi excellentes viri magiſtratum recuſant. Hanc quæſtionem qui volet,

let, etiam legat tractatam à Caſo lib. 2. Sph. ciu. c. 7. quæſt. 4.

a *Epaminondas cum ciues ſuos ebrios ex conuiuio deportari videret, ne tamen ciuitas periclitaretur, ipſe vigilans ciuitatis muros circumiuit totâ nocte, inquiens:* Ego vigilo, vt illi dormire poſſint. *vt refert Plutar. in vita Epamin. Item Alexander M. cum exercitum ſuum in Indias traduxiſſet, perq; arida loca diu ambulaſſet, ita vt ſiti ferè omnes perirent, tum vnus militum equo velociſſimè præcurrens, quæſiuit aquam, & inueniens tandem fluuium Oxum, inde hauſit aliquid regiq; attulit. Sed rex bibere noluit, ſed aquam in terram effudit, dicens:* Ego bibam, reliqui ſitient? *Et cum ad fluuium venirent, ille prius bibere noluit, quam cum omnes ſitim ſedaſſent, & iis qui inter extremos erant, aquam afferri juſſit, vt ſcribunt Curtius & Arrianus.*

Et tantum quidem ad explicationem prioris affectus, nempe boni amoris ac propenſionis erga regnum ac ſubditos. Alter affectus non minus neceſſarius principi eſt Conſcientia, per quam agnoſcit primò ſe habere aliquem ſuperiorem, quem non regat, ſed à quo regi debeat, & quem debeat metuere. 2, vt agnoſçat ſe quoq; habere b normas ſuarum actionum, etiamſi normas aliis poſſit præſcribere; normas, inquam, diuinarũ & hum. legum, ſecundum quas regimen ſuum inſtituere debeat, & ex quib. diſcendum ſit, non ſtatim licere Principi quod libet Principi. Neq; .n. Princeps eſt ſupra leges abſolutè & ſine omni reſpectu, ſicut infra latius probabitur, vbi de actibus ſiue effectibus Principis tractaturi ſumus.

b *Ne cogitet Princeps aliquis ſe omnibus legib. omnino eſſe ſolutum; nam etſi in regno ſuo liberè quiduis perpetrare poſſit, nec tamen pro iudicio ſiſti, facilè fieri poteſt, vt alius quidam princeps eum detineat, & in ſuum regnum pertrahat, vt ibi*

cogatur reddere rationem ſuorum factorum; imò etiam capite plecti, ſicut accidit Neroni, qui etiam gloriabatur ſe non leges accipere, ſed dare: *nam niſi is violentas ſibi ipſi manus inferens, ſupplicium de ſe ſumſiſſet, à populo Romano grauiori fuiſſet ſupplicio affectus.*

3. Ad conſcientiam Principis pertinet, vt metuat famam, ſiue infamiam apud præſentes homines & apud poſteros, atq; adeò inprimis ſecũ perpendat hæc duo: 1, quod peccata principum tanto maiora ſint, quantò maior eſt peccantium maieſtas, ſecundum illud: *Omne animi vitium tantò conſpectius*, &c. atq; adeò conſideret leuiſſima quæq; principum peccata grauiſſima videri, eaque omnium celerrimè in vulgus emanare, ſicut monet Seneca lib. 1. De clementia: *Regum dicta factaq; rumor excipit.* Ideò Principes etiam debent multa[b] famæ dare, id eſt, debent operá impendere, vt famam de ſe honeſtam excitent; id quod ibid. probat egregio C. Auguſti exemplo; quod exemplum latius deducit ex Sen. Caſtellanus lib. 1. de off. regis, c. 30. Secundo cogitet Princeps, ſe exemplo vitæ ſuæ in vtramq; partem plurimum poſſe, ita quidem vt bono exemplo felicius regere ſubditos queat, quam omnibus edictis & mandatis, ſecundum illud Claudiani:

——Non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent quam vita regentis.

Contra vero exemplo malo plus mali in toto regno excitari poſſe, quam omnibus legibus & edictis, boni. Quod vero dicimus de metu infamiæ apud præſentes & poſteros, id diligenter etiam principi obſeruandum eſt, vt nempe ſic viuat & regat, ne in hiſtoriis olim eius facinora & ſcelera

ſcelera ad omnem poſteritatem propudioſè cõmemorentur; id quod grauiter monet Tacitus lib. 4. annal. inquiens: *Irridenda eſt eorum principum ſocordia, qui præſenti potentiâ credunt extingui poſſe etiam præſentis æui memoriam.* Quod monitum politicum egregiis exemplis illuſtrat Caſtel. lib. 1. de off. reg. cap. 68. vide etiam de conſcientia principis Lipſium lib. 1. Pol. c. 5.

b *Hoc præceptum de bonâ fama, boni conſiliarii inprimis Principibus ſuis ab ineunte ætate inculcare deberent, vt ſc. tales ſeſe gerant principes, ne hiſtoricis & Poëtis ſcribendi illorum facinora occaſionem præbeant; nam* Fama malum quo non velocius vllum Mobilitate viget, *&c. Si enim mali quid perpetrant, ſtatim illud diuulgabitur; ſi boni quid, velociter etiam hominum pertinget ad aures: Plebei hominis aut etiam magiſtratus in vrbe, vel etiam nobilis, aut Baronis facta non ita extollentur laudibus, non ita mentio eorum publica fiet, niſi planè diuinum quid & verè heroicum præſtiterint, ita vt ſufficiat illis vel in epiſtola quadam breuiter laudari, vel in carmine quodam celebrari. At quid hoc? non ita hæc euulgantur; Sed ſi Princeps aliquid effecerit, illud in manus omnium deueniet, illud in ore omnium verſabitur. Nam primò ſi hoc eruditiſſimo ſeculo Hiſtoricos conſideres, illi tam eleganti ſtylo & maieſtate ſuas conſcribunt hiſtorias, vt Liuius, vt Cæſar, vt Suetonius, aut Tacitus illis cedere cogantur. Cogita igitur, quiſquis es Princeps, quam ſtylo eleganti tua egregia facinora, quam acerrimo ſcelera tua ſint depicturi; ſecundo cogita, quam multi hodie hiſtorias perſcribant: non vnus iam eſt Suetonius, non vnus Tacitus; multi ſunt, infiniti ſunt, ita vt ſi hic vlcera tua non tangat, tangat & pertundat iſte acrius. Nec eſt quod cogites edictis prohiberi poſſe, ne quis hæc tua ſcelera literis commendet; imò ſi totum regnum tuum pugno q. concludere poſſes, ne quis hæc propalaret inde egreſſus, fieri tamen nequaquam poteſt, vt hæc morte tua ſepeliantur. Licèt a. ex ſubditis tuis facere hæc non audeat quiſquã; erit tamẽ peregrinus aliquis, qui id tentabit; exemplo eſt Baſilides Moſcouiæ tyrannus, cuius flagitia non Moſcouita aliquis, ſed Liuonus perſtrinxit: ſit etiam exemplo Nero, qui*

quamuis annales hiſtoricos igne concremauerit, efficere tamen non potuit, ut omnia exemplaria delerentur, in quibus facinorum Neronis mentio fiebat. Tanta nempe eſt vis, tanta efficacia hiſtoriæ. quod ſi perpendiſſent Nero, Commodus, Tiberius, & alii, fieri nõ potuiſſet, quin honeſtius omnia peracturi fuiſſent. Non perpetraſſet etiam talia Henricus Brunsvvicenſis, ſi vim hiſtoriæ conſideraſſet. Nam Sleidanus omni laude dignus hiſtoricus, ipſo etiam viuente adhuc Henrico, cum commentarium ſuum edidiſſet Francofurti, & fortè Conſiliarius quidam Henrici, catalogum vidiſſet (in quo commentarius iſte nominabatur) Commentarium iſtum emit, emptum perlegit, & de Henrico in eo tandem ſcriptũ inuenit, quod videlicet concubinam in arce aluerit, &c. defert itaq; hunc commentarium ad Henricum; qui hæc legens primò vehementer quidem iraſcebatur, ſed tandem tamen dicebat: De ſchelm heft glickwoll noch nicht alles geſchreven; *conſolatus nimirum ſeipſum, quod non omnia tamen ingentia facinora indicaſſet hiſtoricus iſte. Si igitur viuis adhuc hominib. Hiſtorici talia audent, quid mortuis illis non auderent?*

Tantum de affectu boni principis: ſequitur virtus, de qua duo vidẽda: 1, quænam & quotnam virtutes Principe dignæ ſint: 2, ex quibus cauſſis eæ in principe oriantur.

Virtus principis eſt vel mentis, ſiue intellectus: vel affectuum & voluntatis; ſiue eſt vel mentis vel morum.

Virtus mentis vel eſt Inſtrumentalis, vel primaria.

Virtutem mentis nihil aliud dicimus, quam quod aliàs vocatur Doctrina & Eruditio; vbi quidem quæſtio, non tam ex difficultate rei, quam ex peruerſo nonnullorum Centaurorum politicorum iudicio orta eſt: *An princeps eruditus eſſe debeat.* Sed opponimus hominib. iſtis manifeſtas rationes & argumenta deducta ex funda-

mentis

mentis politicis. Nam 1. neceſſe eſt principem prudentiâ eſſe prædıtum; at vero prudentia conſiſtit in notitia earum rerum, quæ bonæ & malæ ſunt, & inter quas delectum habere oportet, & deinde conſiſtit in obſeruatione exemplorum tam veterum, quam recentium. Vtrumque autem illud, nempe notitia rerum bonarum & malarum, & exemplorum obſeruatio comparatur per eruditionem & doctrinã; vnde Quintil. lib. 11. c. 12. *Etſi prudentia*, inquit, *quoſdam impetus à natura ſumit, tamen perfici natura debet*. Et Seneca epiſt. 91. *Non plenè ſatis contingit prudentia, niſi animo inſtituto & edocto.* [c] Qua de re etiam in Ethicis admonuimus.

c *Fuit in Germania Princeps aliquis magnæ familiæ, qui nullum planè in aula ſua pati voluit aut potuit, qui vnicum ſaltem vocabulum Latinum didiciſſet aut loqueretur; dixitq;* haſtiludia, venationes, aucupia, & talia eiuſmodi eſſe exercitia heroica, libros vero relinquendos eſſe Scholaſticis homuncionibus. *Et mirum ſanè inter alia id meritò videtur, quod Eraſmus (qui inſignis alias literarum fuit amator, imò, qui librum etiam de Inſtitut. ſcripſit, in quo etiam quomodo princeps ſit inſtituendus, docet) in præfatione ſuper Suetonium, ad Fridericum Electorem Saxoniæ ſcribat, quod* ille qui in ſtudiis ſcholaſticis conſenuerit, ad publica officia minus ſit idoneus. *Sed inde tamen non ſequitur, quod princeps omnino literarum expers eſſe debeat; ſed hoc ſequitur, quod non debeat in ſtudiis conſeneſcere: nam ſi exactiſſimè velit omnia cognoſcere (vt illi qui ſcholis aliquando ſeruire volunt, exactè philoſophari debent) multum r quiretur temporis, ita vt nunquam vel nimis ſerò ad gubernacula poſſit accedere, conſiliis intereſſe, omnia ipſe perpendere & iudicare. Itaq; alio modo inſtituendus eſt princeps, vt nimirum & facilè ſtudia ſua abſoluat, & iuſto tempore ad regimen accedat.*

Reprehenduntur igitur illi, qui totos ſeſe literis ita addi-ctũt, vt nullam interim habeant imperii curam; vnde Iulianus apoſtata dictus eſt Græculus Literio, *quod multum tribuerit lectionibus Comicorum, Poëtarum & aliorum autorum Græcorum.*

Culpatur hoc nomine etiam Adrianus Imper. qui multum operæ poſuit in legendis Hiſtoricis, Comicis, Poëtis, Oratoribus, & in rebus etiam ad Grammaticam pertinentibus. Reprehenditur etiam à Zonara iudicioſiſſimo hiſtorico Michael Imperator Conſtantinopolitanus, qui Præceptore Pſello (qui Mathematicis notus eſt) totum ſe literis mancipauit, imperium autem conſiliariis permiſit.

Laudandi contra nequaquam iſti ſunt, qui ob hanc cauſam & propter hæc exempla, planè rudes eſſe principes volunt, vt fuit inter alios Ludouicus XI. *Galliarum rex, ipſe quidem doctus, qui filium ſuum Carolum planè rudem eſſe voluit, ne ſc. pertinax eſſet in conſiliis, ſed quid alii conſulerent, audiret; dicebat .n. ſe quia multa legiſſet in hiſtoriis & res exactè examinaſſet, quod ideò tenax ſuorum fuerit conſiliorum, nec paſſus fuerit ſibi quid à conſiliariis facilè perſuaderi; putans enim. etiam ſe quid legiſſe, intelligere & rerum omnium experientiã habere. Sed fefellit patrem illum euentus; nam tribus homũcionibus omnis imperii cura demandabatur, conſiliariis nimirum, qui iſtum Carolũ mirificè circumduxerint, ita vt à conſiliariorum nutu & conſilio pendere cogeretur. Nec obſtat nobis exemplũ Gothorum, quod refert Procopius lib.* I. *belli Gothici, quod cum regina filium ſuum Alaricum inſtitui curaret humanioribus literis, Gothi ad reginam venerint, vt illud intermitteret, ne regem inutilem faceret ad res politicas. Sed hæc barbara ſunt; potius illud conſiderandum eſt, quod ipſi Imperatores ſæpè publicis diſputationibus ſcholaſticis interfuerint, eò quod literas amarent, vt Carolus IV. autor bullæ aureæ, qui Pragæ per integrum diem interfuit lectionibus publicis, & cum à Conſiliariis moneretur vt ad cœnam iret, reſpondit:* Hæc Cœna mea eſt. *Sunt etiam, laus Deo, hodie multi in Germania Principes, quos non pudet pro tribunali ſedere & iudicia exercere; imò, quos non modò non pudet intereſſe diſputationibus, ſed qui ipſi etiam ſæpè Rectoratum ſuſcipiunt, in arce etiam ſua, exercitia diſputationum inſtituunt, ipſi etiam ad ſtudioſos orationes habent. Ita vt rectè dicat*

Plutar.

Plutar. de gerenda repub. Si nulla eſſet alia ratio cur literas diſcere deberemus, hanc vnam eſſe, quod per doctrinam animi hominum aſſueſiant ad virtutem & molleſcant, *&c.*

2, Non poteſt feliciter imperare qui non nouit indolem & temperamentum eius regionis ac gentis, cui imperat; ſicut egregiè oſtendit Bodinus in meth. hiſtor. quod felicitas imperii dependeat à natura gentium. At vero naturam regionis ac gentium nemo nouit niſi docti: 3, Principem oportet iudicare de controuerſiis religionis, de controuerſiis iuris; quod profectò ſine doctrina rectè fieri non poteſt. 4, Ad principis munus pertinet ſcholas in ſuo regno fundare, gubernare & conſeruare, atq; adeò viros doctos vocare, eosq; debito honore afficere; quod fieri non poteſt, cum Princeps non poteſt de doctrina iudicare; nam de artifice nemo iudicat niſi artifex. Rationibus poſſent addi exempla maximorum Imperatorum, Regum & Principum, qui omni genere liberalium diſciplinarum inſignes fuerunt; ſed quia obuia illa ſunt paſſim apud alios, non eſt quod hîc immoremur. Illud vnicum tantum conſideretur, quod Philo refert in explic. decalogi ad præceptum 6. & 7. regibus Perſicis regnare non licuiſſe, niſi familiariter cū Magis verſati fuiſſent, & ab iis inſtituti. *Eſt enim omnino imperii ars maxima*, vt inquit Chryſoſt. 2. ad Corinth. homil. 15. *quam artem ſine doctrina non potes exercere.* Et Xenophon lib. 1. de inſt. Cyri: *Omni animali facilius imperabis quam homini; ideò ſapientiſſimum eum eſſe oportet qui hominem regere velit.* Et Vegetius in præfat. lib 1. de re mil. *Nullus eſt cui ſapientia magis conueniat, quam*

Principi, cuius doctrina omnib. debet prodeſſe ſubiectis. Cic. 1. de diuin. *Regale onus eſt ſapere & iudicare.* Æneas Syluius lib. 3. hiſtor. Boëmiæ refert Vladislaum Bohemiæ regem dixiſſe, ***non videri ſibi hominem, ne dum Principem, qui literas ignoret.*** Et Alphonſus, Arragoniæ rex, audiens literas in Principe improbatas eſſe à rege Hiſpaniarum, dixit, ***Bouis iſtam eſſe vocem, non hominis,*** vt refert Panormitan. in hiſtor. de dictis & factis Alphonſi. Et Chaſſanæus parte 5. de gloria mundi, conſider. 10. *Princeps,* inquit, ***illiteratus eſt aſinus coronatus.*** In aurea bulla Caroli IV. Imperatoris præcipitur, vt Electorum filii in variis linguis & diſciplinis inſtituantur, antequam ad gubernacula veniãt. Vide etiam Valer. M. lib. 6. c. 4. Lipſium lib. 1. Pol. c. vlt. & inprimis Caſtellanum lib. 1. de off. reg. ca 12. vbi ſoluit obiectiones adulatorum, qui conantur principibus iuuenibus perſuadere, quod literæ principem non deceant. Illud a. monendum eſt, aliter literas tractare debere hominem principem, aliter hominem ſcholaſticum: & cogitandas eſſe principi has ſentẽtias, primò Æſchili: *Is qui nõ multa nouit, ſed qui vtilia nouit, ſapiens eſt.* Item Senecæ: ***Ut in plerisq; aliis reb. ſic etiam in literis intemperantiâ laboramus, nec vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.*** epiſtola 117. & epiſtola 89. ***Habeto doctrinam cum modo; quia plus ſcire quam ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt.*** Et idem: ***Plus ſapit interdum vulgus, quia tantum quantum opus eſt, ſapit.*** Verum quis modus ſit tenendus principi, & quid ex ſingulis diſciplinis haurire debeat, ſequentia præcepta breuiter indicabunt.

Inſtru-

Inſtrumentariæ diſciplinæ vel ad linguam pertinent & ſermonem; vel partim ad ſermonem, partim v. ad res ipſas.

Lingua eſt vel antiqua vel noua.

Ex linguis antiquis a Latinam congruè & eleganter cognitam habeat Princeps; quia cum hæc lingua ſit vniuerſalis totius propemodum orbis terrarũ lingua, idcircò poterit in principe ſupplere plurimarum aliarum linguarum defectum, & poterit per hanc exterorum principum Legatos audire iisq; reſpondere.

Ex linguis recentibus eas præcipuè Princeps cognoſcet, quæ propriæ ſunt gentium, ſuo principatui vicinarum; cum his .n. crebra ei futura eſt communio.

Infra diſputabimus de peregrinatione Principis, & quam difficile ſit eũ diu commorari in exteris nationib. vt poſſit linguas peregrinas addiſcere. Itaq; placet conſilium illorum Politicorũ; qui ſuadent principi, vt præcipuè cognoſcat eas linguas, quæ ſunt propriæ gentium vel vicinarũ vel fœderatarum. Quod preceptũ Politicum ſuo exemplo expreſſit Sigiſmund. I. Poloniæ Rex, de quo Herbortus in Chron. Poloniæ refert, quod linguam Germanicam propterea ſibi diligenter pernoſcendam exiſtimarit; quia eam gentem vicinã haberet, cũ qua ſepe de grauiſſimis negociis eſſet communicandum & pertractandum. Sic in aurea bulla Caroli IV. præcipitur Electorum filiis, vt linguam Bohemicam, Gallicam & alia-

rum Germaniæ vicinarum gentium addiſcant.

a *Principi Latina lingua 1. eſt vtilis, quia eſt generalis; 2, eſt neceſſaria, quia ſic maieſtatem ipſi conciliat. Debet autem Princeps operam dare, ne plebeio vtatur ſermone, aut phraſib. è culina, vt dicitur, depromptis; ſed ornato & Laconico, graui & maieſtatem præ ſe ferente: vnde inter alia egregia geſta Eliſabethæ Reginæ Angliæ auguſtiſſimæ memoriæ, etiam hoc maximum celebratur, quod ſtylo fuerit vſa Laconico, graui, & neruoſo. Ideò Principes Auſtriæ non ſolum filios, ſed & filias ſuas curant inſtitui in Latina lingua.*

Cauſa a. cur lingua Latina ita familiaris facta eſt, non ſolum in Europa, ſed etiam in Aſia & Africa, eſt 1, ſtudium ingens propagandi iuris Romani: Romani enim cum ſibi totius orbis imperium vendicarent, & illud ſine legibus ſtare non poſſe viderent, Latino ſermone leges proponebant, & Latino etiam ſermone eas prælegi & à Procuratoribus & ICtis ſecundum eas, res agere volebant: cum v. illi qui res ſuas pro iudicio agere volebant, non poſſent Latine illud peragere, neceſſariò coacti ſunt filios ſuos eò mittere, vbi hanc linguam addiſcerent, licèt poſtea ad res etiam familiares adhiberi cœpta ſit, ita vt lingua Latina ſit ſignum iuris à Romanis & Latinis accepti. 2, eſt ſuperſtitio Papæ Romani, qui cum omnia in Eccleſiis aliis tali lingua tanquam ſancta peragi vellet, qua ipſe Pater omnia in ſua Eccleſiâ faceret, etiam miſſas & alia ſacra celebrari lingua Latina voluit; cum vero homines non intelligerent quid ibi ageretur, etiam coacti ſunt hanc linguam alibi addiſcere.

Ad ſermonem partim, partim ad res ipſas pertinet Logica, Rhetorica & Poëtica.

Logicam princeps diſcet præceptis breuibus comprehenſam, ſed exercitatione pleniore & dexteriore expreſſam; quod paucis admodum menſibus fieri poteſt, ſi præceptorem dextrum nanciſcatur.

Ne mirentur Politic. ſtudioſi, quod principem etiam Logicum eſſe velimus: [b] nam cum inprimis

primis hoc requiratur, vt Princeps reliquas diſciplinas breui tempore & facili modo addiſcat, vtiq; fieri hoc non poterit ſine ea arte, quæ ſola eſt inſtrumentum citò & facilè aliquid apprehendendi. Nam qui Logicus eſt, vna hora plus poteſt diſcere, quam toto menſe is, qui Logicæ expers eſt. Itaq; huc accōmodarim, quod Quint. dicit in procemio lib. 1. *Non eſt paruũ æſtimandũ id, ſine quo ad magna perueniri nequit; neque ad vllius rei ſumma, niſi præcedentibus initiis peruenitur.* Cum modo tamen hanc diſciplinam c Princeps tractabit; ita nempe vt præcepta & Canones generaliores & in vſu frequentiores comprehendat, quod paucorum mēſium ſpacio fieri poterit, deinceps ſeſe ordine exerceat, ſecundum ſeriem & ductum præceptorum, & plus temporis exercitationi quam præceptis aſſcribat. Vt enim qui ignem à vicino petit, non illic hæret, ſed ablato eo domi focum ſuum accendit; ſic principi citò capiendi igniculi præceptorum Logicorum, & ſtatim ad vſum ipſum properandum. Et applico huc illud Neoptolemi apud Ennium: *Philoſophandum eſt, ſed paucis*: *Paucis*, dicit, non vt dicat negligenter & perfunctoriè, ſed vt dicat methodicè & dextro præceptorum compendio, longâ autem vſus ſerie.

b *Dicat hîc aliquis nos concedere, quod princeps non ſit diu detinendus in artibus, ſed ita docendus, vt facilè & citò ſtudia abſoluat; quid igitur opus eſt vt eum Logicis præceptis diu maceres? Reſp. imò ideò opus eſt Logica, vt citò & facilè poſſis tua ſtudia abſoluere; Logica enim præſcribit methodum, quâ poſſis ordine, id eſt, facilè in tuis progredi; quomodo debeas Locos tuos Comm. inſtituere, in quibus & ſcribas quid pater, quid proauus tuus prudenter & laudabiliter dixerit, vel*

geſſerit, & in quibus facilè etiam quiduis tempore neceſſitatis reperias.

c *Poteſt huc referri illud Ariſtippi ex Laërt. in eius vita, vbi dicitur:* Quemadmodum illi qui multũ edunt & bibunt, nihilo melius habent quam illi qui parum edunt ac bibunt: ita & illi ſæpe non ſunt eruditiores qui multa præcepta addiſcunt, & ſæpè legunt, quam illi qui bis vel ter ea legunt & poſtea ea diligenter exercent.

Rhetoricæ, ſiue Eloquentiæ ſtudium inprimis Principi eſt neceſſarium, ita nempe, vt poſt præcepta methodicè comprehenſa ſe exerceat primò in oratione Aſiatica & laxiori, poſtea v. creſcente ætate, inprimis grauiter inſtituat exercitia orationis Atticæ, Laconicæ, Senatoriæ, & neruoſæ.

Quam neceſſaria principi ſit Eloquentia, Alexander nouit, qui ab Ariſtotele petiit vt Rhetoricam pro ſe conſcriberet; in cuius Rhetoricæ 1. cap. monet Alexandrum Philoſophus, valdè indignam rem eſſe, ſi princeps ſplendidis veſtibus ſe ornet præ aliis hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria eſt homini, quam vlla veſtis. Plutarch. in opuſ. de gerend. rep. inquit, *non ſolum mente gubernatrice, ſed & oratione iubente, ac mandante aliis quid faciendum vel omittendum ſit, princeps opus habet.* Et ſanè quanta vis ſit Eloquentiæ in arduis reip. negociis, atque adeò in ſeditionibus compeſcendis, teſtari poteſt Menenii Agrippæ apologus apud Liuium, item Furii Camilli oratio apud eundem. *In bello ſæpè ducis oratio ſiſtentes & victores fecit eos, quos hoſtis fugientes videre cœperat.* Et

quan-

quantum in proditionibus & præſenti vitæ periculo Eloquentia proſit Principi, loquitur exēplum Iacobi Regis Magnæ Britanniæ; qui cum proditione Comitum Gauriæ eô iam adactus eſſet, vt iugulum carnifici porrigendum foret, nulla re magis vitam liberauit, quam Eloquentia ſua prompta ac neruoſa, vt teſtatur hiſtoria iſtius proditionis. Diſtinguimus autem Eloquentiam in Aſiaticam & Atticam: & illam quidem requirimus in principe adoleſcente, quia oportet generoſas vites luxuriare prius, quam amputentur: hanc vero, Atticam nempe & Senatoriam, requirimus in principe iam ad gubernacula ſedente; idq; propterea, quia in oratione prolixa, laxa & Aſiatica nunquam ea eſt maieſtas, ea neruoſitas & efficacia, quæ in oratione Laconica & Senatoria, vnde rectè dictum eſt à veteribus, *Reges oportet eſſe monoſyllabos*, id eſt, paucis verbis multa dicere, vt nempe qui audiunt, iudicent principem plura intelligere, quàm loqui velit. Item illud: *Rex & lex iuueant, non diſputent.*

Poſt Rhetoricam Poëtica ſequitur: in cuius quidem diſciplinæ exercitio eatenus princeps verſabitur, vt legat Poëtas grauiores, nempe Homerum, Virgilium, Horatium, Perſium, Iuuenalem; *inprimis a. Tragicos Poëtas tàm Græcos quam Latinos: nam hi Poëtæ, quos enumerauimus, nihil aliud habēt quam exemplorum politicorum viuas quaſdam imagines, propter iucunditatem & ſuauitatem verſuum magis in animum penetrantes.*

Caſtellanus & alii de eo diſſerunt, quatenus *Princeps debeat eſſe Poëtarum ſtudioſus*; neque eſt hîc magnoperè immorandum; ſed Melanchthonis tamen ſententia de Tragicis Poëtis notari debet: *Poſt ſacras literas nulla ſe noſſe ſcripta, quæ magis penetrent in animos hominum quam ſcripta Tragica; nempe Euripidis, Sophoclis, & Senecæ.* Notetur etiam Eraſmi elogium de Poëtica: *Poetica*, inquit, *nihil aliud eſt, quam ex omnium diſciplinarum deliciis ac medullis confecta placenta, atque ex lectiſſimis quibusque floſculis compoſitum mellificium.*

Tantum de diſciplinis inſtrumentalibus.

Principalis diſciplina eſt vel contemplatiua vel operatrix, vt notū eſt: & ex contemplatiuis diſciplinis princeps aliquatenus inſtitui debet in Phyſicis & Mathematicis.

In Phyſicis [a] *non minus iucundum quam vtile principi erit cognoſcere doctrinam de Cœlo, de elementis, de temperamento corporum; itemque doctrinam de metallis, de gemmis, de plantis, de animali in genere, & inprimis de hominis corpore & anima; nempe de intellectu & voluntate, ex qua doctrina pendet tota Philoſophia practica.*

a *Debent inprimis operam dare Principum præceptores, vt teneris eorum animis generalia quædam Phyſicæ præcepta inſtillent: ſic enim fiet, vt non ſolum oculos in viridariis, viuariis & herbariis ſuis, arborum fertilitate, animantium varietate, florumque amœnitate paſcant, ſed & animos recreent dulciſſima cuiusque rei inueſtigatione & perſpecta eius proprietate ac natura: deinde etiam fiet, vt homines eos,*

eos, qui de his omnibus docent, largiter promoueant, alant ac ſuſtentent honeſtè.

Satis in Ethicis patebat, quod legum fontes deriuentur ex ipſa natura hominis: cũ ergò principem oporteat leges noſſe, tanquam legum cuſtodem, vtiq; fuerit vtiliſſimum eundem principem quoque perſpicere id, vnde leges fluunt & ad quod accommodantur.

Phyſica[b] *quoq; ad hoc inprimis proderit principi, vt diſcat naturam, indolem & conſtitutionem iſtius terræ, & iſtius gentis, cui imperat; id quod ſummum eſſe benè imperandi principium, etiam ſupra diximus.*

Et dicit admodum prolixe & egregie Bodin. cap. 2. Method. hiſtor. quanti referat principem noſſe temperiem & indolem iſtius populi & regionis cui imperat; ſicut idem etiam multis exemplis declarat; ad quæ ſtudioſum Polit. remittimus, cum iſte liber ſit in omnium manibus. Qui plura volet videre de ſtudio Phyſico principi neceſſario, legat Caſtellanum lib. 1. c. 16.

[b] *Cum Alexander M. cum exercitu ſuo in locum aridũ incideret, ita vt ſiti contabeſcerent ferè omnes, quæſiuit ex terræ illius incolis:* Anne propè eſſet mare? *Audito hoc milites, cogitabant marina aqua ſeſe ſitim non poſſe extinguere, cum omnium experientia eſſet ſalſa. Sed didicerat heros ille ex præceptore ſuo Ariſtotele,* aquã fieri dulcẽ, ſi prope mare foſſâ aliquâ excipiatur, *vt refert Bodinus; & diſputat contra illũ Democriti diſcipulum, qui fabulam hanc in vulgus ſpargere veritus non fuerat, quod Ariſtoteles cum audiret plures adhuc eſſe mundos, deplorauerit ſe vnum nondum deuiciſſe. Quaſi vero Ariſtoteles non didiciſſet tantum vnum eſſe mundum.*

Mathematicam Princeps percipiet quantum

ei neceſſe eſt ad architectonicam & ad belli vſum.

Certum eſt Arithmeticam, Geometriam atq; adeò Geodæſiam vehementer prodeſſe principi tam pacis q̃ belli tempore. Pacis quidē tempore, ad architectonicam & ad Mechanicam, cuius notitia principē & iuuat & ornat; ita vt oēs meritò principes hodiè videamus hoc genere ſtudii vehementer delectari. Belli vero tempore ad caſtra metanda & ad dirigenda feliciter tormēta, ſiue machinas bellicas requirūtur Matheſeos fundamenta; quod ſuo exemplo principibus probauit hiſce proximis aliquot annis fortiſſimus Belgarum *dux Mauritius*. De Muſica nolo hîc diſſerere prolixius; etſi quidem & apud Platonem & Ariſtotelem in Politic. eius mentio fiat. Quid ex ea commoditatis princeps poſſit habere, oſtendit Caſtell. lib. 1. de off. reg. 24. & 26.

Sequitur diſciplina operatrix, quam princeps cognoſcere debet tum quoad præcepta, tum quoad collectionem exemplorum, ſiue hiſtorias.

Primo ergo diſciplina operatrix vel eſt Factiua, vel Actiua; & inter factiuas quidem architectonicā & mechanicā antea principi cōmēdauimus: Medicina vero ei etiā vtilis fuerit in tantum, quantum attinet ad cōſtitutionem proprii corporis noſcendam, & diiudicanda ea, quæ corpori & eius ſanitati vel obſint vel proſint.

Caſtellanus d. lib. cap. 27. etiam eam medici-

næ

næ partem principi iudicat eſſe vtilem, quæ de curandis vulneribus tractat, quia ſæpè vſu veniat, vt princeps opera medicorum deſtitutus, in bello vulneretur; id quod egregio Maſiniſſæ regis exemplo ibid. probat. Et Buchan. in hiſtor. Scot. memorabiliter aliquoties annotat, quod reges Scotorum præ aliarum gentium regib. excelluerint in cognitione herbarum, quæ poſſint efficaciter mederi vulneribus.

Actiua, ſiue Practica diſciplina eſt vel Philoſophia, vel ſuperior facultas.

Philoſophia practica exactè debet eſſe nota principi; nempe Ethica, Oeconomica & Politica: quia regere alios pertinet ad Philoſophiam practicam; turpe autem foret regere alios velle, & artem ac præcepta regendi non didiciſſe.

Superior facultas eſt tum Iuriſprudentia, quæ in principe requiritur, ſaltem quoad generalem cognitionem iuris ciuilis, & deinde quoad cognitionem iuris proprii, in ſuo regno, quod debet exactiſſimè perſpectum habere.

Infra enim audiemus quod ad regendi actum pertineat actus iudicandi: iudicare autem nihil aliud eſt quam propoſitionē, ſiue ſentētiam formare ſecundum præcepta iuris. Cumque omnis diſciplina conſtet generalibus & ſpecialibus, optandum quidem foret generalem aliquam dari iuriſprudentiam, quæ ab omnibus æquè gentib. reciperetur; ſed quia id propter circumſtantias varias locorum vix obtineri poteſt, ideo fit

vt Romana iuriſprudentia hodiè habeatur pro generali, & interim quodlibet regnum ſuam habeat ſpecialem iuriſprudentiam, cuius omninò gnarum oportet eſſe eum, ad quem, tanquam ad ſupremum iudicem in iſto regno eſt appellandũ. Intellexit id ſapientiſſ. Rex Poloniæ Sigiſmund. I. de quo Herbortus & alii Hiſtorici Poloni, quod Polonici iuris ſtudioſiſſimus & peritiſſimus fuerit.

Altera ſuperiorum facultatum eſt S. Theologia, *quam ex ſacris verbi diuini fontibus noſſe principem oportet; primo quatenus Deo ſubiectus, animæ ſuæ priuatam ſalutem quærit; & deinde, quatenus eſt procurator ſalutis publicæ ſuorum ſubditorum, & quatenus eum ſæpè iudicare oportet de rebus diuinis & controuerſiis ad religionem pertinentibus, vt infra ex profeſſo & plenius docendum erit.*

Nam hoc loco abſolutè adhuc principem formamus tantum, quatenús publicæ honeſtatis procurator & cuſtos eſt; & quatenus ſubditos ſuos dirigit ad finem politicum, ſine gradu eminẽtiæ conſideratum.

Reſtat collectio exemplorum, ſiue hiſtoria, quam duplicem habere debet perſpectã princeps; nempe generalem & ſpecialem, externam & domeſticam; ita vt ad vnguem calleat omnia acta ſui regni; nimirum quid ante ipſum geſſerint anteceſſores principes in iſto regno; qualia ipſorum conſilia, dicta & facta fuerint, quales euen-

tus.

tus. Nec non & acta præcipuarum prouinciarum ſui regni; item præcipuorum regni præfectorum, procerum, conſiliariorum, miniſtrorũ. Quem ad finem etiam peculiares ſcriptores & hiſtoricos duos aut tres perpetuo ad latus ſuum fouere debet.

Prudenter Ariſtoteles 1. Rhet. c. 5. inquit: *Vtiles ad politica conſilia ſunt hiſtoriæ ſcribentium de actibus humanis.* Et Polybius: *Veriſſimam inſtitutionem & exercitationem ad politicas actiones petes ex hiſtoriis.* Alexander Seuerus Imper. vt refert Lampridius in eius vita, Conſiliis pacis & belli literatos adhibebat, maximè eos, qui hiſtorias callebant. *Hiſtorici enim ſunt optimi conſiliarii, qui ſemper adſunt vocati, qui nihil occultant, nihil adulantur*, dixit ſapienter Alphonſus. Vide plura de eo, quod ſtudium hiſtoricum in primis principi ſit neceſſarium, apud Patricium lib. 2. de rege & regno, cap. 10. Caſtell. lib. 1. c. 23. Middendorp. quæſt. 68. Theologica Polit. Lipſ. lib. 1. Politic. c. 9. Cæterum quod dicimus debere principem inprimis noſſe acta ſui regni, tam vetera quam recentia, id Spiritus S. inprimis ſuaſit exemplo Ahaſſueri, qui vt eſt in lib. Eſtheræ, cum nocte dormire non poſſet, curauit ſibi prælegi commentarios regni ſui, qui ei ſummoperè ad ſalutem publ. profuerunt eo tempore, quo à nequiſſimo conſiliario Haman pernicies regno imminebat. Quod deniq; ſuademus, vt princeps in aula ſua alat plures viros doctos, qui nil aliud negocii tractent, quã vt acta regni in commentarios ordine referant, id, inquã, pẽdet ex priori. Nã

cõmẽtarios legere princeps debet, & vero ei vix vacare poteſt, vt ipſe hos commentarios accuratè ſcribat; idcirco neceſſe eſt alios ei ad latus eſſe, qui hoc præſtent; ſicuti quidem tam veterum ac Romanorum, quam hodiè aliquot principũ aulę eiuſmodi Hiſtoricos habuerunt & habent.

CAPVT III.

De virtutibus morum, nempe de Ethicis, Oeconomicis & Politicis.

MEntem & intellectum Regis, ſiue principis noſtri debitis virtutibus exornauimus: ſequitur vt voluntatem, appetitum, ſenſus, ſermones & geſtus informemus ad reipub. ſalutem; atque adeo vt morales virtutes luſtremus viro principe dignas.

Canones generales de moralibus principis virtutibus ſunt hi:

1 *Virtus moralis in Principe debet eſſe vera, non ſimulata, & in ſpeciem tantum externè oſtentata.*

Audiat & Ariſtotelem 5. Pol. c. 10. *Rex conſtituitur ex idoneis aptisq; ob eminentiam virtutis & actionum, quæ ex virtute proficiſcuntur.*

Auſonius:

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

Item: *Vbi non eſt pudor, nec cura iuris, ſanctitas, fides, inſtabile regnum eſt.* Seneca in Thyeſte. Polyb. libr. 4. Ille reipublic. ſtatus optabilis & firmus

mus eſt in quo & priuatim ſanctè innoxieque viuitur, & publicè iuſtitia ac clementia vigent.

2 *Vt princeps virtutibus moralibus omnes ſubditos antecellere debet, ita quoque ſciat aliter eas ad perſonam ſuam accommodatas eſſe, quam ad perſonam alicuius priuati.*

Alia omnino eſt quoad accõmodationem liberalitas, manſuetudo, Comitas in principe, quã in homine priuato; itaq; Canon dicit debere has virtutes quadrare ad perſonam & ſtatum principis. Id quod ex ſeqq. manifeſtius intelligetur.

Porrò virtus moralis principis eſt vel Ethica, vel Oeconomica vel Politica.

Et Ethica quidem virtus eſt vel vniuerſalis ſiue dirigens, vel ſpecialis ſiue directa.

Inter vniuerſales virtutes competit principi Prudentia, ne nempe princeps ſit vel nimis verſutus vel callidus.

Quandoquidem inter ſimplicitatem & calliditatem q. media conſtituitur prudentia, ita vt difficile ſit talem reperire principem, qui medium hoc ſtrictè ſeruet, & non ad alterutrum extremorum declinet; ita vt ſit vel nimis ſimplex, credulus, & qui ne id quidem diſſimulare poteſt, quod prudentia ſuadet diſſimulandum; interdum vero ſit nimis verſutus & callidus: Idcircò ſæpè anxiè quæritur, *vtrum principem potius optare debeamus, illumne ſimplicem nimis, an hunc verſutum & callidum.* Quod ſi abſolutè inſtituatur quæſtio, & optio detur, certum eſt neutrum optari debere; quia vtrumque in vitio eſt, tam calliditas quam ſimplicitas.

Sed quęritur cõparatè, *vtrum ex his malis ſit minus.* Quod ſi ergo principem conſideres vt homo eſt, equidem conceſſerim planam illam ſimplicitatẽ [a] magis eſſe optabilẽ, vtpote quæ ad virtutes reliquas magis liquidâ viâ ducit & ſaluti animarum minus aduerſatur, quam calliditas. Sin vero principem cõſideres quatenus in actu verſatur, & rempubl. regit, atque adeò verè princeps eſt, vtique aſſenſerim Politicis, ſtatuentibus minus malum eſſe verſutiam, quam ſimplicitatem; nam primo verſutia eſt malum corrigibilius & emendabilius, quam iſta, vt ſic dicam, fatua ſimplicitas; quia ex verſuto fieri poteſt ſimplex ſi neceſſe ſit; ſed ex nimis ſimplici [b] verſutum difficulter feceris. 2. ratio eſt, quia ſimplicitas magis directè pugnat cum maieſtate imperii quam calliditas; nam ſimplicitas extremè cõtemptum principem reddit; contemptus autem cum maieſtate imperii è diametro pugnat, vt egregiè Curtius lib. 8. *Maieſtas imperii ſalus & tutela eſt.* Accedunt autoritates; 1. *Lud. Viuis*, qui callidũ potius optat principem quam ſimplicem, in ſatellitio ſuo, aphor. 60. 2. *Bodini*, qui lib. 2. De republ. cap. 4. hanc materiam attingens dicit ex homine callido bonum regem ſæpè fieri vidimus: & monet quod ſimplicitate principis longè magis quã calliditate euertantur reſpublic. propterea quod ſimplicitate abutantur & mali conſiliarii & turpes adulatores. Neq; tamen hîc probamus ſententiam Machiauelli, qui in lib. de republ. c. 42. & cap. 18. de Principe ſuadet, vt *princeps homines verſet inſtar moles in ſaxuli quò vult, & fallaciis ac fraudibus circumueniat*; neque enim hîc loquimur

mur de fraudulentia & de dolis malis, ſed tantum de eiuſmodi circūſpectione, quæ etſi à prudentia diſcedat, tamen magis ad calliditatem accedat quam ad ſimplicitatem. Nam Cardani illud iucundè ridiculum magis eſt ac facetum, quam magnoperè admirādum, quod dicit lib. 11. de ſubtil. *hominem propterea eſſe conditum, ut ſit animal fallax; quia ſcil. beſtiæ fallaces eſſe non poterunt propter ſtultitiam, ſuperi autem ob probitatem.*

a *Ita nimis fuit ſimplex Honorius Imperator, qui cuiq; facile credebat, & libellis ſupplicibus inconſideratè quibusq; ſubſcribebat; ad quam ſimplicitatem corrigendam ſoror eius egregio ſtrategemate vſa eſt, dum ipſa libellum ſupplicem ſcriberet viliſſimi cuiuſdam ſerui nomine, quaſi ſcilicet ille ſororem Honorii in matrimonium peteret,* &c. *vide in hiſtoria Honorii.*

b *Cum duo mala in contentionem veniunt, utrum ſit eligendum, conſiderandum eſt quodnam ſit emendatu facilius: itaq; ſi prodigalitas & auaritia comparentur inter ſe, prodigalitas potius optanda eſt quā auaritia; quia prodigalitas poteſt curari, vt exemplo prodigi oſtendit Saluator: auaritia autem magis magisq; creſcit, nunquam enim audimus ex auaris factos eſſe prodigos quod idem ſentiendum eſt de calliditate & ſimplicitate; nam qui naturâ ſimplex eſt, nunquam callidus euadet; cum contra callidi ætate ingraueſcente fiant ſimplices & inſtar puerorum, vt oſtendit exemplum Caroli V. qui certè callidus fuit & verſutus, vt declarat bellum Germanicum ab ipſo geſtum, ſed cum videret ſceptrum Imperii eſſe deponendū & tradendum Ferdinando, ſimplex factus eſt, & ſeſe in monaſterium Hiſpanicum abdidit, vbi de reb. imperii nihil planè audire voluit, ſed innocentem vitam traduxit.*

Altera virtus vniuerſalis & dirigens, quæ in primis in Principe requiritur, eſt iuſtitia, illa nempe quam Vniuerſalem *in Ethicis vocauimus, quâ nempe princeps agnoſcit ſe legibus eſſe*

ſubiectum, & quâ etiam propoſitum habet legibus obediendi.

Arduo in Politicis loco poſita eſt illa controuerſia: *An Princeps, ſiue Monarcha ſit ſubiectus legibus?* Ad quam decidendã expeditum nobis aditũ patefacere videtur hoc præceptũ, quod *princeps Iuſtitia vniuerſali præditus eſſe debeat*; quam pręcipuam & ſummã hypotheſin nemo, vt ſpero, Politicorum nobis eripiet. Quia enim iuſtitiæ primus actus eſt vt ex Ethicis conſtat, agnoſcere ſe eſſe ſubiectum legibus, ideo aut vniuerſalis iuſtitia principi non competit, aut agnoſcet ſe legib. debere obedientiã. Idcirco Plato 4. de leg. *Interitus paratus eſt ciuitati iſti, in qua lex non magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præeſt.* Et Ariſtoteles 3. Pol. c. 11. *Qui legẽ praeeſſe iubẽt, iubent praeeſſe Deum per ſuã vocem: qui aũt hominẽ iubẽt praeeſſe, iubent praeeſſe beſtiam*: id eſt, iubent pręeſſe eum, qui facile poſſit degenerare in beſtialem & flagitioſum tyrannum, cum contrà leges non poſſint degenerare, cum ſint ipſæ rectitudinis regulæ: Et digna eſt plane vox maieſtate regnantis: *Legibus alligatum ſe principem profiteri; adeo de autoritate iuris noſtra dependet autoritas, & reuera maius eſt ſubmittere imperio legibus principatum; idcircò quod nobis licere non patimur, aliis indicamus, inquiunt magni illi Imperatores Theodoſius & Valentinianus.* Contra vero alii, qui in contrarium ita diſputant: *Principem omnibus legibus ſolutum eſſe*, adducunt hanc rationem; quia princeps ſit abſolutæ poteſtatis, & per conſeq. ſit etiam poteſtatis ſolutæ à legibus. 2. quia princeps

eſt

eſt imago diuinæ maieſtatis; diuina autem maieſtas legibus ſubiecta non eſt.

Adducunt etiam autoritatem Iuriſcon. Vlpiani, qui l.princeps,ff.de legatis,inquit: *Princeps legibus ſolutus eſt.* Et Plinius in Panegyr.ad Traianum: *Nemo principi leges ſcribit.* Qui moderatius hanc quæſtionem tractant, certis diſtinctionibus & limitationibus vtuntur. Nam diſtinguunt inter legem diuinam, itemque legem naturæ & gentium, & inter leges ac conſtitutiones ciuiles, ſiue politicas; & fatentur principem eſſe ſubiectum legibus diuinis, itemq; legi naturæ, & gentium: Legibus autem ciuilibus non eſſe ſubditū, ſed habere eas poſitas in ſuo arbitrio & poteſtate, ita vt nemo poſſit dicere principi, *cur hanc legem ſancis, cur alteram abrogas*? quandoquidem eius voluntas in talibus ſtet pro ratione, & quandoquidem legum latio ad dignitatem regiam pertinet, vt Ariſtoteles docet 3.Polit.cap.11. Vide Bodin.lib.1.de republ. cap.8.vbi inquit: *In his ciuilibus inſtitutis principis non eſt ſibi leges ſcribere.* Vide etiam latius diſputantem Toloſanum 7.De republ. cap.20.& inprimis Alberic. Gentilem tum in libr.de iure belli, tum inprimis in diſputatione regia prima, quæ eſt *de poteſtate principis abſoluta.*

Vide etiam grauiſſimam de ea re diſputationem in egregiis iſtis duobus libellis, quos politicæ ſtudioſis commendo, quorum priori eſt titulus, *Vindiciæ in tyrannos*: poſteriori titulus eſt, *De iure magiſtratus in ſubditos.*

Alii vero præter iſtam diſtinctionem legum, quā allegauimus, etiam aliam afferunt limitatio-

nem, ſicvt dicant diſcernendam eſſe in legibus vim duplicem, nempe vim Directiuam & vim Coactiuam. Quoad prius, nempe quoad vim directiuam, dicunt omnem principem, etiã qui eſt abſolutè Monarcha, legibus ſubiectum eſſe: ſed quod ad poſteriorem, nempe, quoad vim coactiuam, omnib. omnino legibus eſſe ſolutũ; quia Monarcha, quatenus Monarcha, nullum cognoſcit ſuperiorem, niſi ſolum Deũ, ideo violatæ à monarcha legis nemo niſi ſolus Deus iudex ac vindex eſſe poteſt; ita Thomas parte 1. ſummæ, quæſt. 69. art. 5. & prolixius Gregorius de Valentia tomo 2. comment. Theolog. 7. quæſt. 5. Dominicus Soto non ita quidem prolixè, ſed iudicioſè tamen mihi videtur hanc quæſtionẽ tractaſſe lib. 1. de iuſtit. & iure, quæſt. 6. tit. 7. ex quo cap. has theſes colligo: 1. *Lex duplicem habet vim, nẽpe vim Directiuam & vim Cohercinã. 2, quoad vtrãq; vim ſubiectus eſt legi omnis homo, qui nõ eſt abſolutus Monarcha. 3. Monarcha autem & princeps ſubiectus eſt legibus quantum ad vim directiuam*, id eſt, leges ſunt normæ & regulæ, quibus etiam voluntas monarchæ regitur; *ſed quod ad vim coercivam, Monarcha non eſt ſubditus legibus; quia non eſt intellectu poſſibile, vt quis ſibiipſi vim inferat & ſeipſum cogat.* Et accommodat huc illud Pſalm. 51. vbi rex Dauid inquit: *Tibi ſoli peccaui, Domine*, id eſt, ſum Monarcha & commiſi adulterium ac homicidium, & ſcio nullum quidem hominem poſſe me ad ſupplicium rapere, niſi te ſolum. Et illud etiam Prouerbiorum 21. *Sicut riui aquarum, ita cor regis in manu Iehouæ*; quaſi diceret textus: Nullus hominum

pote

poteſt vim coërciuam exercere in cor regum, & eos pœnis ad officium redigere; ſed Deus id ſolus præſtare poteſt. 4, *quando ſtatuitur principem non ſubiici legibus, intelligimus de legibus non illis quæ ex æquo ad principẽ & ſubditos ſpectant, vt ſunt lex Dei, naturæ, gentium; ſed de legibus quæ non ex æquo principem ac ſubditos obligant, vt ſunt multa ſtatuta ciuilia*, vt: *Si princeps præcipiat neminem debere gladio cinctum incedere; neminem debere veſte ſerica vti*; talibus legibus non eſt ſubiectus princeps. His omnibus quæ ſic ab aliis ad enodandam difficilem controuerſiam afferuntur, etiam hoc addo; nempe legem dupliciter conſiderari in Politicis; primo quidem, vt obiectum & regulam iuſtitiæ, atque adeo vt normam principis; interdum vero conſiderari vt inſtrumentum, quo vtitur princeps ad gubernãdos ſubditos. Priori reſpectu, nempe cum lex conſideratur, vt regula iuſtitiæ, omnino princeps legi ſubiectus eſt non minus vt ipſi virtuti; vtpote cum omnis homo per naturæ imbecillitatem & corruptionem indigeat normis à quibus regatur: quatenus vero legem conſideras, non vt eſt norma iuſtitiæ, ſed vt tantum eſt medium & inſtrumentum ſubſeruiẽs principi, ad regendã remp. eatenus princeps non eſt ſubiectus legibus, ſed eſt cauſa principalis, cui leges tãquam inſtrumentales ª cauſæ ſubſeruiunt. Capiatur exemplum ab homine cæco, qui à ſuo famulo in recta via ducitur, quatenus famulus hunc dominum cæcum regit, eatenus dominus famulo eſt inferior & famulo ſubiicitur: quatenus vero ſeruum conſideras, vt inſtrumentum ſeruiens ſuo domino, vtiq; ſeruus vtut

oculatiſſimus, tamẽ domino ſuo cęco ſubiicitur. Et hoc quidẽ modo, quatenus lex eſt cauſa minus principalis, eatenus princeps eſt dominus legũ, ita vt eas poſſit reip. accommodare; perinde ac Medicus pro morborum varietate, incremento & diuerſitate ſymptomatum, item pro ratione complexionum, & pro diuerſis anni temporibus dominatur, eaque pro arbitrio ſuo vſurpat.

a *Ita Faber lignarius aut architectus quatenus à norma, perpẽdiculo aliisq; inſtrumentis regitur, inferior dicitur perpẽ. diculo, &c. quatenus vero normam, &c. conſideras vt inſtru. mentum. architectus ſuperior eſt. Item Logica omnibus aliis diſciplinis ſuperior eſt, quatenus ipſis methodum præſcribit, ita vt poſſit merito* Regina artium *vocari, ſed quatenus con. ſideratur vt inſtrumentum aliarum artium, inferior ipſis eſt.*

Sic de virtutibus Ethicis, quæ in principe requiruntur vniuerſalibus. Virtus Ethica particularis, eſt vel ad ipſum principem relata, vel ad alios, vel partim quoad principem, partim quoad alios.

Virtus ad ipſum principem relata, vel componit cupiditatem principis, vel affectum.

Cupiditatem principis componit Temperantia, ad quam Vigilantia pertinet, itemque Caſtitas.

Canon & axioma Politicum huius lo-[illegible]ſt:

Intemperantiâ & libidinibus principum regna euertuntur, neq; infelicius regitur populus, quam à principe ebrioſo & libidinoſo.

Non erimus hîc prolixi, etſi maximè eſſe poſ- ſemus:

ſemus: amandãdo politicæ ſtudioſos ad Bodinũ lib.4.cap.1.vbi oſtendit, quomodo imperia euertantur propter intemperantiam & luxum principum; itemque ad Toloſanum lib.22.c.3.vbi inter præcipuas cauſas mutationis imperiorum recenſet *Intemperantiam* & luxum. Vide etiam Caſtellanũ lib.3.de off.regis, c.1. Melanchthon in Chronicis ſæpè hoc axioma politicum repetit, quod ἀσέλγεια, id eſt, *intemperantia, luxus & libido omnibus temporibus regna & reſp. mutauerint*; cuius rei exempla multa collegit Richterus in axiomatibus polit.axiom.21.

Virtus componens affectum principis, eſt vel circa honores, vel circa opes, vel deniq; circa omnes res ſecundas in genere.

De his omnibus virtutibus ex Ethica notis, nẽpe de Æquabilitate, de Αὐταρκείᾳ, *de* Εὐθυμίᾳ, *atque adeo de magnanimitate ſunt hi Canones, ad principem pertinentes:*

1 *Proximus aditus ad interitum principis, eſt Inſolentia in rebus ſecundis; vtpote quæ ſecurum principem reddit, & ſubditis contemptum, & hoſtibus omnia oportuna facit.*

Æquabilitas in principe vocatur â Lipſio *Modeſtia Principis*, quæ tamen vox, vt notum eſt, aliter in Ethicis, accipitur, & ad honores pertinet. Quicquid ſit de vocabulo, certum eſt rem ipſam eſſe inter fundamẽtales principis virtutes, vt nempe cogitet non minus ſe hominem eſſe, quam hominibus præeſſe, vt Plinius eleganter in Paneg.ad Traianum; *Cogites cuncta mortalium in-*

certa, quantoque plus adeptus ſis, tanto magis in lubrico eſſe poſita, vt grauiter Tacitus 1. Annalium. *Cogitet hæc caduca & fragilia puerilibusq; æqualia crepũdiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur*, vt piè Valerius M. lib. 6. c. vlt. Deniq; perpendat illud ſapiens Curtii, ſic dicentis: *Añ ignoras magnas arbores diu creſcere, vna hora extirpari?*

2 *πλεονεξίαν, ſiue cupiditatem nimiam dilatandi regni & augendæ potentiæ, princeps norit eſſe proximam viam ad præcipitium.*

Nempe dum princeps alienis inhiat, ſua negligit; & quia amici inſtrumentum ſunt & medium felicis principatus; ideo πλεονεξία, quæ amicos omnes tollit, & principes vicinos abalienat, proxima eſt via ad regni interitum.

3 *Magnanimitas inprimis decet principem; vtpote quem oporteat imperium firmare maieſtate, vt infra audiemus: neque quicquam imperio magis aduerſatur, quam contemptus: qui oritur ex oppoſitis magnanimitatis, nempe ex nimio faſtu, & ex nimia puſillanimitate.*

De magnanimitate principis nolim hîc plura notare, quam ſcripſit Caſtellan. l. 2. de offic. cap. 7.

4 *Decet etiam principem ſedulitas & tolerantia laborum, quæ ad regni procurationem pertinet: inprimis autem digna eſt principe fortitudo; vtpote quæ & contemptum auertet, & regnum tutum præſtabit.*

Vide Caſtell. lib. 2. cap. 10. & agemus porrò de hac virtute in Syſtematis politici parte, quæ rationem belli gerendi explicabit.

Et ſic de virtutibus Ethicis primi generis:

de

de virtutibus ſecundi generis , ſiue iis quæ ad alios referuntur, quæ & quatenus principem deceant, ſunt hi Canones:

1 *Inter virtutes Ethicas ſecundi generis inprimis decet principem iuſtitia diſtributiua, quâ nempe pro merito ſtatuit ſuum cuique ſubdito tribuere.*

Intelligentur hæc clarius, cum de iuſtitia politica, ſiue iudiciali agetur. Poſſunt autem legi ad hunc Canonem ea, quæ ſcripſit Caſtell.lib.3.parte 2.c.1.& ſeqq.

2 *Poſt iuſtitiam diſtributiuam commendata ſit principi excellens illa liberalitas, quæ* Beneficẽtia & Magnificentia *dicitur; vtpote quâ ſibi & autoritatem & beneuolentiam ſingularem poſſit apud ſubditos conciliare.*

Liberalitate enim & beneficentia nihil eſt humanæ naturæ accommodatius, inquit Cic. 1. Offic. & Seneca: *Melius beneficiis imperium cuſtoditur, quam armis*; quia omnium dulciſſimum eſt accipere. Quod nouerat Auguſtus, qui vt ſibi imperium confirmaret, militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine ocii illexit. Vide Iuſt. Lipſ.lib.1. Polit.c.17. Toloſ.lib.22.c.13. Antimachiau.lib.3.theor.26. Caſtell.lib.3.part.2.c.11. & ſeqq.

3 *Beneficentia autem iſta tanto eſt principi accommodatior, ad quantò plures redundat, & quãtò magis eſt publica; nempe ſi per eam populo tributa non neceſſaria remittat; ſi preſſos calamitate ſubleuet; ſi viduis & orphanis* [a] *largiter ſuccurrat; ſi pauperes virgines dotet; ſi naufragis opem ferat; ſi*

ædificia publicè neceſſaria magnifice exſtruat; ſi vias publicas reſarciat; ſi itinerũ ſecuritatẽ præſtet.

a *Philip. Landgrauius dicere ſolitus eſt:* **Auß 3. dingen ſoll man einen Fürſten erkennen: 1. auß guter müntz. 2. auß gutem wege. 3. auß haltung der zuſage.**

Publicam volumus eſſe beneficentiam principis, & cum vtilitate ſubditorum & regni emolumento coniunctam; nam ſi talis ſit, longè efficacius ſubditorum animos & corda in principis amorem pertrahet, quam vllus magnes ferrum attrahit. Contra vero ſi ea, quæ in publico liberaliter facienda erant, negligat, & in ſuos aulicos aut alios domeſticos magis, quam publicos homines beneficia profundat, publicè pro auaro cenſebitur, & apud ſubditos tum ſibi odium, tum contemptum parabit; quia in hominibus boni rectique ingenii nulla res maiorem principis deſpectum excitare poteſt, quam auaritia. Videantur de hac re autores, Toloſ. lib. 3. cap. 9. Caſtellan. dicto lib. cap. 12. & inprimis cap, 14. vbi pulchram quæſtionem tractat: *An inſtitutum* b *regum Ægyptiacorum probandum ſit, qui ſubditos ſuos perpetuò grauarunt extruendis ingentibus pyramidum molibus*; quæ fuerunt opera quodammodo publica, tum quia monumenta regum erant, tum, quia ornamenta regni. Sed rectè concludit Caſtell. inſanam illam fuiſſe regum Ægyptiacorum profuſionem, non laudabilem magnificentiam. Vide etiam de benef. publica principum Antimachiauell. lib. 3. theor. 22. & 26.

b *Ariſtoteles 5. Pol. dicit reges Ægypt. ſubditis ſuis ideo tã grauia onera impoſuiſſe, ne ſeditiones erga reges mouere poſſent.*

poſſint. Sed ita ſe geſſiſſe debebant reges Ægypt. ne ſubditos timerent, ſed ab iis amarentur. Herodotus autem, Strabo & Plinius dicũt ideò eos hoc feciſſe, vt exhaurirent ſubditos, ne fierent inſolentes, vt idem etiam ex Moſe apparet; qui licèt id expreſſe non dicat, tamen Ioſephus refert alios lateres coxiſſe, alios ad pyramides extruendas vexiſſe.

4 *Inprimis autem beneficentiã publicam exercebit princeps in duo hominum genera; nempe in viros egregiè doctos, & excellentes artifices; deinde in milites, nempe eos, qui inſigni aliquo facinore de repub. præclarè meriti ſunt: Si enim ſapientum & fortium virorum animos ſibi addictos habeat, facilè animos aliorum vel habere poteſt addictos vel negligere.*

Vide Caſtellan. libro 3. parte 2. capite 14. & ſeqq.

5 *Sicut autem beneficentia, ea nempe quæ exercetur in viros publicè benè meritos, magnum regni firmamentum eſt: ita contra prodigalitas & largitiones ſine modo etiam opulentiſſima regna exhauriũt atq; euertunt.*

Subitæ & nimiæ largitionis comes eſt pœnitentia, inquit Saluſt. in Iugurtha. Et Tacitus 2. annal. *Si ærarium largitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum fuerit.* Et Hieronymus, *Liberalitas liberalitate perit.* Et Tacitus 1. hiſtor. *Fallũtur*, inquit, *quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt.* Vide Toloſ. lib. 22. cap. 13. & Caſtellan. lib. 3. parte 2. cap. 10. vbi probat opulentiſſima regna à prodigis principibus exhauſta eſſe. & cap. 12. diſputat de ludis & epulis publicis, quomodo in iis modus

tenendus ſit; & c.16.quæſtionem iſtam tractat: *An nummi in populum proiiciendi ſint Romanorum more*; idq; faciendum eſſe negat.

6 *Pertinet ad benefic.principis etiam hoſpitalitas, quâ nempe excipit peregrinos & exules, quæ res etiam magnam principi gratiam poteſt & beneuolentiam conciliare.*

Vide Caſt.lib.3.par.2.c.13.

Reſtant virtutes Ethici tertii generis; quæ nim.referuntur partim ad nos ipſos, partim ad alios: & quidem ita vt vel ad interiorem affectum pertineant, vel ad exteriorem geſtum.

Virtutes ad interiorem affectum pertinentes, ſunt Veritas & Manſuetudo; de quibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps veritatem colere inprimis debet, & fidem etiam hoſtibus ſeruare.*

Machiau.lib.2.Diſcurſ.de repub.c.13.&lib.de Principe,c.8.aſſerit, licèt,more ſuo, incõſtanter, quod *Principi fidem fallere liceat propter regni ſalutem.* Quod Machiauelli conſilium ſecuta eſt Maria regina Scotiæ, de qua Buch. lib.18.refert, quod dicere ſolita ſit, *Reges eatenus fidem datam debere ſeruare, quatenus id ſuis commodis proſit.* Sed regula in æternum ſtabit, *Non eſſe facienda mala, vt eueniant bona.* Et debent principes veritatem ac fidem conſtanter colere, nec reſpicere euentum,ſed virtutis præſcriptum, vt diſputat grauiter Antimachiau.lib.3. theor. 18. ſiquidem nulla res rempub.magis continet,quam fides, vt Cicero inquit 3.Off.& Ariſt.1.Rhet.c.15. *Violatis*

infirmatiq;

infirmatisq́; pactis, tollitur inter homines communio. Principis verba & promiſſiones ad firmitatem propemodum diuinam accedere debent, inquit præclarè Toloſanus, lib. 8. cap. 8. & monet idem Lipſius lib. 2. Pol. c. 14. contra Doctores nouos ab Hetruria; ſic enim vocat *Machiauellum.* Et ſanè ſi iſtam de ſe opinionem princeps concitauerit, quod velit pro libitu fidem violarẽ, nemo amplius eius literis publicis & ſigillis credet, nemo eius legatos acceptabit, nemo deniq; fœdus aut pactum cum eo inibit. Vide de veritate princip. Caſtell. lib. 3. part. 1. c. 23. & Patricium lib. 8. de rep. c. 20.

2 *Simulatio non pugnat cum veritate, vt nec diſſimulatio, ſi nempe ita intelligas, vt in Ethicis explicuimus.*

Relego auditores ad doctrinam Veritatis in Ethic. ex qua facilè poterunt ſoluere obiectionẽ nonnullorum politicorum: *qui neſcit ſimulare, neſcit imperare*; ergò non neceſſe eſt principem ita conſtanter veritatem colere. Nam aliud eſt ſimulare, aliud eſt mentiri; quando nempe *ſimulationis* vocabulum ſumitur pro effectu prudentiæ cum veritate coniunctæ, quando nempe nec omnem veritatem, nec omnibus, nec quouis tẽpore, quando nempe non opus eſt, princeps vel geſtu vel ſermone profitetur: & quando captans occaſionem pœnarum exercendarum ſuſpendit ad tempus vindictam, & iudicia publica; ſuſpendit, inquam, quando non poteſt ſine magno malo & pernicie regni ſupplicium de ſeditioſis vel aliis flagitioſis ſumere. Hoc ſenſu probamus ſymbolum Ludouici XI. Galliarum regis, cuius

verba antè allegauimus; non vero eo ſenſu, quò intelligunt hodiè nonnulli fallaces & verſuti homines, qui ſe ſplendido titulo *Politicos* vocant, propterea quod artificiosè poſſint geſtu vel verbis mentiri ac fallere; quo ſenſu Ludouici ſymbolum vſurpauit Carolus IX. Galliarum rex, totus ex fraudib & fallaciis conflatus princeps.

3 *Ad ſtudium veritatis inprimis pertinet odiũ & auerſatio adulationis & adulatorũ; qui vt ſunt hoſtes veritatis, ita quoq; ſunt hoſtes principis & totius regni.*

De peſte adulatorum ſtudioſiſſimè cauenda principi, vide egregia monita Caſtellani, lib. 1. c. 36. & ſeqq.

4 *Manſuetudinem etiam colet princeps, ita ne temerè iraſcatur, præſertim ob iniurias & conuitia pertinentia ad perſonam ſuam.*

De manſuetudine principis, & de ira principis cohibenda, præclare admodum Caſtellan. diſſerit lib. 4. cap. 16. 17. 18. Inprimis a. hoc monemus, quod princeps debeat rumuſculos & conuitia vulgi ſpernere; nam magnam fortunam magnus animus decet, cuius proprium eſt placidum eſſe ac tranquillum, & iniurias atque offenſiones ſupernè deſpicere, inquit Sen. de Clementia. Et notetur illud Taciti 4. Annal. *Conuitia, ſi iraſcare, agnita, videntur; ſpreta, exoleſcunt.* Interim tamen non hoc volumus, quòd princeps debeat famam & exiſtimationem hominum de ſe contemnere; ſiquidẽ contemptu famę, contemnuntur virtutes, & principibus præcipua rerum ad famã dirigenda ſunt, vt monet maſculè Tacitus 4. Annal. & nos quoq; ſupra de eo annotauimus.

Se-

Sequuntur virtutes quoad externos geſtus & ſermonem; de quibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps geſtuum & totius corporis grauitate* σεμνότητι *ſibi & autoritatem conciliet.*

Nihil eſt quod principis perſonam magis decoret, quam geſtuum externorum maieſtas ac grauitas, ita vt ſit viſu atque auditu venerabilis, qui magnitudinem & grauitatem ſummæ fortunæ retineat, inuidiam a. & arrogantiã fugiat; ſicut de Germanico Tacitus inquit lib. 2. Annal.

2 *Ad grauitatem iſtam valdè conducit receſſus ac ſeiunctio, ne princeps nimis frequenter ac crebrò ſit in publico, & cum ſubditis ſuis familiariter verſetur.*

Notum enim eſt illud: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Et Liuius lib. 35. *Continuus aſpectus*, inquit, *minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit.* Tacitus 1. Annal. *Maieſtati maior ex longinquo reuerentia eſt.* Idem in Agricola: *Hominibus omne ignotum pro magnifico eſt.* ita Plutarchus in vita Periclis memorabiliter annotat, quod nulla re magis autoritatem & maieſtatem Pericles ſibi apud Athenienſem populum conciliauerit, quam quod rariſſimè in publicum prodierit.

3 *Sermo & inceſſus principis tardus ac grauis eſſe debet, tanquam perſonæ magnanimæ.*

Vide quę in Ethicis diſſeruimus de proprietate viri magnanimi, vbi etiam annotauimus illud Senecæ in Epiſtolis: *Viro ſapienti & magno vt inceſſus modeſtior conuenit, ita quoque oratio*

preſſa. Et notetur illud Saluſtii ad Cæſarem; *Omnis*, inquit, *vis virtusq; lenium hominum in lingua ſita eſt*. Et Curtius lib. 7. *Canem timidum ſcimus latrare vehementius quam mordere: altiſſima quæq; flumina minimo ſono labuntur.*

4 *In veſtitu quoque & cultu corporis grauitas principem decet, ne quid in eo ſit leue, muliebre, atq; effœminatum.*

Rectè Marius apud Saluſt. *Ornatum mulieribus, viris laborem conuenire.* Et Xenophon rectè dixit: *Mihi à Deo & à cœlo videtur gratia quedam addita viro principi, ita vt non opus ſit exquiſito corporis cultu.* Ariſt. ad Alexand. M. *Multò pulchrius magisque regium eſt, animum præferre cultum & compoſitum, quam corporis veſtem.* Et certum eſt, nimium corporis cultum atque ornatū adducere principes in contemptum tam exterorum, quam ſubditorum.

Et ſic etiam de Grauitate: ſequitur de Vrbanitate, atq; adeò de moderatrice luſus ac ioci, de qua ſunt hi Canones:

1 *Remiſſurus à laboribus animum princeps, & iocis ſeſe refecturus, faciat id in ſeceſſu, vt pauci adſint, & tempore eo quo vacare à publicis curis debet; neque tantum præclarè agere & operari principem decet, ſed & honeſtè ociari, id eſt, ita ne inter ociandum & iocandum perſonæ & decori obliuiſcatur.*

Pertinet huc illud Ariſtotelis: *Virum magnū non tantum præclarè operari & laborare, ſed etiam cum honeſtate ociari debere.* Vide de iocis & facetiis prin. latius Caſt. lib. 3. part. 1. c. 12.

2 *Prin-*

2 *Princeps non tam ipſe iocetur, quam aliorum iocos feſtiuos, argutos & cum honeſtate coniunctos audiat.*

Audiui qui diſputarint; *An principes debeant circa ſe Moriones habere*; & qui id ſimpliciter improbarent, propterea quod Moriones iſti ſint imago & creatura Dei, quâ non oporteat ita abuti, & quod iniquum ſit, hominũ iſtiuſmodi fatuitatem fouere, atq; augere etiam prouocando; deniq; quod cum impietate coniunctũ ſit, eo ſe oblectare miſeri hominis morbo, qui eſt à Deo propter peccatum immiſſus. Addebatur & alia ratio, ducta ab experiẽtia & exemplis, quod iſtis morionibus ſit annata quædam occulta malitia, quam cum diſcrimine & periculo principũ prodant ſi nimis irritentur. Sed iſta tantum diſputatio pertinet ad naturales Moriones, ſiue eos qui fatui nati ſunt; non a. ad feſtiuos iſtos & facetos, qui cum integra ratione ſint nati, habent tamen peculiarem quãdam partim à natura, partim ab arte in iocando gratiam: tales non ſunt arcendi à principibus, niſi fortaſſis deprehendantur eſſe adulatores & principum corruptores.

3 *Muſicâ quoq; iucundâ* [a] *princeps ſe oblectabit, ſed alienâ magis, quam ſuâ voce: neq; enim ita ex decoro eſt principem fidibus ludere.*

An principis perſonam muſica deceat, vide differentem Caſtellanum lib. 1. de off. reg. c. 24. vſq; ad 27. Patricius lib. 2. de rege & regno, tit. 15. *Muſica*, inquit, *regis aut nulla, aut exigua eſſe debet*. Et præfert ibidem muſicam principum, quæ fit fidibus.

a *Refertur de Alexandro M. quod, cum cithara Paridis ei offerretur, quæ magni fiebat apud Græcos, illam recuſauerit, dicens:* Achillis citharam volo, non Paridis: *id eſt, arma potius tractare cupio, quam ludendo tempus conterere. Et Mittendorp. refert de Nerone, quod Muſica & cithara deditus fuerit, ita vt hoc audiret tandem, quod melior eſſet modulator, quam moderator. At Græci quia molliores erant, Muſica & aliis inſtrumentis maximè delectati fuerunt: vnde Themiſtocles, vt refert Plutarchus & Cic. 1. Tuſcul. quæſt. cum ei in conuiuio cithara à Cimone porrigeretur, vt ipſe etiam illam pulſaret, & vero Themiſt. nollet, vitio id ei vertebatur. Et Philoſophus interrogatus:* An Muſica vel fidibus canere principem deceret, *reſpondit:* Iupiter nec canit, nec citharam pulſat; *ſignificans hoc ipſo, quod cum Iupiter ſit Deus principum; ipſe v. nec canat, nec ludat, ſed omnia gubernet, multò minus hoc principi conueniat, &c.*

4 *Illi ludi, quibus corpus exercetur, vt ſunt venationes, haſtiludia & torneamenta, principibus conueniunt, tanquam progymnaſmata rerum bellicarum, ſed ita vt fiant cum modo, & ſine periculo.*

De venatione diſputãt Politici ſimul & Theologi: *vtrum ſit licita, & quomodo*: Qui licitam eſſe negant, afferunt has rationes; 1, quod principes ſic aſſueſiant ad b ſæuitiem & fiant feroces atque truculenti. 2, aiunt eſſe periculoſam venationem, allegantes exempla Maximiliani II. Imperatoris, & aliorum Imperat. 3, allegant damna etiam, quæ miſeris agricolis dantur per venationes: allegant autoritatem Auguſtini, qui inquit: *artem venandi eſſe nequiſſimam artem*. Item Hieronymi ſuper 90. Pſal. *Penitus non reperitur in ſacris literis ſanctus venator.* Contra vero pro venationis ſtudio non contemnenda afferuntur argumẽta; nam 1, eſt corporis exercitium, condu-

conducens ſanitati; 2, eſt progymnaſma & præparatio ad res bellicas, idcircò Cic. 1. Off. venationem inter honeſta exercitia numerat. Et Dion: *Optimi principes venationem exercent tanquam rem ſaluberrimam, vnde corpus robuſtius & animus fortior efficitur, & in qua bellica omnia exercentur.* Et Xenophon lib. 1. Cyropædias laudat Perſas, quod publicam operam dederint venationi. Et Iulius Capitolinus in vita Marci Antonini Philoſophi, hunc excellentem Imperatorem quando voluit à grauioribus curis animũ remittere, venationi ait indulſiſſe. Plato etiam in 7. De repub. *Optimum exercitium eſſe* ait *venationem quadrupedum*, Patricius 3. de repub. tit. 6. *Venatio*, inquit, *claris principibus ſemper fuit gratiſſima.* Et Iacobus VI. in Dono regio ad filium Henricum inter alia exercitia & recreationes principum (de quibus ita egregiè ibi diſſerit, vt in nullo Politico plenius hactenus aliquid legerim) magis laudibus effert venationem. Sed, vt diximus in Canone, cum modo id eſſe faciendum, & ita ne adſit periculum, & ne in conſuetudinem & artificium ea res conuertatur, atque ita reipub. adminiſtratio negligatur. Vide Spangenberg. in Dæmone Venatorio. Item Toloſanum lib. 10. capite 6. vbi dicit; nimium venationis ſtudium in contemptum adducit principem.

b *Eraſmus inquit*: Qui beſtias ſæpè inſectantur, beſtialem animum induunt

Definitur autem venator à quibusdam, quod ſit vna beſtia ſedens ſuper beſtiam, & inſequens beſtias. De Eſau &

Nimrodo venatoribus in ſacris quid habeatur, ſatis notum eſt. Hoc dictum Auguſtini allegat Gratianus ex decretis Pontif. ſed & aliud habet Auguſtinus ſuper Pſal. 147.

De Maximiliano II. *eiusq; perículoſiſſima venatione legatur Steph: Pighius in lib. cui titulus eſt,* Hercules Proditius.

Hucusque de virtutibus Principis Ethicis: Oeconomicæ virtutes ſunt partim circa perſonas, partim circa res.

Oeconomica virtus principis circa perſonas, eſt tum circa coniugem, tum circa liberos, tum circa famulos aulicos, ſiue domeſticos: quæ virtutes Oeconomicæ attemperandæ ſunt ad perſonam & ad officium principis.

Oeconomica virtus principis circa res, eſt tum circa rerum acquiſitionem, tum rerum conſeruationem & diſpenſationem; vt nempe aulam habeat & menſam frugalem, & debitã curã redituum ad ipſius aulã pertinentiũ gerat.

Nolo hîc eſſe prolixior, quia ex Oeconomicis facilè iſta intelliguntur, & ad perſonam Principis accommodantur. Tractat a. de virtutib. Oeconomicis principis egregiè admodum Anton. Gueuara, conſiliarius Caroli V. Imper. in egregio iſto opere ſuo, cui titulus eſt *Horologium princip.* toto lib. 2.

Superſunt virtutes Politicæ, quæ propius accedunt ad fundamentum ſtatus Politici & principatus. Eſt autem virtus Polit. principis vel Dirigens, ſiue Vniuerſalis, vel Particularis.

Dirigens

Dirigens virtus politica, eſt Prudentia imperandi, per quam nempe princeps ea intelligit, quæ ad reipub. adminiſtrationem pertinent, ita vt delectu rerum habito ea amplectatur, quæ & ad finem ſui principatus atq; ſcopum directè ſpectant, quæq; temporibus, locis & perſonis ſunt accommodata.

Rectè Ariſtoteles 6.Eth.c.6.& 4. Polit.cap.1. ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ ἡ φρόνησις: *Prudentia maximè propria eſt imperantis.* Qua de re vide etiam Caſum lib.6.ſpec.mor.cap.13. ſiquidem enim præcipua virtus principis conſiſtit in regendo; regere autē nihil aliud eſt, quam præſcribere in omnib.reb. modum accommodatum locis, perſonis ac temporibus: idcirco prudētia erit maxima illa virtus, quæ propriè conuenit principi. Vnde & Plato dixit, prudentem eſſe eum, qui ſibi & reip.conſulere poſſit. Vide Toloſ.lib.6.c.3. & lib.10. c.4.

Canones de Prudentia politica principis ſunt hi:

1 *Ex definitione patuit actus & partes prudentiæ duas eſſe, nempe intellectum & delectum.*

2 *Intellectus eſt prudentiæ actus, quo princeps omnia cognoſcit & intelligit, quæ ad officium eius pertinent, atq; adeò quæ ei in adminiſtratione regni ſui vel agenda, vel omittenda ſunt.*

3 *Ad intellectum etiam pertinet conſilii tum promptitudo, tum dexteritas.*

4 *Pertinet etiam huc iudicium tarditatis ac feſtinationis in rebus agendis; vt nempe ſciat*

princeps, quando cunctandum ſit, quando maturandum.

5 *Plerumq; a. cunctandum eſt principi in reb. arduis & ſummis, extra caſum bellorum & periculorum præſentiam, in quibus ſæpè rapienda, non capienda ſunt conſilia; alias, vt diximus, plerumq; omnia ſumma ratione geſta, prudenti cunctatione geruntur & ſucceſſum habent; quin ipſa per ſe indoles principis potens eſt ad amplitudinem obtinendam, ſi in actionibus tardus ſit, & naturâ cunctator, & cui tam conſilia cum ratione coniuncta, quam felicia ex caſu placent.*

6 *Pertinet ad priorem prudentiæ actum etiam Diffidentia, vt princeps tardus ſit & lentus ad credendum & aſſentiendum, & poſſit aliorum conſilia, dicta & facta conſiderare expendere, ſibiq; cauere.*

Vide de diffidentia principis tanquam magna prudentiæ parte, Toloſ. lib. 22. c. 11.

7 *Delectus altera eſt pars Prudentiæ, quando nempe honeſta ab inhoneſtis, vtilia a noxiis, verè iucunda ab iniucundis in regni adminiſtratione diſcernit, atque omnia aptè ad præſentia accommodat.*

8 *Ad iſtum delectum pertinet etiam Diſſimulatio, id eſt, Reticentia eorum, quæ princeps ſcit & intelligit; ſed ita ſcit, vt præſenti loco & tempore ſint reticenda, & non manifeſtanda vel verbis vel geſtibus.*

Supra diximus *principem non debere eſſe ſimulatorem*, quatenus ſimulatio ſignat mendacium, & opponitur veracitati, fidei & candori. Poſſe a. & debere eſſe ſimulatorem principem, cum ſimula-

mulatio ſumitur pro parte prudentiæ, id eſt, pro occultatione eorum, quæ pro circumſtantia perſonarum, locorum, ac temporũ occultanda ſunt, probant diſſimulationis exempla, quę ſunt in ſacris literis, 1. Sam. c. 10. ℣. 27. c. 11. v. 12. Item 2. Sam. c. 3. v. 29. Pſal. 48. v. 14.

9 *Et ſanè ſi ad effectum ſuorum conſiliorum peruenire princeps velit, & ſi ſalutarem regno opportunitatem in rebus gerendis expectare cupiat, neceſſe eſt eum multa ſimulare & diſſimulare etiam inuitum & cum dolore, cum aperti & ſimplices, qui animum in fronte gerunt, ſæpè impediantur.*

Aſtutus cautè agit in omnibus, & conſideratè facit omnia, inquit Salom. Prou. 14. Qui quidem rex etiam hoc præceptum prudentiæ tenuit, cum iudicium ferẽdum eſſet & dicẽda ſentẽtia duab. iſtis mulierculis, de infante viuo litigantibus: ibi enim videmus manifeſtum diſſimulationis exemplum in Salom. quod ſcriptura valdè prædicat. Hoc loco facere non poſſum, quin breuiter moneam de abuſu vocabuli *Politica*, quod hodiè apud omnes obtinuit, dum nempe *Politici* vocantur illi, qui in conuerſatione cum aliis norunt ſe accommodare locis, temporibus & perſonis, & norunt ſimulare ac diſſimulare; cum tamen iſti non ſint *Politici*, ſed *Ethici* tantum vocandi, quando nempe iſta accommodatio, itemq; ſimulatio ac diſſimulatio fit à priuato ad priuatum. Quod propterea moneo, ne mirentur ſtudioſi Politicæ, quod in hoc Syſtemate Polit. nulla tradantur præcepta de Politicis tali vocis abuſione appellatis. Cæterum de prudent.

princ.politica, vide Lipſ.lib.3.c.1.& Caſtel.lib.4. c.20.& ſeqq.

Tantum de virtute principis politica dirigente, ſiue vniuerſali: Particularis virtus politica principis eſt triplex: 1, iuſtitia iudicialis; 2, clementia; 3, comitas, ſeu facilitas audientiæ.

Iuſtitia Iudicialis eſt, per quam & vult & poteſt omnib. pro merito tribuere, quod tribuendum eſt in adminiſtratione regni.

Differt iuſtitia iudicialis à iuſtitia diſtributiua, tanquam ſpeciale à generali: nam iuſtitiam diſtributiuam etiam poteſt exercere priuatus erga priuatum, vt in Ethicis patet: ſed hanc excellentem iuſtitiam diſtributiuam quam *Iudicialem* dicimus, non niſi abſolutæ poteſtatis princeps exercere poteſt in ſubditos; ſiquidem per hanc iuſtitiam leges fert & leges exequitur, & priuilegia diſtribuit, & ſupplicia irrogat, vt ſuo loco apparebit. Lipſius lib.2. Polit.cap.10. & 11. de hac iuſtitia tractat; & definit virtutem ius & æquum in ſe inque aliis firmiter ſeruantem. Quamuis illud quod dicit Lipſius, in ſe magis ad iuſtitiam vniuerſalem pertineat, qua nempe princeps noſcit ſe etiam legibus eſſe ſubiectum; vt ſupra docuimus.

Canones de Iuſtitia Iudiciali ſunt:

1 *Ad iuſtitiã iudicialẽ pertinet leges ferre regno ſalutares*

ſalutares & neceſſarias, easdemque tueri & exequi.

2 *Pertinet ad iuſtit. iudicialem, tanquam eius pars, Seueritas principis, qua nempe ſe non patitur flecti ac moueri, tum quando lex & ſalus regni id requirit, vt iuſtitiæ ſatisfiat.*

Vide de Seueritate principis Caſtell. libr. 4. cap. 13

Clementia etiam virtus eſt principum propria, quæ vel in genere ſpectatur, vel in ſpecie.

In genere ſpectata clemētia, eſt beneuolus affectus principis erga ſubditos, per quem facilè ad miſericordiam mouetur, quando res & perſona commiſeratione digna eſt.

Seneca, vt notum eſt, ſcripſit egregium opus de clementia, in quo diſſerit clementiam non eſſe priuati hominis virtutem, ſed competere principi, atque adeo ſit virtus eius qui ſummum ius habet in alios. Generaliſſima appellatione etiam *Miſericordia principis* dici poteſt, prout Caſtellanus eruditè inter miſericordiam & clementiam principis diſcernit, lib. 4. c. 12. Nam miſericordia denotat affectum principis erga ſubditos generaliorem in omnibus iis rebus, quibus imbecillitas humana ſubiecta eſt in genere: Clementia vero denotat ſpecialem quendam affectum principis erga ſubditos, quo rigorem ſummi iuris moderatur, ſicut iam porrò dicemus.

Clementia ergo in genere eſt lenitas principis erga ſubditos, in omnibus iis rebus, quæ ſalua maieſtate ſua & ſalute regni ſubditis poſſunt concedi.

Clementia in ſpecie eſt virtus, quâ princeps moderatur rigorem ſummi iuris pro certis quibuſdam circumſtantiis, tum legum, tum & eorum qui peccarunt.

De clementia princ. videatur Lipſ. lib. 2. Polit. c. 12. & 13.

Reſtat Comitas ſiue facilitas audientiæ; quæ eſt virtus qua princeps ſubditos ſuos facile ad ſe admittit & patienter audit, ac promptè eorum petitionibus ſatisfacit.

Canones de hac virtute ſunt:

1 *Nullus debet eſſe tam abiectæ ſortis ſubditus, quem princeps ad ſe non admittat, & quem non patienter audiat, præſertim in ſtatu reip. pacato, vbi non eſt metus inſidiarum.*

2 *Facilitas audientiæ magnam anſam auferet adulatorib. aulicis, qui ſubditos principum exhauriunt, & lucrum ſuum in eo aucupantur, quod aditum ſubditis aperiãt ad principes, & quod a principibus petita ſubditorum impetrent. Quod quando fit, princeps in odium maximum incurrit, ac omnẽ laudem benignitatis ac clementiæ amittit, tanquam qui non in gratiam ſubditorum aliquid faciat, ſed in gratiam ſuorum adulatorum aulicorum.*

Vide de audientia principis egreg. cap. 9. Caſt. lib. 4.

Hucuſque de virtutibus boni principis: ſupereſt vt cauſam boni principis breuiter enumeremus.

Eſt

Eſt autem cauſa hæc partim Natura, partim Cura.

Natura principum benè temperata & diſpoſita ad virtutem eſſe debet, immo & heroico quodam impetu inflammata; ſecus enim nihil præclari in principatus adminiſtratione geri poteſt.

Recte enim Cicero, *neminem vnquam magnũ fuiſſe ſine peculiari afflatu diuino*, ſiue impetu heroico. Idcirco omnia regna & reſpub. vel languidè admodum vel malè etiam reguntur, cum in principibus non ineſt heroicus impetus.

Cura conſiſtit in educatione principis; quæ educatio fit tum per præcepta, tum per exercitia.

Præcepta ſunt tum doctrinæ, tum morum; idcircò principibus iuuenibus præfici debent duplices perſonæ; nempe 1, tales, quæ eum doctrinis erudiant; poſt etiam tales, quæ mores eius forment.

Memorabile eſt quod Plato refert, filiis regum Perſarum quatuor prçeptores fuiſſe præfectos; quorum primus eſſet ſapientiſſimus; ſecundus, temperãtiſſimus; 3, iuſtiſſimus, qui nempe principem exerceret in cauſis agendis & ſententiis ferendis; 4, deniq; fortiſſimus, qui principem exercitiis bellicis inſtrueret.

Exercitatio eſt vel Domeſtica, vel Extranea.

Domeſtica exercitatio, eſt vel Primaria vel Secundaria.

Primaria exerc. eſt in bonis & virtutibus animi, quæ fit tum per moderationem Præceptorum & Ephororum, tum per exempla & imitationem principis parentis & aliorum principum vicinorum.

Iuuenis princeps inprimis ſedulò notare debet exemplum principis patris, & modum regiminis eius; nec tantũ patris, ſed & aliorum principum laudatorum: nulla enim res citius Principem informat, quam imitatio Principum. Et hoc eſt quod regina Angliæ aliquando dixit; *Oportere eũ qui cũ principibus verſari velit, in libris principum verſatum eſſe*; vbi per *libros*, intellexit exempla principum.

Exercitia corporis à parente principe & Ephoro præſcribi debent, & accommodari partim ad ſanitatem, partim ad robur, partim deniq; ad præparationem bellicam.

Externa exercitatio eſt Peregrinatio Principis iuuenis; quæ debet eſſe moderatior quam aliorum hominum inferioris conditionis: tum propter periculum, tum etiam propter neceſſitates regni, quod non diu poteſt ferre abſentiam principis.

An princeps primogenitus, qui iam deſtinatus eſt ad gubernacula regni, ſiue principatus, debeat peregrinari, præſertim his temporibus, grauis eſt quæſtio apud prudentiores politicos, quæ in cõſilio Principis Iuliacenſis aliquãdo fuit in vtramque partem agitata, grauibus vtrinque adductis argu-

argumentis, quæ prudenter & eleganter recenſet Stephanus Pighius in *Hercule Prodițio*, ſiue in peregrinatione principis Iuliacenſis Caroli; ad quem locum non longè à principio lib. extantē, relego ſtudioſos Polit. & hanc materiam concludo; ſic tamen, vt moneam de principum educatione eſſe legendos hos autores: 1, Imperatorem Emanuelem Palęologum in *præceptis educationis regiæ*, ad Iohan. filium; item Beliſarium Neritanorum ducem, *de principis educatione*; quos duos libros egregios admodum è Græco verſos edidit Iohan. Leunclauius. Legatur etiam *horologium principum* Anton. Gueuaræ, lib. 2. item Franciſc. Patricius lib. 2. toto *de inſtit. regis*. Caſtell. lib. 1. c. 7. & 8. item Reinhardi Lorichii *pædagogia principis* Item Iohan. Mariana *de inſtit. regis*. Denique *Donum regium Iacobi* VI. *Britanniæ regis ad filium Henricum.*

CAPVT IV.

De fundamentis ſiue cauſis regni propriis; & primò quidem de ſucceſſione, electione & inauguratione regis, ſiue principis.

FVndamenta regni ſiue principatus remota hactenus fuerunt: ſequuntur propinqua.

Fundamentum propinquum regni ſiue principatus eſt vel capeſſendi regni, vel ſtabiliendi.

Fundamentum ſiue cauſa capeſſendi regni

eſt tum receptio ſiue conſtitutio principis, tũ obligatio mutua principis & ſubditorum.

Conſtitutio, ſiue receptio & vocatio principis vel eſt immediata, vel mediata.

Immediata conſtitutio & vocatio principis eſt, quæ immediatè fit per Deum ipſum.

Qualis fuit conſtitutio regni primi inter homines, & poſtea etiam Saulis ac Dauidis in populo Iſraelitico.

Neceſſaria eſt hæc diſt. conſtitutionis Principis in ordin. & extraord. nam interdũ nec per ſucceſſionẽ, nec per electionẽ aliquis ad imperiũ peruenit, ſed vi armorum & bellorum: Et hæc eſt Extraordinaria conſtitutio.

Mediata receptio ſiue conſtitutio principis eſt vel ordinaria vel extraordinaria.

Ordinaria principis receptio, ſiue conſtitutio eſt vel ſimplex, vel mixta.

Simplex iterum eſt vel per naturam, vel per vota; ſiue, quod idem eſt, vel per ſucceſſionem, vel per electionem.

Hoc loco celebris illa & ardua quæſtio nobis breuiter expedienda fuerit, *Utrum potius per ſucceſſionem, an per electionem ſumendi ſint principes*; ſiue, quod idem eſt, *an ſucceſſio, an vero electio melior ſiue ſalutarior ſit regnis ac rebuſpub* Ac pro ſucceſſione quidem hæ ſunt rationes; 1, quod eſt naturale, præferendum videtur illi, quod non eſt naturale: ſucceſſio autem eſt naturalis modus conſtituendi principes, Electio vero eſt modus artificialis. Sicut ergo imperium hominis ſuper hominem eſt naturale, vt ab initio præſuppoſuimus, ita quoque ingreſſus imperii naturalis eſſe debet. 2, quod continuat regni ſtatum benè conſtitutum, id præferendum eſt illi, quod ſtatum illum interrumpit. At ſucceſſio continuat regnum

ac impedit interregnum, cum contra electio neceſſario interregnum faciat; quod interregnum cum ſit ſtatus publici bene cõſtituti interruptio, ideo quodammodo contrariatur regno ac publico ſtatui, & importat multas confuſiones & turbas, præſertim cum veniendum eſt ad nouam electionem, vbi certatur diuerſis ſententiis ac votis, & facilè arripitur imperium ab eo, qui nõ debebat; quandoquidem natura mortalium imperii auida eſt, vt inquit Saluſt. in Iugurtha. 3, libentius & facilius obtemperat populus conſueto domino, id eſt, tali, qui natus eſt ex familia conſueta & recepta, quam alteri, qui eligitur ex familia non recepta, vt prudenter Toloſanus diſputat lib. 7. de rep. c. 4. In regni autem conſtitutione maior pars, ſiue populus magis eſt reſpiciendus quam minor pars, ſiue proceres ſapientiores. 4, diligẽtius & accuratius præparari poſſunt ad regnum gubernandum illi, qui ſuccedere debent; cum contra illi, qui eliguntur, ſæpè non ſint præparati ad regnum tam amplum adminiſtrandum, vt etiam prudentiſſimè Caſus ratiocinatur libro 3. Sph. ciuit. cap. 11. 5, in electione aut rex, ſiue is qui [a] antè rex eſt, eligitur, aut is qui rege ſuperior, ſiue imperator fuit, aut is qui rege inferior fuit. Si aliquis eligitur rege ſuperior, ſiue imperator, is volet ad imperatoriam poteſtatem conformare totum regnum, & ſic multa mutare. Si rex eligitur, id eſt, talis qui aliud quoddam regnum extra hoc habet, is diſtrahetur valdè duorum regnorum adminiſtratione, & non poterit vtrique paribus viribus præeſſe. Immò

etiam magis ſtudebit regno patrio, ſiue priori quam alteri iſti poſteriori. Si vero eligitur qui nondum fuit rex, ſed humiliori loco ac conditione poſitus, is ſi nō planè ſit heros; aut minus idoneus fuerit, ad tam amplam poteſtatem; vtpote tenuiori aſſuetus, aut animum nimis attollet, ſecundum illud: *Deterius nihil eſt humili cum ſurgit in altum*; quemadmodum grauiter monet Mittendorp. ad quæſt. 71. quæ eſt quæſtio Ptolemæi. Deniq; & hæc ratio accedit, de qua monent Politici ex Ægidio Romano lib. 3. de regim. prin. c. 5. quod nempe electi principes operam dent, vt ſuis liberis principatum relinquant, atque ita ſtatum regni electitium in ſucceſſorium mutent.

Claudianus Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum: Cuncta ferit dū cuncta timet, deſæuit in ōnes, Vt ſe poſſe putet; nec bellua tetrior vlla eſt.

a *Adhuc 3. alia argumenta nō contemnenda pro ſucceſſione afferuntur: 1 quod noua ſubditis imponantur tributa, ſi regnū ſit electitium. 2, quod facilè regni proceres pecunia oppugnentur, quemadmodum factum eſt vbi Carolus V. fuit electus Imperator. Nam Carolus V. habuit competitorem Franciſcum regem Galliarum; qui Epiſcopum Moguntinum pecunia oppugnauerat, vt pro ipſo ſuffragium ferret. Et Carolus V. Fridericum Electorem pecuniá oppugnare voluit; Fridericus autem eam noluit accipere. 3, cum ſciant principes imperium ad ſuos nepotes non deſcendere, exhauriunt ærariū: eoque ſatis abundanter fruuntur in præſentia, cum poſtea & ſibiipſis & nepotibus ſit carendum.*

b *In electitio regno certæ principibus conditiones præſcribuntur, quas ſuſcipere cogūtur: quas ſi ſeruare recuſant, repudiantur, ſiue reiiciuntur.*

Pro electione autem non minus ponderoſa videntur eſſe argumenta: nam 1, imperium digniſſimo cuiq; tribuendum eſſe, ipſa natura docet, inquit Bodinus lib. 6. cap. 4. Electio b autem digniſſimum quemque & optimum quærit ac inuenit, dicit Tacitus 1. hiſtor. contra in ſucceſſione quemque & cuiuscunque conditionis, ſiue ingenii naſci nobis contigerit, admittere cogemur, dicit Toloſanus lib. 7. cap. 15. num. 1. & Caius

lib.3.ſph.c.11.queſt.2. *Virtus*, inquit, *ſemper certior dux quam natura*; quæ nulla ſtirpis habita ratione ſua partitur dona. Electio autem fit ſecundũ virtutem. 2, nam electio eſt antiquior quam ſucceſſio: non enim potuit eſſe ſucceſſio, niſi in locum eius qui primitus fuit electus; 3, per electionẽ libertas reip. poteſt magis ſtabiliri, & poſſunt conditiones præſcribi principibus, in quas oportet eos conſentire, ſi velint reges fieri. 4, electio maiorem parit beneuolentiam erga ſubditos qui elegerunt; nam quia in electionibus plures ſunt candidati qui regnum ambiunt, quod & ipſa vox electionis indicat: eligere enim eſt ex multis vnum legere: Idcirco qui nouit ſe regnum ambiuiſſe & quæſiuiſſe, agnoſcet ſe magis eſſe obligatum regno, ad quod fuit aſſumptus; cum contra is qui ſucceſſit, cogitet coactos fuiſſe ſubditos, vt hunc regem ferrent.

Accedit ſimilis ratio 5. quod is qui electus eſt, facilius poſſit moneri & moueri, quam is qui ſucceſſit. Accedit autoritas Plinii in Panegyr. *Imperaturus*, inquit, *omnibus, eligi debet ex omnibus*: Exemplum quoque imperii Romani & regni Poloniæ pro argumento eſſe poteſt. Hæc ita in vtramque partem per argumenta, vt apparet, grauia diſputantur. Et quamuis ſucceſſionem præferant præſtantes aliquot Politici, vt eſt Bodinus, Toloſanus, Caſus, Mittendorpius, Lipſ. lib. 2. Politic. cap. 4. & nobilis vir Eberhardus à Wey, q peculiari & erudititiſſimo ſcripto Politico hanc quæſtionem accuratè pertractauit: tamen cum videam pro electione quoque & rationes & autoritates politicorum virorum militare; id-

circò quod in omnibus grauibus quæſtionibus faciendum eſſe ſæpe moneo, idem h.l. fuerit adhibendum, vt nempe limitatione certâ controuerſiã determinemus & diſtinguamus inter Mõarchiam ſimplicem, in qua mere abſolutum eſt imperium; & inter Monarchiam imperfectam, in qua non eſt imperium merè abſolutum. Nam priori, nempe perfectæ & abſolutæ Monarchiæ, ſucceſſio magis conuenit, vt primus Canon dicet: Monarchiæ autem reſtrictæ & imperfectæ magis conuenit electio.

Canones de ſucceſſione ſunt hi:

1 *Succeſſio Monarchiæ perfectæ & abſolutæ ſuâ naturâ conuenit; quia nempe principi ſuccedenti & non electitio conditiones a ſubditis eiuſmodi præſcribi non poſſunt, quæ præiudicent abſoluto eius imperio.*

Et ſicut Deus ꝓpterea ſummus eſt Monarcha, quod non ſit à ſuis creaturis electus ad imperium, neque poſſint ei conditiones à ſubditis præſcribi, ſecundum quas debeat regnare in mundo: ita Monarchiæ diuinæ imaginem is princeps proximè repræſentat, qui natura duce & Deo vocante ad imperium venit; neque paſſus eſt ſe certis conditionibus & limitationibus conſtringi ab iis, quibus abſolutè debet imperare.

2 *In ſucceſſione ergo non requiritur conſenſus ſubditorum expreſſus, ſed ſufficit tacitus; ſiue vt Politici loquuntur, præſumtus, per quem intelligitur hereditaria regni adminiſtratio delata eſſe ad certam familiam.*

Vide Toloſ. libr. 7. c. 16. Hotoman. de antiquo iure regum Galliæ, lib. 1. c. 14.

3 *Ex anteceſſoris hæredibus primogenitus legitimo matrimonio natus cæteris omnibus fratrib. præfertur; ſic tamen vt teneatur fratribus iſtis attribuere, & aſſignare tantum redituum, vnde ſtatum ſuum poſſint cum decoro tueri.*

Ius primogenituræ diuinum eſſe ex ſacris literis notum eſt, & quam varia incommoda prouenianr ex iure primogenituræ immutato, præclare & vbertim diſſerit Toloſ.lib.7.cap.7.reliquos autem omnes fratres in Monarchia abſoluta remouẽdos eſſe à gubernatione eatenus ſuadet Canon, quatenus Monarchia conſideratur non parua, vt eſt comitatus, ſiue principatus, qui ſæpe diſtribui ſolet in varios fratres; ſed Monarchia magna & plena, quale eſt imperium & regnum. Galli eiuſmodi excluſionem fratrum reliquorum, vocant *Apennaium*, Germanica voce, Abbannũg/ quaſi dicas, remotionẽ à regno; de qua vide Toloſ.lib.7.c.5. & lib.26.c.6.

4 *Primogenitus etiam is aſſumendus fuerit ad Monarchiam abſolutam, qui videtur ad regnandum inhabilis, atq; adeo, qui eſt vel ſurdus, vel mutus, vel alteri cuidam affectui obnoxius.*

Nempe, quia ſubditi ſemel latâ lege, magiſtratui & huius ſucceſſoribus ſe obligarunt, & regis poſteros in lumbis parẽtum elegerunt: à qua facta promiſſione ſine iuſtitiæ & fidei violatione non poſſunt recedere: nam, vt Iuriſconſul. dicũt, contractus primò eſt voluntatis: ſecundò, neceſſitatis. vide Toloſ. d. l.nempe lib. 7. cap.6. & lib. 26.cap.6.Dan.lib.6.Pol.Chriſtianæ, cap.2.& lib. 3.cap.6.

2 *Proximi autem huius inhabilis primogeniti a-*

gnati vel cognati, tutores & curatores ei conſtitui debent.

Vide Toloſ. lib. 26. cap. 6. & Danæum d. libr. 3. cap. 6.

6 *Conſultum eſt, vt in regno ſucceſſiuo is qui ſuccedere debet filius, à parente adhuc viuo prorex & vicarius regni creetur.*

Nempe exemplo Dauidis, qui viuus adhuc Salomonem filium regem creabat, 1. Reg. 1. Hoc inſtituto in Hiſpania primogenitus vel primogenita ſtatim adipiſcitur titulum, vt vocetur *Infans regni*. Et in Gallia primogenitus ſtatim gaudet hoc titulo, quod ſit *Delphinus regni*.

7 *Si defunctus Rex ex filio primogenito relinquat nepotem, & ſimul alium filium ſuperſtitem, nepos tamen patruo præfertur, propter ius primogenituræ.*

Exemplis & rationibus hanc conſtitutionem confirmat Toloſ. lib. 7. c. 7.

8 *Ex duobus filiis regis, quorum alter ante adeptum a patre regnum, alter ex patre iam rege natus eſt, tamen præferri debet is qui primo natus eſt.*

Conſtitutio hæc eſt in aurea bulla Caroli IV. & obſeruatur vbique in imperio inter Principes Germaniæ: nam filius is qui natus eſt ex patre nondum electore, præfertur tamen iſti filio, qui natus eſt ex patre electore; ita vt ille qui primo natus eſt, fiat elector Imperii poſt patris obitum, etſi ex patre nondum electore fuerit natus.

9 *Tantum de perſonis in ſucceſſione reſpiciendis: modus quo ſucceſſio fieri debet, hic eſt, vt omnia maturè & feſtinanter fiant, vtque is princeps, qui ius*

ius ſucceſſionis habet, ea ſtatim hora imperium capeſſat, qua anteceſſor eius diſceſſit, quia ea eſt præcipua ſucceſſionis vis & potentia, vt diſcrimen interregni prævertatur.

Supra monuimus ſucceſſionem propterea magis congruam eſſe abſolutę monarchię, quod per eam vitetur interruptio regni, quæ interruptio infert vel ἀταξίαν, ſiue confuſionem reginimis, vel ἀκαταστασίαν: ſeditionē apertam. Et per ſe notum eſt, quod ipſa forma ordinis ſit connexio antecedentium & conſequentium: idcircò de natura ſucceſſionis id quoque eſt, vt ſtatim & continuò fiat, ne connexio turbetur. Vnde in Monarchiis & regnis ſucceſſiuis ſalutari admodum conſilio receptum eſt, vt paucis horis poſt mortem anteceſſoris publicè nominetur & proclametur is, qui ſuccedere debet, etſi longè adhuc abſit ab iſto regno, ſicut ante quadriennium accidit in regno Angliæ, vbi ſtatim poſt mortem reginæ Angliæ Eliſabethæ Iacobus VI. fuit vocatus, etiā ſi adhuc in Scotia eſſet, & mortuā eſſe reginam adhuc ignoraret.

Sequitur Electio; quæ eſt vel principalis, vel minus principalis.

Electio principalis eſt, quando per conſultationem & ſuffragia, magiſtratus regni inferiores, ſiue proceres, accedente reliquorum ſubditorum conſenſu regem ſibi eligunt.

Canones de hac elect. ſunt:

1 *Minus quidem conſentanea eſt Monarchiæ electio, ſed tamen neceſſario ſubinde inſtituenda eſt*

etiam, in abſoluto imperio; quando nempe deficiunt omnes hæredes & extinguuntur omnes familiæ regum, ita vt per naturam nemo ſuccedere poſſit.

2 *Debet autem fieri electio publicè in regni conuentu, ſiue comitiis, & per ſuffragia procerum libera, id eſt, nec coacta ab eo, qui eligi vult, nec muneribus aut blanditiis corrupta.*

Publicè fieri debet electio, quia publica perſona & in publicum bonum eligenda eſt, & vitandæ ſunt omnes ſuſpitiones, quæ ex clandeſtinis conuentibus oriri poſſunt. Libera eſſe debet electio; quia rationibus & argumentis agendum eſt, non autem affectibus, qui ſemper ſunt peſſimi conſiliarii; &, vbi non eſt libertas, ibi nec eſt electio, neque eligi poteſt is, qui ſeipſum obtrudit aut artibus quibuſdam atque obreptione regnum inuadit. Plato lib. 6. de legibus hanc materiam tractãs, inquit: Electiones magiſtratuum liberè & incorruptè fiant.

3 *In electione Electores reſpiciant magis ad requiſita principis fundamentalia & principalia, quã ad ſecundaria; vt ſunt potentia, diuitiæ, ſplendor familiæ, &c.*

Toloſan. lib. 7. cap. 13. oſtendit quam male ceſſerit hoc, quando principes ob diuitias electi fuerunt: & cap. 16. & 17. diſputat, quam non ſit reſpiciendum ad vim & potentiam in electione principis, prout cap. 15. diligenter annotauerat liberam conſultationem in electione inprimis reſpiciendam eſſe. Monet ſimilia Danæus libro 6. Politicorum, cap. 2. & Lipſ. libr. 2. Politicorum, cap. 4.

Electio minus principalis eſt, quando princeps, ſiue rex, vel ſorte, vel alio aliquo fortuito caſu rex eligitur.

Canon de tali electione eſt:

Vbi nec ratio nec conſilium adhiberi poteſt, aut vbi pares regnum ambiunt, quorum neuter videtur eſſe contemnendus, tum ad ſortitiones, ſiue ſortem veniendum eſt. quod tamen rariſſimum fuerit; certamini autem Candidatorũ aut equorum curſibus & ſimilibus caſibus nunquam regni conſtitutio permittenda eſt.

Duplex controuerſia hoc Canone comprehenditur, quarum prior eſt: *An regnorũ commiſſio atque adeo electio principis ſorti ſit committenda*; pro cuius quæſtionis affirmatiua parte adduci ſolet exemplum Matthiæ Apoſtoli, ex cap. 1. Actorum Apoſtolorum, vbi textus narrat Apoſtolos ſortem miſiſſe in eligendo Matthia; vnde nonnulli concludunt, ſortitionem eſſe rem diuinam, & diuinitus electos videri, qui ſorte eliguntur, cũ præſertim etiam Salom. in Prouerbiis dicat ſortes dirigi à Iehouah. Sed oportet diſtinguere inter vocationem principis mediatam & immediatam: nam immediatam iſtam electionem Matthiæ fuiſſe, ſatis apparet ex verſicul. 24. cit. capit. vbi Apoſtoli ita Deum obteſtantur: *Tu Domine, qui corda omnium hominum noſti, oſtende vtrum elegeris ex his duobus.* Pro parte ergo negatiua grauiores videtur eſſe Politicorum rationes; nempe, quod cum electio principis ſit res omnium maxima, & totius rei-

pub.clauis, idcirco fortunæ caſibus committi nõ debeat, præſertim cum, vt Cicero dicit: *In & pro reoub. ſint omnia ſumma ratione agenda*, vt latius videri poteſt Caſus libr. 4. Sph. cap. 15. quæſtione 2.

Et ſanè tentare fortunam, vbi conſilio locus eſt, temerarium iudicari debet, inquit alicubi Pontanus; & Bodinus lib. 6. de repu. cap. 5. *Quomodo*, inquit, *inter Neronem & Tiberium poßet ſors diſcernere? ſi autem diſcernere non poteſt, nec debet decernere, ſed electio, conſilio electio ſuſcepta præferenda fuerit.*

Hæc ita in vtramque partem diſputantur: Canon autem determinat controuerſiam duplici limitatione; quarum prior eſt: *Sors tum demum locum habet, vbi ea eſt neceſſitas, vt nec ratio nec conſilium adhiberi poſſit*; quæ eſt regula Bened. Aretii parte 2. problemat. Theolog. folio 147. Altera determinatio eſt: *Si in electione concurrant duo candidati regni virtute & aliis requiſitis pares, ſortitione vtendum eſt, ne alteruter ex cõtemptu videatur reiici*; Vide Toloſan. libr. 7. cap. 14. & Caſum loco antè cit. Aretius cit. par. problem. pag. 634. addit etiam has cautelas, quod ſortitiones debeant eſſe rariſſimæ, & ex numero earum quæ ſunt licitæ.

Illud addo, quod Ariſtoteles 6. Pol. c. 2. de ſortibus monet, nempe in ſtatu regiminis Democratico, vbi ciuium æqualitas attenditur, vtiliter ſortitiones in magiſtratibus eligendis adhiberi: Sed nos de Democratia nondum agimus. Altera controuerſia, quam Canon determinat, eſt:

Vtrum

Vtrum curſibus equorum vel ſimilibus certaminib. electio principis ſit committenda; & reſpondetur quod non. Afferuntur quidem exempla: 1, Darii regis Perſarum, qui hinnitu equi fuit electus, vt refert Herod. in Thal. 2, exemplum Gordii regis Phrygiæ, quod narrat Iuſtinus lib. 11. deniq; exemplum etiã principis Poloniæ, [a] Leſci, de quo ſcribit Herbortus in Chro. Pol. lib. 1. c. 8. Sed ad iſta exempla non difficilis eſt reſponſio, quod dum equorum curſui & ſimilibus certaminibus commendata fuit principis electio; ſimul etiam fuerit reſignata fraudibus, vt manifeſtè probat exemplum Darii: quamuis non tam fraus ea ac dolus fuerit, quam ſingulare artificium; ſed manifeſta fuit fraus Leſci in hiſtor. Polon.

[a] *Leſcus enim cum aliis regni competitoribus curſus certamen initurus, aculeos, ſiue hamos ferreos (quos Germani milites etiam ponere ſolebant,* fuſʒangel*) ſub arena poſuit, equum etiam ſuum ſoleis ferreis (quæ tum nondum erant in vſu) muniuit, vt ſi à tramite aberraret, pedes equi non læderentur, & ſic per anfractus etiam decurrens ad metam cum omnium admiratione peruenit, reliqui vero q. irretiti ſubſiſtebant in medio curſu. Sed deprehenſa fraude Leſcus iſte in multas particulas fuit diſciſſus, &c.*

Reſtat commiſſio regni mixta, quando nempe iure hæreditario quidem ſucceditur in regno, ſed tamen fauoris maioris cauſſa additur electio & approbatio ſubditorum.

In multis Monarchiis abſolutis iure quidem hæreditario regna deferuntur principib. ſed ita vt accedat etiam comprobatio & velut electio quædam ſubditorum, vt nempe princeps fiat tãtò gratior, & vt ei minus denegetur obedientia,

ſicut ex 1. Reg. 12. & 2. Regum 4. & aliis ſcripturæ locis deducit Iohannes Althuſius in Politic. ſua, cap. 15.

Hucuſque de ordinaria regni commiſſione: Extraordinaria eſt, quæ extra ordinem fit.

Eſtq; vel Togata vel Armata.

Togata eſt, cum vel iure dotis regna acquiruntur, vel ex pacto & iure fœderis, vbi princeps vicinus ſub caſu extinctæ familiæ ſuæ defert ſucceſſionem ad principem vicinum.

De iure dotis quomodo per illud regna acquirantur, vide Toloſ. lib. 7. c. 16. Altera autem regni acquiſitio, nempe ex pacto fœderis inter principes vicinos, vſitata eſt in Germania: e.g. inter domum Saxonicam & domum Haſſiacam eſt tale pactum, vt ſi familia Saxonica penitus extinguatur, ſuccedat in Miſniæ principatu princeps Haſſiæ, & contrà: Germani vocant Erbverbündnuß.

Canon de hac acquiſitione eſt:

Acquiſitio principatus per eiusmodi pactum & fœdus non eſt legitima, niſi ſit reciproca, & niſi conſenſu ſubditorum vel tacito vel expreſſo fuerit approbata.

Sic ſubditi Miſniæ non tenerentur Landgrauios Haſſiæ agnoſcere pro principibus, etiamſi extincta eſſet Marchionum familia, niſi iſta confœderatio ſpecialis inter hos principes foret reciproca, ita vt etiam Marchiones Miſniæ poſſint fieri

fieri Landgrauii Haſſiæ; & niſi tacito ordinum tam Miſniæ quam Haſſiæ conſenſu iſtud pactum fuiſſet approbatum; nam ſi approbatum non eſſet, iam non homagium, ſiue iuramentum fidelitatis de futuro Miſniæ populus præſtaret Landgrauio Haſſiæ, nec Haſſi præſtarent Marchion. Miſniæ, quod tamen publicè fieri notum eſt.

Armata acquiſitio eſt, cum iure belli regnum aliquod occupatur à principe, atque adeò quando populus armis ſubigitur & vi conſtituitur imperium.

De hac imperii conſtitutione ſunt iſti Canones:

1 *Monarchia quæ iure belli acquiſita eſt, durius atq; arctius obligat ac conſtringit ſubditos quā illa, quæ viis ordinariis acquiritur.*

2 *Duobus modis fit, vt regna iure belli acquirantur: quorum primus eſt, quando princeps à principe iuſto bello pellitur, & ſuo principatu exuitur.*

Iuſto bello dico, id eſt, tali, quod vel defenſionis, vel etiam amiſſorum recuperationis gratia ſuſceptum eſt. Nam aliàs ſi princeps principis ditionem inuadat, eumque violenter opprimat, nō tam iuſtum bellum cenſeri debet, quam publicū latrocinium, vt infra latius dicetur, vbi de bello acturi ſumus.

3 *Alter modus eſt, cum barbaræ gentes ſubiguntur, & ii qui nullius imperio antea parebant, in poteſtatem principis rediguntur, certâ inter eos regiminis formâ conſtitutâ.*

4 *Princeps non libidine dominandi aut regnū ſuum amplificandi barbaras nationes inuadere debet, ſed eo ſaltem conſilio & ſcopo, vt homines immanitate barbari ad culturam, honeſtatem ac pietatem deducantur.*

De inuaſione barbarorū grauis & vtilis quæſtio eſt in Politicis: e.g. *Utrum princeps aliquis Chriſtianus iuſtè poſſit inferre bellum barbaris nationibus, à quibus nūquam ipſe eſt læſus*; &. *an illud imperium ſit legitimum, ac fundamentū regiminis habeat quod eiusmodi inuaſione, ac bello acquiritur.* Reſpondent Politici, hactenus iuſtum fore imperium, ſi barbaræ nationes non inuadantur primò libidine dominandi, atq; adeò aucupio quodam gloriæ, nec etiam propter vltionem vel vindictam aliquam magis priuatam, quam publicam, nec deniq; ob auaritiam. Vide præclarè de hac materia diſputantem Lipſ. lib. 5. Polit. c. 4. & ex eo Caſmannum in Polit. c. 8. Quod ſi ad has notas & requiſita examinetur imperium Hiſpanicum in Indos, vtiq; dubitari valdè poteſt, an legitima fuerit iſta barbarorum inuaſio, vtpote cum videamus pro ſcopo fuiſſe propoſitā à pleriſq; eò miſſis præfectis & legatis, inexplebilem auaritiam & non emendationem aut conuerſionem, ſed euerſionem & vaſtationē iſtorum ampliſſimorum regnorum. Quod non tam meo ſenſu dico, quam teſtimonio hominis Hiſpani, *Barthol. Caſai* Epiſcopi, qui in narratione ſua de regionum Indicarum per Hiſpanos deuaſtatione ſub finem lib. hæc verba habet: *Rubore ſuffundi*
„ *deberemus, quod omni timore Dei remoto, tam exe-*
„ *crandis facinoribus colorem addere & ea excuſare*
tentemus

ſentemus; cum præcipuè cernamus nos (Hiſpanos, „ nempe) quadraginta octo annorum ſpacio regiones, „ maioris longitudinis, quam ſit tota Europa, & pars, „ Aſiæ, ob hanc cauſam vt diuitias conſequeremur, „ deſtruxiſſe, eas terras deprædantes & omni crudeli-, „ tate, iniuſtitiâ & tyrannide occupantes & vſurpan-, „ tes, quas humanis habitatoribus & incolis refertas, „ vidimus, & in iis vltra viginti hominum milliones, „ periiſſe certò ſcimus. „

Porrò vocatio principis, ſiue commiſſio tam Ordinaria, quam Extraordinaria, vel nuda eſt, vel certis ſymbolis inſignita.

Nudam hactenus vidimus: certis ſymbolis inſignita vocatur Inauguratio, *quæ eſt ceremonia ſolennis & publica, conſtans diuerſis partibus, quarum quædam eſt primaria, quædam ſecundaria.*

Primaria pars inaugurationis conſtat partim certis actibus, partim adiunctis.

Actus inaugurationis hi ſunt: 1, cum princeps in publico ſiſtitur & proclamatur: 2, cum inſignia regni ei traduntur, atq; in poſſeſſionem regni immittitur: 3, cum ſacris initiatur publicè in templum deductus, & diuino numine inuocato vel inungitur, vt in quibusdam regnis vſitatum eſt, vel alio modo conſecratur: 4 denique, cum fit publica acclamatio & congratulatio.

De variis ritib. & formulis inaugurationis, &, vt loquuntur Politici, *inueſtitura*, vide Alexan-

drum ab Alex.lib.1. Genial.dier.cap.28.& Toloſanum lib.6. cap. 20. Sleidanus lib. 19. circa medium eleganter deſcribit inaugurationem regum Galliæ.

Adiuncta vel principalia ſunt, vel minus principalia.

Principalia ſunt, Corona, Sceptrum, globus aureus, ſiue pomum aureum, & amictus purpureus.

Minus principalia ſunt faſcia, diadema, pileus, gladius, haſta, amictus holoſericus.

Prout Monarcha eſt vel Imperator, vel Rex, vel Princeps inferior, pro eo etiam adiuncta & inſignia eiuſmodi ſunt vel ſplendidiora, vel minus ſplendida, prout præceptis diſtinximus.

Et ita de partibus inaugurationis primariis: Secundariæ ſunt vel Res, vel Tituli.

Res ſunt partim pompæ, & conuiuia, partim Inſignia.

Conuiuia & pompæ publicæ circa inaugurationem, pro more cuiusq; gentis inſtituuntur; & conueniens eſt vt primus ingreſſus principis in imperiũ ſit lætus & fauſtus, atq; acceptus omnib. Ita Plinius in Panegyr. ad Trai. *Primus*, inquit, *ingreßus principis in vrbes lætus ac feſtus eſſe debet; & congiarium beneficiumque populo tum eſt dandum*. Vide Tol. lib.6.c.20. Sleid. lib.1. de inaugur. Caroli & Ferdinandi.

Inſignia principis ſunt imagines, vel notæ

etiam

etiam hieroglyphicæ, breuiter & ſignificanter ſculptæ pictæve.

De inſignibus principum deque imaginibus Toloſ.lib.6.cap.16. Imperatores Rom.pro inſignibus habent aquilam bicipitem; Reges Galliæ habent Lilia; Angliæ reges habent roſam cum Leone. Vide pulcherrimum tractatum *Nicolai Reuſneri* de inſignibus Imperat. regum ac principum.

Verba, ſiue tituli regum & principum tam varii ſunt, quam eſt varia gentium lingua ac conſuetudo: Qui magni ſunt, inuictiſſimi, celſiſſimi, ſereniſſimi. *Qui inferiores ſunt*, Illuſtriſſimi *appellantur.* *Verbalia inſignia, ſiue tituli.*

Vide Tol.lib.6.c.4.5.8.9.13.&15.Alex.ab Alex. lib.1.cap.2.Apud nonnullas gentes vſitatum fuit principes inſignire nomine alicui⁹ præclarè meriti principis. Ita Ægyptii ſuos reges *Pharaones* & *Ptolemæos* nominarunt. Parthi ſuos reges vocarunt *Arſacidas*, ab Arſace rege benè merito. Romani ſuos imperatores vocarunt *Cæſares* & *Auguſtos*. Turcæ ſuos Imperatores vocant *Otomannos*, ab Otomanno principe præclarè merito. Iudæi olim reges ferè omnes gentium vicinarum vocabant *Abimelech*; vt rectè annotat Tol.lib.6. cap.10.& 14.apud quem plura de ſuperbis & vanis titulis quorundam regum legi poſſunt eiuſdem lib.c.11.& ſeq.

Et huc vſque etiam fundamenta propinqua, quæ ad ineundum regnum pertinent: reſtant fundamenta proxima, pertinentia non tantum

ad ineundum, ſed etiam ad confirmandum regnum; quæ quidem tria ſunt: 1, bona affectio ſubditorũ erga principem; 2, felicitas & ſucceſſus principis; 3, autoritas ſiue maieſtas principis.

Bona affectio ſubditorum, ſiue beneuolentia erga principẽ, eſt affectus, ſiue inclinatio animorum, eorum nempe, qui parêre debent, erga principis perſonam & ſtatum, ſiue formam regiminis.

Plin. in Pãegyr. Fideliſſima cuſtodia magiſtratuum eſt beneuolentia ſubditorum.

De hoc fundamento & firmamento principis, vide præclarum cap. Lipſii 8. lib. 4. Vide etiã Toloſanum lib. 3. c. 9. lib. 8. c. 11. lib. 22. c. 8. Antimachiauell. lib. 3. theor. 22. & 26. Caſtellan. lib. 1. cap. 65.

Canones de bona affectione ſubditorum erga principem ſunt hi:

1 *Sicut in aliis omnibus actionibus humanis, ita inprimis in ſumma illa actione, nempe in gubernatione reip. omnia oportet ex amoris fontibus promanare, ſicut egregium illud dictum ſonat:* Ab eo quod placeas hominibus actionum efficacia eſt; *quod ſumitur ex 4. epiſtola Platon.* διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστί.

Plato ad Dionem.

2 *Iſta a. bona affectio ſubditorum erga principem, ex duabus potiſſimum cauſſis oritur; 1, ex bene meritis erga regnum, ſiue ex eo, quod ſubditi manifeſtè vident, principem omnia ſua referre ad ſalutem reipublicæ; 2, ex temperata quadam benignitate & lenitate: contra v. odium ſubditorum aduerſus principem, ex duabus præcipuè cauſſis promanat: ſi malè mereatur de regno & ſuis tantum commodis*

modis proſpiciat auarus princeps. 2, ex ſæuitia.

Vide Lipſ.dicto lib.c.9.vbi recenſet cauſſas & fontes odii ſubditorum erga principem.

Felicitas principis eſt, cum proſperè cedit quicquid ſeu pacis, ſeu belli tempore ſuſcipit ad regni vel gubernationem vel defenſionem; quæ quidem felicitas primò ſingulariter oritur ex præſentia diuina; 2, ex prudentia principis.

Oportet enim omnibus illis, qui in genere humano magni eſſe volunt, ſingularem quãdam felicitatem diuinam eſſe adiunctam. Qua de re vide loca autorum paulò antè citata, & ea quoque quæ paulò pòſt citabuntur de maieſtate princ.

Maieſtas principum eſt vel prima, vel orta.

Maieſtas prima eſt vis quædam, per quam princeps ſibi conciliat in animis hominum ſingularem quãdam admirationem & venerationem, & cum vtraq; coniunctum metum.

Canones de maieſt. hac ſunt:

1 *Maieſtas, quæ &* auguſta autoritas *&* celſitudo principis *dicitur, eſt vita & anima regni, quæ efficit vt tot mortalium millib. vna anima præſideat, & ab vno capite tot membra pendeant.*

Vide de autorit. Princ. Lipſ. cit. lib. c. 11. Caſtell. lib. 2. c. 24. Toloſ. lib. 8. c. 4.

2 *Oritur iſta maieſtas vel ex occulta cauſſa, vel ex aperta.*

3 Quod ad occultā cauſam attinet, certum eſt Deum ſecretam quandam maieſtatem addere magiſtratibus, & inprimis perſonis Regum ac Principum, vt agnoſci poſſit has perſonas ex genere humano ſelectas eſſe, & ad maiorem quendam gradum ac ſtatum euectas, ita quidem vt etiam effrenati homines in conſpectum principum adducti, occulto quodam ſenſu cohorreſcant.

4 Apertæ a. cauſæ, ex quibus iſta maieſtas oritur, ſunt triplices: 1, mores egregii & virtutes principis; 2, forma regiminis prudens & temperata, & deniq; 3, felicitas ac ſucceſſus.

5 *Maieſtati huic opponitur* contẽptus principis, *qui totius gubernationis peſtis & mors eſt; quia vires imperii ſitæ ſunt in conſenſu obedientiæ, cui conſenſui planè contrariatur contemptus, quia conſenſus obedientium oritur ex æſtimatione principis in omnium cordibus concepta.*

6 Oritur a. contemptus iſte ex 3 cauſſis; 1, ex vitiis principis; 2, ex forma regiminis praua, atque inepta; 3, ex infelicitate, vt & infauſtis ſucceſſibus.

Vide iterum Lipſ. lib. 4. cap. 12. & Richterum in axiomat. Politicis, item Althuſ. in Polit. c. 19.

Maieſtas orta eſt ius & poteſtas principis, vt poſſit procurare & exequi omnia illā publica negocia, quæ ad regiminis formam atq; ad ſalutem regni publicam pertinent.

De hac Canon eſt:

Ius maieſtatis ita in genere conſiderandum eſt, prout in præcepto conſiderauimus: ſed in ſpecie cer-

ia quædam capita à Politicis exprimuntur, quæ ad maieſtatis ius pertinent: quæ quidem ſunt: 1, bellum indicere, aut pacem inire; 2, ius & legem iubere; 3, magiſtratus mandare; 4, prouocatio ſiue appellatio ſumma & extrema; 5, iure vel iniuria damnatos liberare; 6, fidelitatem & obſequium debitum ab omnibus poſtulare; 7, monetam, ſiue nummum cudere.

Iſta 7. cap. maieſtatis ſummæ, latè proſequitur Bod. lib. 1. de rep. c. 10.

CAPVT V.

In quo generales Canones & regulæ de cura ſiue regimine principis.

HVcuſque expediuimus doctrinam de perſona principis, de fundamentis principatus, atq; adeò de proprietatibus inde fluentibus: ſequitur vt doceamus de officio & cura principis, ſiue de ipſo regendi & adminiſtrandi actu, atq; adeò de forma regiminis boni.

Nam in omnib. relationib. primò ſpectari debet ſubiectum, pòſt fundamentum, & 3. effecta ex iſto fundamento fluentia.

Officium principis & cura regiminis vel in genere conſideranda eſt, vel in ſpecie.

In genere ſic rectè conſiderabitur cura regiminis, ſi primò conſideremus proprietates eius, ſiue qualis iſta cura eſſe debeat; 2, ſi ſpectemus cauſſas inſtrumentales & adminiſtras iſtius curæ, nempe leges & conſilia, ſiue conſi-

liarios atque alios principi neceſſarios miniſtros.

Qualis eſſe debeat cura regiminis in genere, docent hi Canones:

1 *Princeps ardenter amet eos, quos vult & debet regere, & ſciat ſe publicam eſſe perſonam, atque adeò publicam ſalutem potiſſimum ſpectare debere.*

Amor ſubditorum, ſiue eorum, qui regendi ſunt, imprimit in affectus principis ſeriam curam publici regiminis, vt nempe & velit & poſſit ſuſtinere grauiſſimum illud onus, quod ei impoſitum eſt in publica iſta tot hominum gubernatione, non ſecus ac vnicus amor liberorum in parentes efficit, vt poſſint ſuſtinere labores & moleſtias educationis. Ex eodem amore promanat etiam iſta cogitatio principis boni, quod conſideret ſe perſonam eſſe publicam, atq; idcirco omnia ſua conſilia & actiones in publicum bonũ directas eſſe debere. Vnde Ariſt.5.Pol.c.1. Magiſtratus eſt cuſtos & adminiſtrator communium bonorũ, & non propriorũ. Item illud: *Magiſtratus hominib. præeſt, ſed hominum cauſſa*; quod latiùs explicat Toloſ.lib.5.c.5.& lib.8.c.11. Itẽ illud: *Magiſtratus debitor eſt ſuis debitis.* Et hinc etiam diſputationes iſtæ nõnullorum Politicorum promanarunt, quod *populus ſit potior & dignior magiſtratu*; ſicut quidem diſſerit Danæus lib.1.Pol. c.4. vbi inquit: *Populus ſuo magiſtratu prior eſt tẽpore, & naturâ & dignitate etiã; quia populus magiſtratum conſtituit, & quia populus ſine magiſtratu eſſe poteſt, ſed magiſtratus ſine populo non poteſt*

eſſe

eſſe: qua de re videatur & Steph. Brutus in Vindiciis contra Tyrannos, quæſt.3. vbi inquit: *Sunt ergò reges à populo, & ſunt conſtituti cauſſa populi*: quod latius amplificat Euſeb. Philadel. lib.2. de hiſtoria Galliæ. Hottom. etiam de antiquo iure regum Galliæ, cap.19. & 23. probat ſubditos eſſe præferendos magiſtratui; quia, inquit, princeps eſt mortalis, & eſt perſona ſingularis: Regnum a. eſt vniuerſale quiddam, & quiddã immortale ac perpetuum. Sed contra diſputat Albericus Gentilis in diſp. de poteſtate regia, & dicit ſibi videri falſam iſtam ſentẽtiam Politicorum, *quod magiſtratus, ſiue princeps ſit populi cauſſa*; quaſi, inquit, eſſet aliquis opilio, ſiue paſtor ouium ad id cõductus, vt oues curet; quin cõtra potius, inquit, ſubditi ſunt principis cauſſa, cũ omne id quod regitur, indignius ſit eo à quo regitur: quod a. indignius eſt, id eſt propter id, quod eſt dignius. Sed videtur ita decidi poſſe hæc quæſtio, ſi diſcernamus inter perſonam principis & officia: Sanè ꝙ ad perſonam attinet, cum ſit vnica tantum, non debet præferri tot millibus, qui ante eius natiuitatem fuerunt & poſt regem futuri ſunt: abſurdũ eſt .n. indiuiduum præferri dignitati ſpecierum. Si v. officiũ ſpectes, vtiq; princeps longè dignior eſt omnib. ſuis ſubditis; quia omnes ſubditi reguntur, ipſe a. vnus regit; id a. quod regit, excellẽtius eſt eo, quod regitur, vt antè diximus; quia agens eſt præſtantius patiente. Cæterum quomodo princeps debeat omnia ad bonum publicum referre, vide cap.6. Lipſ. lib.2. Polit.

2 *Princeps qui rectè curare & regere vult ſubditos ſuos, debet noſcere populi ingenium, mores, na-*

turam atq; affectiones; nec tantum ſui populi, ſed etiam populi in genere & populorum ſuo regno finitimorum.

3 *Populi natura in genere æſtimari ſolet ex plerorumq; hominum ingeniis; nam omnia ingenia ita diſtinctè noſſe, eſt impoſſibile.*

Rectiſſimè Poëta & planè politicè dixit: *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos*; neç eſt aliud quid quod magis laudetur in Cyro apud Xenophontẽ, quam quod tam felici ac fideli memoria fuerit, vt ſuorum præcipuorum ſubditorũ ingenium, mores & affectiones habuerit perſpectas, & nominatim ſingulos cõpellare potuerit. Sed quia ea res nec poteſt, nec debet ab omnib. principib. requiri; quia fortaſſis iſta Xenophõ in idea Cyro magis tribuit, quam in hiſtoria, id eſt, magis dixerit qualis Cyrus eſſe debuerit, quam qualis fuerit, ideò Politici hoc tantum requirunt, vt princeps noſſe diſcat in genere populi naturam, atque eam æſtimare non ex omnium, quod fieri nequit, ſed ex plerorumq; conſtitutione, quam cõſtitutionẽ breuiter vn⁹ & alter Canõ indicabit.

5 *Populus pleraque parte varius eſt, mobilis & inconſtans, pronus in affectus vehementiores in vtramq; partem, atq; in affectus etiam contrarios.*

6 *Populus plerumq; impetu fertur, & ex opinione multa, ex veritate pauca iudicat; imo veritatem metitur ex ſententium multitudine, atq; adeò ad plures ſemper inclinat, nihil penſi habens quales iſti plures ſint.*

7 *Populus eſt credulus, & quouis rumore facilè mouetur.*

8 *Populus aut humiliter ſeruit, aut potenter domina-*

minatur, & eſt ferox, quamuis verbis plerumque magis quam re. Eſt turbidus, & rerum nouarum cupidus, atque adeò præſentem ſtatum plerumq; faſtidit, & optat alium; nihil tamen facilè vnquam tentat ſine capite; quo capite ſublato, animum deſpõdet; præſertim ſi caput iſtud fuerit feruidum: fauet .n. feruidis populus; & in ſumma, medium vix vnquam ſeruat.

Vide Bodin.lib.5.c.1. Toloſ.lib.4.c.4.& 13.Itẽ lib.10.c.3.Alex.ab Alex.lib.4.c.13. Hippolytum à Col lib.de Principe,c.8. Richt.in axiom.Polit.c. 201.& inprimis Lipſ.lib.4.Pol.c.5.

9 *Populi ſeptentrionales naturâ animoſi, ſed magis interim ſimplices: Orientales v. & meridionales aſtuti, ſed ad audaciam impotentes: Quocirca Septentrionales liberius, orientales & meridionales cautius & aſtutius regendi ſunt.*

Vide Toloſ.locis modò cit.& inprimis Bodin. c.5.meth.hiſtor. vbi ex Phyſicis cauſſis hanc diſputationem eruditè proſequitur.

10 *In ſpecie princeps noſſe debet incolas ſui regni, & deinde iſtius regni etiam finitimam gentem ad omnes vndiquaq; regni limites & terminos habitantem.*

De notitia incolarum & finitimorum infra vberius audiemus.

11 *Princeps faciet, vt omnia à ſe pendeant; omnia ipſe agat, omnia ipſe firmet, vt nempe intelligant omnes non alienis, ſed ſuis oculis principem videre; non aliena, ſed ſua mente regere, principem præcipuè ſpectandum eſſe; à principe omnia præcipue expectanda; denique princeps curam regiminis nemini principaliter reſignet,*

aut onus illud in alios deuoluat, atque adeò nemi-nem iuxta ſe nimis efferat, & extollat in admini-ſtratione principatus ſui. Secus ſi fecerit, in con-temptum veniet tam apud ſubditos, quam exteros, & principatum habebit infidum atque periculo-ſum.

De hoc Can. & axiom. Politic. vide præclarè Danæum lib. 6 Pol. c. 3. Toloſ. lib. 8. c. 4. & lib. 22. cap. 9.

CAPVT VI.

De legibus Politicis.

VIdimus in genere modum, ſiue Canones curæ & officii principatus: ſequuntur in-ſtrumenta generalia, per quæ princeps regit.

Inſtrumentum regiminis generale eſt, vel Norma, ſiue lex, vel perſona adminiſtra.

Lex ergò eſt regula eorum, quæ ad ſalutarem regni adminiſtrationem pertinent: regula, in-quam, vel faciendorum vel omittendorum.

Sen. lib. 1. de Clementia legem deſcribens & prædicans, inquit *eſſe vinculum quo reſpub. cohæ-ret, & ſpiritum vitalem quem trahit ciuitas, ita vt ſine lege reſp. nihil ſit futura niſi onus & præda.* Videri a. de legib. in genere & legi poteſt Bodin. lib. 1. c. 10. Toloſ. lib. 10. c. 5. Lipſ. lib. 2. c. 11.

Lex pertinens ad regni gubernationem vel eſt prima, vel orta.

Prima iterũ eſt vel Diuina vel Humana; &

Huma-

Humana iterum vel Generalior, vt lex naturæ, leges gentium: vel Specialior, vt leges ſiue præcepta & Canones Ethici & Oeconomici.

His enim omnibus legibus opus eſt ad regni gubernationem. & præſupponit Politicus priores iſtas omnes leges, nempe naturæ, gentium, item Canones Ethicos & Oeconomicos: ipſe deinde addit ſuas quoque leges ſpeciales, & ad ſtatum publicum pertinentes. de quibus paulò pòſt.

Lex orta, ſiue Politica, eſt vel de ineundo regno, vel de regendo.

Lex Politica de ineundo regno vocatur Lex fundamentalis regni, *nempe de regni commiſſione, deque modo & requiſitis vel ſucceſſionis, vel Electionis: his enim tanquam fundamentis regnum innititur, & ex eo omnia alia, quæ ad regni ſtatum pertinent, promanant.*

Celebre eſt nomen apud Politicos ſcriptores legum fundamentalium, quæ & *Iura regni* vocantur, quibus nempe explicãtur certa requiſita, & velut pacta tacito vel expreſſo conſenſu inita, de principis vel ſucceſſione vel electione. De quibus videri poteſt Danæus lib.3.cap.6.& Ioan. Althuſius in ſuis Politic.cap.6. Propriè quidem leges fundamentales huc non pertinent; ſed potius ad doctrinam ſupra traditam de fundamentis principatus, vbi Canones de ſucceſſione & electione ſunt expoſiti.

Lex regendi regni, ſiue principatus, eſt nor-

ma politica, per quam princeps ſubditos ſuos gubernat & regnum adminiſtrat.

Canones generales de hac lege Politica ſunt.

1 *Etſi princeps leges ferat, atque ſit cauſa principalior in regenda republ. quam ipſa lex: tamen norma quoque principis lex eſt, ita vt ſecundum eam debeat imperare.*

2 *Quia lex vniuerſaliter loquitur, nec omnes particulares actiones perſequi poteſt, ideo neceſſe eſt accedat quoque arbitrium & prudentia principis, atq; adeo vt princeps cum ipſa lege, & lex cum principe loquatur ac regat.*

His duobus Canonibus paramus viam ad ſoluendam quæſtionem Polit. quam habet Ariſtoteles 3. Pol. c. 15. & ex eo Caſus lib. 3. Sph. cap. 11. *vtrum reſpubl. melius ab optimo rege, quam ab optima lege adminiſtretur.* Item, *an ſecundum leges, an vero pro arbitratu ſine legib. imperare debeat princeps.* Et ſanè ſi quis rex vel princeps ita perfectus foret, vt nullis perturbationibus & affectib. prauis eſſet obnoxius; atq; adeo abſoluto intellectu & voluntate præditus, ille legibus non egeret, ſecundum quas regeret: quo ſenſu Ariſtot. 3. Polit. c. 13. dicit regem tanquam Deum aliquem ab omnibus legibus immunem eſſe. Sed quia talis princeps non datur, ideo rex & lex ſimul debent regere, & tutius eſt regem præeſſe, quam ſubeſſe legib. vt præclarè diſputat Piccolom. g. 10. philoſophiæ mor. c. 19. Inde etiã Ariſtoteles c. 15. l. 3. Pol. legem comparat Deo, hominem autẽ beſtię, & c. 17. eiuſdem lib. vt & c. 12. Pol. 1. dicit, lex non

facit

facit diſcrimen inter amicum & inimicum, volũtas autem hominis ſæpè affectibus indulget & amicis pluſculũ tribuit, ita vt merito concludamus cum Solone, cuius preclarã ſententiam citat Stobæus ſer. 41. *Tunc demum reſp. ſalua erit, cum ciues magiſtratui, magiſtratus vero legibus obediat.*

3 *Lex politica leges generales reſtringit ad ſpeciales circumſtantias, pro cuiuſq; loci vtilitate, conditione, & natura aliiſq; circumſtantiis particularibus, quas legumlatores conſiderant. Propter quam reſtrictionem, etſi differat a legibus communibus, tamen cum iis non pugnat.*

De cauſis propter quas oporteat leges communes ſiue generales reſtringi in negotiis polit. ad ſpeciales circumſtantias, vide Zanchium in opere de redemptione, c. 28. & Althuſ. in Politic, c. 16. Neque tamen propterea ita loquerer, vt nonnulli politici loquuntur, quod duæ ſint proprietates legum particularium, quarum prior ſit conuenientia cum legib. cõmunibus; altera verò ſit diſcrepantia à legibus communib. Nam non ſtatim diſcrepat à legib. communibus, quod determinatione circumſtantiarum ab iis differt.

4 *Iſtam porrò determinationem legum politicarum ad certas circumſtantias ſpecialeſq; caſus, præcipuè docet Iuriſprudentia, quæ Politicæ ſubordinatur, & eſt eius quodammodò ramus, qui ex hac arbore naſcitur.*

Porrò cura legis politicæ eſt triplex: 1, ſanctio, ſiue cura condendarum & præſcribendarum legum: 2, cura interpretandarum & abrogandarum legum: 3, cura executionis.

Sanctio eſt cura politica, per quam lex pro neceſſitate & vtilitate reipub. fertur & conſtituitur.

De ſanctione legũ vide Antimach. lib. 3. theor. 22. & Stephanum Iunium Brutum in vindiciis tyr. quæſt. 1. & 2.

Canones de ſanctione legum politicarum ſunt hi:

1 *Legumlatoris munus hodiè non eſt diuerſum à munere principis. nam idem qui princeps eſt, etiã legislator eſt; quamuis conſultum ſit, principes habere viros ſapientes, peritos rerum ac iuſtos, quorum opera vtatur in legibus ferendis & condendis.*

Legumlatoris munus tam excellens eſt, vt principes rerumpubl. olim fuerint dicti *Iudices* & *legumlatores*: ſicut quidem de iudicibus conſtat ex hiſtoria Iudicum. De legislatoribus vero notum eſt ex hiſtoria Lycurgi & Solonis, qui duo principes legumlatores apud Spartanos & Athenienſes dicebantur. Et Ariſtoteles ſanè multis in locis ita de legumlatoribus loquitur, ac ſi eos à principibus diſcerneret, & tamen pari cum iis dignitate poneret, ſicut apparet 2. Ethic. cap. 1. & 8. Ethic. c. 1. Item lib. 7. Polit. cap. 2. & cap. 14. item lib. 5. Pol. cap. 9. vt & 2. Pol. c. 9. & 3. Politic. c. 1. & 1. Rhetor. c. 1. & 4. quibus locis ſollicitè admodum legumlatoris officium & requiſita philoſophus proſequitur.

2 *Lex omnis politica non tantũ æqua eſſe debet; quia æquitas legem facit ſanctam, inuiolatam & efficacem; ſed etiam neceſſaria reipub. & vtilis. Nam*

ſi no-

ſi neceſſaria & vtilis non ſit, facile abregabitur, aut in contemptum veniet.

Vide Tol.lib.1.c.1.

3 *Lex politica breuis eſſe debet, & neruoſa.*

Lex iubeat, non diſputet, inquit Seneca, & ex eo Lipſ.lib.2.c.11.

Rex non debet addere rationes, cur hoc aut illud præcipiat.

4 *Lex politica in ſtatu reip. monarchico talis eſſe debet, ne quid vlla ratione deroget de perfecta & plena principis poteſtate.*

Vide de hoc Can. Tol.lib.4.c.5.

Lex quæ fertur vel abſolutè ſpectatur, vel reſtrictè.

Lex abſolutè ſpectata, eſt quæ generale nomẽ legis retinet, & quæ magis ad omnes, quam ad certos pertinet.

Lex reſtrictè ſpectata, eſt, quæ adipiſcitur nomen mandati vel decreti, & ad certos magis, quam ad omnes pertinet.

Propterea hoc monetur, vt ſciant Polit.ſtudioſi materiam de mandatis principum huc pertinere, vtpote quorũ communis eſt finis, & communia requiſita cum legibus abſolutè dictis.

Tantum de cura condendarum legum: ſequitur cura interpretandarum & abrogandarum: quæ eſt, per quam princeps pro poteſtate quam habet, legis ſententiam dubiam pro varia circumſtantia locorum, temporum, & perſonarum explicat, & ad vſum publicum accõmodat.

Cura abrogandarum legum eſt, qua princeps legem latam mutat & antiquat.

De hac ſunt Canones:

1 *Sub nomine legis, etiam conſuetudinem cõprehendimus, quæ quodammodo tacita lex eſt.*

2 *Quæ ſemel conſtituta & recepta ſunt in regno, vel lege, vel conſuetudine habente vim legis; ea non ſunt mutanda, niſi vel magna & euidens neceſſitas, vel ſumma vtilitas ſuadeat; id eſt, niſi fortè lex vel conſuetudo iſta citra reipublic: perniciem vel manifeſtam iniuſtitiam & iniquitatem retineri non poſſit.*

Ex grauibus quæſt. politicis eſt: *An mutandæ ſint leges maiorum, atq; adeo, an princeps legem latã debeat mutare.* Pro parte affirmatiua iſtud eſt argumentum, quod variæ ſint circumſtantiæ temporum, locorum & perſonarũ, quæ ſæpè exigunt nouam conſtitutionem & legem, & quod mala inuenta malæque conſuetudines longinquitate temporis non poſſint confirmari: tum, quod etiam varii ſint mores hominum, qui legum quoq; variationem requirant, præſertim cum eiuſmodi res, quæ ad vſum politicum pertinent, humanæ libertati ſubiiciantur, vt latius diſputat Picol. gr. 10. Philoſophiæ mor. c. 13. Contra verò quod leges ſemel latæ non debeant mutari, ſuadet 1, autoritas legum, quæ valde eneruatur legum mutatione: dum enim homines vident legem abrogari & annihilari, opinionem prauam concipiunt de omnibus in genere, quod nempe ſint regulæ nõ regulæ; quia vere regulæ proprium eſt, vt ſit perpetua & conſtans. 2, etiam autoritas legislatoris principis hac ratione vileſcit: cogitant enim homines principem non eâ eſſe prudentiâ, vt poſſit recte proſpicere temporum, perſonarũ ac locorum

rum futuras circumſtantias, dum nempe cogitur id aliquando mutare, quod ſemel ei placuit. Itaq; ſuadet Politici, vt etiam ſi lex aliquid habeat vitii & labis; tamen non propterea ſtatim ſit mutanda. Vide Bodin.l.4.De rep.c.4.& 3.vbi inquit: *Ipſa vetuſtatis ſpecies tam chara cuiq; eſt, vt lex antiqua ſine magiſtratibus facilè ſe tueri poſſit; Legum vero nouitas vix vlla præmiorum ſpe, aut metu pœnarum, aut magiſtratuum officiis conſiſtere poſſit.* Vide etiam Toloſ.lib.10.c.5.vbi citatur ſententia Cleonis, quæ extat apud Thucydidem: *Melius agitur cum ciuitate, quæ malis legibus conſtanter vtitur, quam cum ea, quæ bonis vtitur: quia nempe non tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit aſſuefactio ſuperiorib. non parendi.* Saleucus Locrenſium legislator iubebat, ne quis leges mutaret: poſitas leges ab hominibus vinci æquũ non eſt; cõtra vero leges ab hominibus ſuperari, id vero honeſtum & vtile eſt: quod ſi quis velit leges ſancitas mouere, aut nouam ſtatuere, is collo in funem immiſſo, de lege verba in foro faciat, & ſi per ſuffragia publica lex probetur, indemnis maneat; ſin vero non probetur noua iſta lex, tũ is qui veterem mutare conatus eſt, contracto laqueo ſtranguletur. Vide Stobæum ſermon.42. Diodorus Sic. lib.12. idem tribuit Thuriis. Et Alexander ab Alexand.lib.6.c.14.dicit apud Æginetas cautũ fuiſſe, *vt qui nouæ legis cõdendæ occaſionem daret, inuiſus omnibus & execrabilis maneret.*

Sed iſta rigidiora ſunt, quam vt in regulã veniant. Nos controuerſiam ita decidimus cum præſtãtiorib. Politicis, leges veteres nõ eſſe mutãdas,

niſi iniquæ ſint, atque adeo niſi ita cogat tum vtilitas, tum neceſſitas reip. nempe propterea, quia nihil eſt quod remp. magis conſeruat, quam hominum de legibus honeſta opinio & ſententia, cui honeſtæ ſententiæ contrariatur legum mutatio; quia eſt quodammodo corruptio quædã: qđ autem corruptibile eſt, id pro excellenti nõ habetur. Vide præclaram de hac re diſput. apud Ariſtotelem lib. 2. Pol. cap. 8. vbi hæc eius ſunt verba: *Lex nullam vim habet vt ipſi pareatur, niſi ex more ſiue conſuetudine*: mos autem non fit niſi tẽporis longitudine, idcirco facilè mutare leges eſt infirmam facere vim legis. Sed & principum autoritatem vehementer vileſcere, ſi leges mutentur præclarè oſtendit Lipſius lib. 4. cap. 9. vbi vtiliſſimam materiam politicam tractat, quod *autoritas principum pendeat a conſtanti reipub. forma*; vide eundem lib. 2. c. 11. & Danæum lib. 3. Pol. c. 4. & Caſum lib. 2. Sph. ciu. c. 6. vbi hanc quæſtionem ex profeſſo tractat.

3 *Si quando mutanda eſt lex ſiue conſuetudo recepta, faciat id princeps leniter & lentè, præſertim ſi leges concernant publicum regni ſtatum.*

Huius Canonis violationem grauiſſimè ſua morte luit Demetrius Moſcouitarum Imperator ſiue Dux.

Has duas conditiones, nempe *Leniter* & *Lentè*, circa legum & conſuetudinum mutationẽ obſeruandas eſſe grauiſſimorum autorum ſententiis Lipſ. probat lib. 4. c. 9. Et ſanè ſicut Medici iubent, ne in corpore cacochymo humores nimium moueantur, atque adeo iſtâ commotione irritentur & exaſperentur; ita in recenti præſertim imperio ſollicitè cauere princeps debet, ne moueat humores iſtos conſuetudinum receptarum

ptarum, atq; ita irritet ac exaſperet ſubditorum, à quibus recens receptus eſt, animos.

Reſtat cura circa legum executionem, per quam nempe princeps vel præmia dat legum obſeruatoribus, vel pœnas infligit transgreſſorib. ſiue violatoribus.

De hac Canon eſt:

Legum forma & anima ab executione pendet; idcirco tamdiu vigent respubl. quamdiu bonæ leges dantur executioni, cuius executionis gratia præcipuè conſtitutus eſt magiſtratus, tanquam nempe legum cuſtos & vindex.

Vide Bodinum lib.3. De rep. c.1. & Iunium lib. 1. quæſt. Pol. q.6. Nos hîc nō immorabimur, quia legum executio fit iudiciis & cenſuris, de quibus vtriſq; ſuo loco vberius agetur.

CAPVT VII.

De Adminiſtris principatus; nempe de Conſiliariis & rerum gerendarum præfectis.

NOrma adminiſtrationis hucuſq; fuit, nempe Lex: ſequuntur cauſæ adminiſtræ, ſiue adiuuantes, quibus nempe vtitur princeps in regni & principatus ſui gubernatione.

Eſt autem cauſa miniſterialis, ſiue adminiſter regni vel apertus vel occultus.

Infra, vbi de exploratoribus agetur, intelligetur ratio huius noſtræ diſtinctionis, quâ partimur miniſtrum principis in apertum & occultum.

Miniſter apertus pertinet vel ad conſilium dandum, vel ad res gerendas.

Circa miniſtrum qui pertinet ad conſilium dandum, tria ſunt conſideranda: 1, ratio conſilii, 2, actus conſilii, ſiue conſultatio; 3, conſiliarius ipſe, ſiue perſona adhibenda ad cõſiliũ dandum.

Conſilium politicum eſt ſententia ſiue cõcluſio prudentiæ politicæ, quæ vel mente concipitur, vel verbis effertur de rebus ambiguis ad regni ſalutem pertinentibus.

De hoc ſunt Canones:

1 *Vt prudentia principis vel propria eſt, vel mutuatitia; ita quoque effectus primarius prudentiæ, nempe conſilium, vel proprium eſt, quod ipſe princeps inuenit; vel eſt mutuatitium, quod ab aliis accipit.*

Prudentiã & conſilium diuidimus in propriũ & mutuatitium, ſecuti tum rem ipſam, tum præſcriptum Ariſtotelis 6. Ethic. 7. Lipſ. lib. 6. Polit. c. 4. Toloſ. lib. 10. c. 3.

2 *Prudentia & conſilium proprium principis ad ideam & perfectionem regiminis pertinet; ſed rarum id eſt, vt princeps ſuis tantum conſiliis poſſit rempub. adminiſtrare: quin & periculoſum eſt ſibi ſoli fidere, cum princeps ſuo ingenio non poſſit cuncta complecti; & cum habeat id commune cum aliis hominibus, quod facilè poſſit errare & decipi: idcirco libenter debet aliorum conſilia audire & admittere.*

Multa complexi ſumus hoc Canone: ac primò quidem hîc profitemur, nihil eſſe magis neceſſa-

rium

rium perfecto principi, quam vt ſuo conſilio omnia gerat, vtpote cum à principe, & non ab aliis omnia debeant in regni adminiſtratione pendere. Vnde Salomon 1. Reg. 3. vnicum hoc à Deo ardentibus votis petit, vt proprio ſuo conſilio poſſit regnum adminiſtrare: *Des*, inquit, *ſeruo tuo prudentem animum, ad diſcernendum inter bona & mala.* Sed quia perfectos principes optare potius licet, quàm habere, ideo addit Canon, *principis eſſe munus, vt aliorum conſilia libenter audiat & admittat*; qua de re extat memorabilis ſententia Cicer. pro Cluentio: *Sapientiſſimus eſt ille, cui quod opus eſt, ipſi veniat in mentem; proximè accedit ille, qui aliorum benè inuentis obtemperat.* in quam mentem vide plura apud Lipſium lib. 3. c. 2. Antimach. lib. 1. Theorem. 1. Hippol. à Collibus lib. de princip. cap. 9. Toloſan. libr. 24. c. 1.

3 *Quoties Deus voluit politiam aliquam florere, dedit illi heroïcos viros, iuſtos fortes & ſapientes conſiliarios: contra verò quando ad pœnam regnum voluit trahere, ſapientes conſiliarios prius ſuſtulit, & conſilia ſalutaria amouit.*

Salom. Prouerb. 11. *Vbi non ſunt prudentia conſilia, corruit populus; ſalus autem eſt in amplitudine conſilii* Idcirco in hiſtoria Dauidis tanquam fundamentum regni eius recenſentur ſapientes conſiliarii 1. Chron. 12. Et memorabilis eſt ſententia Saluſtii: *Multa legendo atque audiendo ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes eousq. proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerũt. Vbi gratia, timor, voluptas, auaritia,*

conſilia corrumpunt, ſtatim imminutæ opes, deinde adeptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita fuit. Vide præclare de hac re diſcurrentem Hippolit. à Collib. in Conſiliar. pag. 138. vbi addit, hanc vnicam cauſam ſe exiſtimare, quod Roma tam diu floruerit, quod qui ei præfuerunt, non ſua, ſed Senatus conſilia ſecuti ſint. Notentur hîc alia quoque axiomata Politic. ἰδιοβουλητοὶ illi, qui propriis tantum conſiliis vtuntur in calamitatibus & difficultatibus ab amicis deſtituuntur. 2, Certæ ruinæ regnorum prognoſticon eſt, quando vel deſunt conſiliarii boni, vel principes eos nolunt audire. Ideo Eccleſiaſt. c. 4. dicit: *Melior eſt puer imperitus rege ſene & ſtolido, qui non vult admoneri amplius.* 3, Per conſilia principes alioqui ſtupidi & fatui, poſſunt tamen fieri ſapientes & ſalutares reipub.

4 *Ex conſiliis & per conſilia princeps magnam ſibi autoritatem & obſequium apud ſubditos poteſt comparare.*

Supra diximus maximum imperii fundamentum & neruum eſſe autoritatem princ. hanc autem nulla ratione melius cōciliabit, quam ſi ſubditi agnoſcant eius conſilia in rebus arduis & ambiguis proximè ad ſcopum collimaſſe; de qua re vide Antimach. lib. 1. theor. 1. & Toloſ. lib. 24. c. 3. & 4.

5 *Mala conſilia plerũq; recidunt in ipſos autores.* Vide 149. axiom. Polit. Richteri.

Et ſic de conſilio: ſequitur communicatio, ſiue actus conſilii, qui & Concilium *&* Conſultatio *dicitur, de qua ſunt hi Canones:*

1 *Prin-*

1 *Princeps omnia negotia grauia & periculoſa vocet in conſultationem, niſi fortaſſè ſingularis quædam circumſtantia temporum & perſonarum prohibeat.*

Vide Toloſ.lib.24.c.4.

2 *Princeps conciliis & conſultationibus ſuorum conſiliariorum ipſe interſit; quia in præſentia principis ſi qui mali ſint conſiliarii, ii minus audebunt; boni autem præſente principe erunt fideliores & magis concitati; & denique contentiones ac rixæ inter conſiliarios principis auertentur.*

3 *Princeps maturè conſiliarios ſuos conſulat, & niſi extrema aliqua neceſſitas vrgeat, conſultationem non præcipitet.*

Gladiatorum enim eſt, non principum, conſilium in arena ex tempore capere: *magna ſunt momenta temporum; & multùm intereſt idem illud an poſt, an antè conſulatur*, inquit Seneca in epiſtolis.

4 *Libertatem conſulendi princeps nulli conſiliario adimat, ne veritas reticeatur; adulatores autem longè à ſe repellat.*

5 *Seruos domeſticos, cubicularios, imò & ipſam coniugem ſuam ac liberos ad conſilia ſecretiora non temere admittat.*

Quod domeſticos ſuos non facilè ad conſilia Pol. admittere debeat, vide Toloſ.lib.10.c.3.lib.24.c.6. Hippol.à Collib.lib.de conſiliar.c.9. Lipſ. lib.3.c.8.

6 *Princeps à ſuis conſiliariis non patiatur ſe huc & illuc abripi: fatuus enim eſt princeps, qui vni addictus & obnoxius eſt, ad cuius nutum omnia gerit, contemptis cæteris conſiliariis: quamuis experientia*

teſtetur, verum eſſe illud dictum: Magni domini plerunq; habent aliquos ad quorum nutum faciãt pleraq;, qui ſi ſint boni, vtcunq; felicia ſunt imperia; ſin vero fauor iſte & gratia principis in malos incidat, iam præſentiſſima eſt malorum cauſa in regnis.

7 *Qui ergo tales ſunt, vt principum animos ſoli occuparint, illi non tantum regno nocent, ſed ipſi quoque Tragicos plerumque habent exitus.*

Diligenter notentur hi duo Canones, de iſtis conſiliariis, qui ſoli occupant animum & gratiam principis. nam experientia omnium temporum teſtata eſt magnates habuiſſe eiuſmodi vnum aliquem, cui ſingulariter fuerint addicti, & à quibus mirabiliter fuerint ludificati, ſecundum prouerbium Germanicum: Ein jeglicher Herr hat einen Narren den er plagt/vnnd einen Narren/der ihn wider plaget. De qua re vide egregium diſcurſum apud Camerar. in meditat. hiſtor. centur. 1. c. 90. & apud Richter. in axiom. cap. 142. Bodinus lib. 2. de republ. cap. 5. inquit: *Fere ſemper tyranni quoſdam habent in delitiis, quibus q. ſpongiis ad exhauriendum ſanguinem abutuntur, quos populus cum furere incipit, comprehendere & dilacerare ſolet.* En, de Tragico exitu talium loquitur & de præſenti periculo quod ipſis imminet, partim ab ipſo principe, cuius fauor lubricus eſt, & facilè vertitur in odium irreconciliabile (mit groſſen Herren iſt böß Kirſſen zueſſen) partim etiã à populo, ſiue ſubditis, qui ingenti odio tales proſequũtur, & in eorum necem tandem conſpirant, vt pluribus exemplis ibidem probant.

8 *Princeps*

8 *Princeps conſilia ſuorum conſiliariorum diligenter excutiat, & fidem eorum examinet atque exploret, & operam det, vt agnoſcat, quinam ex conſiliariis ſint obnoxii certis quibuſdam vitiis, nempe auaritiæ, crudelitati & ſimilibus.*

9 *Debet autem iſtud examen & exploratio clam fieri, cum certo quodam modo & cautione.*

De qua cautione vide Toloſanum lib.22.cap.11. Et memorabile exemplum fuit iſtius cautionis in regina Angliæ Eliſabetha, quæ anno 88. cum claſſis illa Hiſpanica potentiſſima aduerſus Angliam emiſſa eſſet, conuocato conſilio regni eos conſiliarios, qui ſuadebant ne regina claſſem ſuam claſſi Hiſpanicæ obuiam mitteret, agnouit & explorauit non fuiſſe ſatis vel fidos vel etiam cautos; quia hoſtis in regnum admitti non debet, cum poteſt à regno prohiberi; præſertim vero à tali regno, in quo multi ſunt, qui hoſti fauent.

10 *Conſilium vtile & bonum princeps ex eo cognoſcere poteſt; 1, ſi ad finem & ſcopum honeſtum & reipub. ſalutarem ſit directum; 2, ex eo ſi ad talem ſcopum media legitima ordinet; denique ſi talia media ſuadeat, quæ non ſunt ſupra vires & potentiam principis.*

11 *Vtile eſt principem multos habere conſiliarios, quorum ſententias in conſultationibus audiat; quia nempe in magno numero ſuadentium tandem aliqua bona & vtilis ſententia audietur; & ſi forte quid ab vno vel altero peccatum eſt in ſententia, id tertius vel quartus, &c. corriget & emendabit.*

Vide Antim.l.1.theor.2.

12 *Vtile eſt, principem habere conſiliarios diuerſorum temperamentorum, naturarũ & ingeniorum; nempe quoſdam naturæ melancholicæ, qui preſſius & lentius ſingula expendant, quoſdam contra naturæ calidioris & acutioris ingenii, qui tarditatem naturæ in aliis ſua agilitate & ſubtilitate temperent.*

Pulcherrima quæſtio tractatur in Polit. *An conſiliarii principis debeant eſſe tardi, an vero acuti & ſubtilis ingenii*; de qua controuerſia vide egregiè diſp. Lipſium lib.3.c.4.& inprimis ad notas in iſtud caput. Exiſtimarim autem (ſaluo Lipſii iudicio) principem vtriuſque temperamenti & ingenii conſiliarios adhibere vtiliter poſſe, nempe melancholicos iſtos, qui omnia lente & cunctanter in dando conſilio examinant, & deinde etiam bilioſos iſtos, igneos, & acutos, vtpote qui in caſibus ſummę neceſſitatis citius inueniunt conſilia & feruidius etiam inuenta promunt, & principem efficaciter permouere poſſunt.

13 *Habeat princeps diuerſos ac diſtinctos ordines conſiliariorum, ex quibus alii ſint magis, alii minus intimi; ita nempe, vt quid fieri debeat, cum multis tractet ac diſputet, quid facere velit, ſiue quid facturus ſit, id vero non niſi cum paucis communicet, imò etiam ſæpè ne cum his quidem communicet, ſed ſuam ſententiam auditis conſiliis celet, nullamq; reſolutionem conſultationi addat, ſed tacitè exequatur quod placuerit.*

Quia nempe anima conſilii eſt Secretum, & nulla ſunt meliora conſilia, quam quæ ignorauerit aduerſarius antequam fierent.

14 *Si conſilia non ſatis fecerint principi, amplius delibera-*

deliberabit & denuo conſultationẽ inſtituet, aut ſecum ipſe plenius aliquid ſtatuet.

15 *Non oſtendat princeps cui potiſſimum ex conſiliariis ſit addictus, aut quem præ aliis magni faciat, ſed ita ſe gerat, vt videatur omnes conſiliarios habere æque æquales, & omnibus æquè fauere: alioquin ille, cui princeps præ aliis apertè fauet, cæteris volet imperare & incutiet reliquis metum, vt iſti vni ſe accommodent, atq; adeò liberas ſentẽtias non dicant.*

Audax nimium princeps, qui vt amet vnum, ſeſe reliquis omnib. exoſum facit. Vide Hippol. à Collibus in conſiliar. c. 9. Toloſ. l. 24. cap. 7. Camerar. centur. 2. c. 90. meditat. hiſtor.

16 *Princeps vt conſiliarios in fide & induſtria conſulendi retineat, cogitet quomodo eos poſſit honoribus afficere; ſed ita tamen, ne ſtatim in re præſenti bona conſilia præmiis afficiat, ne quis ſpe præmii adipiſcendi à vero deflectat.*

17 *Libertatem iudicandi, conſulendi & dicendi nemini conſiliariorum adimat; quin potius amet & toleret apertas naturas, ne fortaſſis, eà veritas poſtea occultetur.*

Miſer n. eſt ille princeps, apud quẽ veritas reticetur. Vide Iunium lib. 1. quæſt. pol. quæſt. 23.

18 *Neminem conſiliariorum meis pœnæ terreat, etiam ſi eius conſilia malè cadant; quia qui conſilium dat, præſtare fidem debet, non euentum: & ſæpè optimè cogitata peſſimè cadunt: & laudanda magis ſunt conſilia cauta cum ratione, etiamſi non ſuccedant, quam fauſta euentu quidem, ſed temeraria & ratione carentia.*

19 *Princeps conſultationem inſtituat tempore*

conueniente, & loco etiam à ſtrepitu & hominum turbis remoto, & tempeſtiuè præmoneat conſiliarios, vt præparati & præmeditati poſſint ad conſilia venire.

20 *Si de particularibus quibusdam negotiis tractandum ſit, iubeat à conſiliis abeſſe eos quorum particulariter intereſt.*

Nemo enim in propria ſua cauſſa rectè iudicare vel ſentire poſſe videtur, inquit Ariſtoteles 7.Pol.c.12.

Porrò conſultatio ſiue concilium eſt vel ſtatum & perpetuum, vel ſolenne & rarius.

Statum & perpetuum concilium eſt, quod continuò princeps habet in ſua aula.

Rarius & ſolenne concilium eſt, quod ſtatis tantùm temporibus inſtituitur, vocatis ad conſultationẽ præcipuis reip. ſtatibus, quod conciliũ etiam Comitia principatus, ſiue regni dicitur.

Comitia q. *coitia*, à coëundo, quod conueniant præcipui ordines reip. quæ quidem comitia quam varia fuerint apud Romanos, vide Alex. ab Alex. lib.1.c.17.& lib.4.c.10. Gell. lib.13.c.13. item lib. 25. c. 27. De comitiis in repub. Iudæorum, & de modo quo fuerunt inſtituta, vide egregiè diſſerentem Sigonium libro 6. de republ. Iudaic. & ex eo Althuſium in Pol.c.17. De comitiis regni Galliæ, & eorum ordine, vide Hotomannum in lib. de antiquo iure regni Galliæ, c. 12. & Toloſ. lib.24. c.4 & 5. Rectè autem dicitur quod *comitia* ſint *regni epitome* & *compendium*; ſiquidem in iſta conſultatione totum regnum

gnum repræſentetur, & tota ſalus regni in deliberationem cadat, ſicut idem Hotom. dicto lib. grauiter ſcribit, vbi & rationes atq; argumenta varia allegat, ob quæ comitia in regnis celebrari debeant. Vide cap.14.18.19.21.vſq; ad 23.

Canones de Comitiis ſunt hi:

1 *Ius comitiorum indicendorũ & ſtatuum regni conuocandorum, pertinet ad ius maieſtatis principis.*

Vide Althuſ.in Pol.c.13.

2 *In ſtatu Monarchico, de quo hîc agimus, rariora debent eſſe comitia, quia hac ratione de abſoluta principis poteſtate multum decedit, ſi regni ordines & principatus admittat ad eiuſmodi arduorum negotiorum deciſionem.*

Eſt grauis quæſtio apud Polit. *Vtrum Monarcha ſine optimatib. regni de bello, de pace, deq; aliis arduis negotiis conſtituere poſſit.* Sanè ſi abſolutè Monarcham conſideres, poteſt de iſtis rebus ſtatuere: Sin vero conſideres vel ſpontaneam Mõarchæ voluntatem, per quam dignatur ſtatus regni maioris ſecuritatis aut gratiæ teſtandæ cauſſa in conſilium vocare; vel etiam ſpectes monarchiam non ſimplicem, ſed mixtam cum ſtatu optimatum, vtique ſine comitiis graue aliquid, & quod ad publicam regni ſalutem pertinet, nihil eſt ſtatuendum. Vide Toloſanum libro 24. cap.7.

3 *Princeps futura comitia tempeſtiuè promulget, & capita futuræ deliberationis perſcribat ad regni ſtatus, & denìq; curet, vt per certos diſpoſitos*

miniſtros comitiorum denuntiatio per omnes regni partes ſpargatur.

4 *Certum etiam tempus definiat, vltra quod regni comitia non debeant durare.*

5 *Locum comitiis habendis oportunum eligat in medio regni, & ibi habeat Curiam Regni, in qua decorè & commodè ſtatus regni poſſint ſeſſiones & conſultationes ſuas inſtituere.*

6 *Ipſe etiam in perſona interſit comitiis, ipſe proponat, ipſe cum opus eſt, loquatur, & rebus grauibus deciſionem addat.*

Huc vſq; de Conſultatione: ſequitur de electione & admiſſione conſiliariorum.

Conſiliarium ergò princeps deligat vel ordinarium vel extraordinarium.

Ordinarius Conſiliarius principis is dicitur, quem princeps ordinariè conſulet, & qui apertè in regno conſiliarii honorem & titulum habiturus eſt.

De electione & admiſſione conſiliariorum ordinariorum ſunt hi Canones:

1 *Princeps cogitet ex conſiliariorum electione, & ſuam & totius regni ſalutem autoritatemq; pendere.*

Quærunt politici, *An tolerabilior ſit regni ſtatus, vbi princeps malus eſt & conſiliarii boni, quam vbi princeps bonus eſt, & conſiliarii mali*; & reſpondēt pleriq; affirmatiuè, nempe quod tolerabilior ſit ſtatus ſub principe malo, & conſiliariis bonis: & addunt hanc rationem: quia vnus malus à pluribus bonis corrigi poteſt, quod ex aduer-

aduerſo eſt difficile. Sed tamen non caret dubitatione res; quia enim princeps eſt caput regni, & conſiliarii tantùm membra, profectò ſi caput ſit ægrum, non ſatis apparet, quomodo membra inferiora poſſint eſſe ſana. Putarim igitur limitatione duplici opus eſſe: 1, quidem diſtinctione inter principem monarcham, & principem non abſolutè monarcham. Nam ſi princeps non ſit abſolutus monarcha, ſed habeat poteſtatem limitatam ab ordinib. regni, certiſſimum eſt, tolerabilius eſſe ſi rex malus ſit, quàm regni Senatores. Sin v. ſit abſolutus monarcha, qui conſiliarios & Senatores habeat in ſua poteſtate, vt poſſit eos deponere quando libet, ſanè p̄ſtat conſiliarios eſſe malos, quam principem talem; quia ſi princeps malus ſit, non corrigetur per conſiliarios, cum abſolutè dominetur. Altera diſtinctione vtendum eſt circa vocem *Malus*: ſi enim ſumatur pro minus idoneo aut minus prudente principe, q tanquã ſimplex ſe facilè patiatur regi à conſiliariis; ita vt ipſe parum vel nihil intelligat, tum ſanè præſtat, ipſum principem eſſe malum quam conſiliarios. Sin vero malus accipiatur pro malitioſo & verſuto, ſecus ſtatuendum fuerit.

Vide Antimach. lib. 1. theor. 1.

2 *Princeps non ſit preceps in electione conſiliariorum, ſed inquirat diligentiſſimè de ipſorum natura, ingenio, moribus & aliis qualitatibus; quin & delationes & accuſationes conſiliariorum audiat, ſed cautè & cum iudicio, non vt calumnia faueat, ſed vt omnia melius exploret.*

Vide Toloſ. lib. 24. c. 6.

3 *Vtile eſt conſiliarios eligi ex variis hominum generib. & ordinibus, ſed inprimis ex ordine nobilitatis & ordine doctorum virorum, atque adeò adhiberi viros & bello & doctrina deditos.*

Vide Toloſ. loco iam dicto.

4 *Poſtquam habilitas conſiliarii eſt explorata principi, aſſumat eum cum promiſſione & comminatione.*

5 *Aſtringat conſiliarium electum iuramento corporali.*

6 *Cum in regnum princeps recens venit, non temerè mutet præceſſoris ſui conſiliarios. Si enim illi mutentur, leges modumq́; regiminis mutatum iri opinantur ſubditi. At in repub. gubernanda non minus, atq; haud ſcio an non plus opinio & ſimulatio valeat, quam res ipſa.*

Verba ſunt Bodini libro 3. cap. 1. vbi tamen id ſaltem obiter notetur, ſimulationem non poni pro mendacio & verſutia illa, quam Machiau. requirit in principe, ſed pro toleratione earum rerum, quarum mutatio non eſt ſita in ipſius viribus. Itaq; ſi maximè videat aliquid defectuum in conſiliariis ſui præceſſoris, non debet tamen ſtatim eos remouere, quando adhuc addictos ſibi habent ſubditorum animos, ita vt certa ſeditio metuenda ſit, ſi ab officio illi deponantur. Sin vero apertorum ſcelerum conuicti ſint, & ob id ſubditis inuiſi iſti conſiliarii præceſſoris, tum ſine cunctatione eos amoueat; ſicut monetur princeps 1. Reg. 15. & 2. Chron. cap. 15. Vide latius Toloſ. lib. 10. cap. 3. lib. 24. c. 6. & Antimach. lib. 1. theor. 3.

Sic de electione & admiſſione cõſiliarii ordinarii: Conſiliarius extraordinarius eſt vel in regno, vel extra regnum.

De cõſiliario extraordinario in regno ſunt hi Canones:

1 *Extraordinarios conſiliarios princeps omnes admittere poteſt & debet, a quibus aliquid utile & ſalutare cognoſcere poteſt, neq; quenquam aſpernabitur qui reip prodeſſe poſſit.*

Sapientiſſimum præceptum Polit. eſt illud Plutarchi ad Traianum, in lib. de ciuili adminiſtratione: *Reſpublica optima & feliciſſima tunc erit, cum magiſtratus & ciues conferunt omnia ſua ad ſalutem reip. neq; aſpernantur quenquam, qui reip. prodeſſe poſſit.* Et quomodo ex omni hominum genere princeps aliquos debeat audire, e. g. mercatorum conſilia de mercatura, militum de militia, architectorum de ædificiis, &c. vide Toloſ. lib. 10. c. 3. & ſæpè cit. lib. 24. c. 6. & Antim. lib. 1. theor. 3.

2 *Princeps quoq; cognatos & agnatos ſuos proximos honoris cauſſa & extraordinariè in conſilium debet adhibere, etiamſi conſilio dando non admodum ſint apti; ne nempe odium aduerſus ipſum concipiant & occaſionem præbeant motibus.*

Vide Toloſ. lib. 24. c. 6. & Antimachiau. lib. 1. theor. 1.

Extraordinarius conſiliarius extra regnum eſt, quo in exteris nationibus habitante princeps vtitur ad conſilium dandum de certis quibuſdã cauſſis, quas aliunde cognoſcere oportet.

Germani vocant Räthe von hauſe auß; quales quidem vtiliter à principibus vſurpari experientia teſtatur.

Et ſic etiam de electione & admiſſione Conſiliariorum: reſtant requiſita & proprietates boni Conſiliarii, de quibus ſunt hi Canones:

1 *In Conſiliario duplicia dona & requiſita ſpectanda ſunt: nempe Naturæ, & Curæ, ſiue virtutis.*

2 *Inter dona naturæ, ſiue potius inter requiſita primò hoc ſpectandum eſt, an conſiliarius ſit in regno natus, an vero ſit peregrinus & extraneus: Et incola quidem regni peregrino ſemper præferendus eſt, niſi peculiaris quadam circumſtantia & neceſſitas diuerſum poſtulet.*

Quod princeps non facilè debeat admittere conſiliarios peregrinos, & cur, prudenter Lipſius diſſerit lib. 3.cap.4.& in Notis ad illud caput.

3 *Alterum requiſitum naturæ in conſiliario eſt ætas, vt nempe ordinariè ſenes præferantur iuuenibus, niſi fortè iuuenes ipſi ſint mente ſenes.*

Nimirum ſacræ literæ 1.Reg.12.ſuadent, vt ſenes conſiliarii præferantur iuuenib. qui nempe nec animo, nec corpore ſenes ſunt. Idcircò reprehendunt regem Reheboamum, qui conſiliarios iuuenes delegerit & ſui & regni euerſores.

4 *Interim tamen vbi cauſæ non nimis ſecretæ tractantur, in conſeſſum conſiliariorum debent etiam admitti iuuenes, qui non quidem vota dicant, ſed audiant, & ſenibus diſcant factis & dictis ſimi-*

lis

les fieri, atq; adeò præparentur, ut ſenibus decedentibus poſſint ſuccedere.

Vide de hoc Can. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6. Gell. lib. 1. cap. 25. Caſſiodorum lib. 8. epiſt. 18. Bodin. lib. 3. c. 1. Caſum lib. 7. cap. 14. Toloſan. lib. 24. cap. 6. Alexand. ab Alexan. lib. 4. cap. 11. Vide etiam Frid. Furium Ceriolanum in lib. de conſiliario, cap. 3. in quo cap. tum hanc quæſtionem tractat, nempe de ætate conſiliarii, quam dicit eſſe debere intra 30. & 60. annum; tum etiam alias nonnullas non abſimiles.

5 *Temperamentum conſiliariorum non ſit nimis tardum, neque etiam nimis præceps, ſed tale, quod mediocriter ad melancholiam vergat: quamuis etiam mixtura quædam preſſorum & acutorum ingeniorum in conſeſſu conſiliariorum eſſe debeat, ut ſupra monuimus.*

6 *Sequuntur requiſita curæ, ſiue virtutis, quæ partim in mente, partim in moribus ſunt.*

7 *Et quod ad mentem attinet, peritum eſſe oportet conſiliarium rerum politicarum tum in genere, tum in ſpecie, quod ad hunc locũ attinet, & ad hanc gentem, in qua conſiliarium agit. Ad conſilium enim dandum de rep. caput eſt noſſe rempub.*

Præclara ſunt verba Cic. quæ in fine Canonis allegamus ex 2. de oratore. Vide in hunc ſenſum plura apud Gell. lib. 18. c. 3. Toloſ. lib. 8. c. 7. lib. 10. c. 3. lib. 24. c. 6.

8 *Sit etiam peritus conſiliarius ingenii ac morum ſui principis.*

9 *Sit verſatus in exteris nationibus, & exercitatus in proſperis & in aduerſis rebus.*

De poſteriore parte Can. nempe quod Conſiliarius debeat in proſperis & aduerſis eſſe exercitatus, vide Iobum c. 32. Eccleſ. c. 25.

10 *Virtutes morum ſequuntur, inter quas prima eſt metus diuini numinis, atque adeò vt conſiliarius ſit vir bonus, qui rempublic. ex animo amet.*

11 *Conſiliarius ſit prudens, temperans, fortis, manſuetus, verax & liberi pectoris atque expers omnis adulationis, qui intrepidè ſententiam dicat, abſq; vlla diſſimulatione, ſiue ea placeat principi, ſiue non placeat.*

Monent de iſta libertate conſulendi ſacræ literæ 1. Sam. 20. & 2. Sam. 19. & Eccleſ. 4.

12 *Interim non ſit importunus principi conſiliarius aut imperioſus, ſed talis qui flexu obliquo agat, & occaſionem attendens principem opportunè moneat.*

De obliquo flexu conſiliariorum, & de vitanda importunitate, vide Lipſ. lib. 3. c. 5. & in Notis ad illud caput.

13 *Conſiliarius non ſit arrogans, nec contentioſus; ſed placidè ferat contrarias aliorum ſententias, nec obſtinatè pugnet, nec ſit inimicus iſti conſilio, cuius ipſe non eſt autor.*

Vide Iun. in quæſt. Pol. lib. 1. quæſt. 23.

14 *Conſiliarius vacuus ſit ab affectib. priuatis & à præiudiciis contrariis iſti perſonæ, vel rei, de qua conſilium capiendum eſt.*

15 *Non ſit confidens nec præceps, ſed lentus & cunctabundus: nam conſilia calida & audacia primâ ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia ſunt.*

Egre-

Egregia verba Liuii lib.35.quæ etiam citat Lipſius lib.3.c.7.vbi & Tacitum allegat, 1.hiſt.dicẽtem: *Scelera impetu, conſilia morâ valeſcunt.* Vide latius de ea re diſputantem Toloſ. lib.10.c.3. & libro 24.cap.2. Camer.tomo 1.Medit.hiſtor. cap.25.

16 *Repudiantur autem calida conſilia quoad communem rerum adminiſtrationem, & quoad tempus reip. liberum, non v. quoad nouum aliquod & ſubitum reip. diſcrimen, in quo conſilia calida ſalutaria eſſe ſolent.*

Vt prudenter limitat Lipſius in Notis ad cap. 7.3. Polit. vbi citat axiomata egregia Taciti: *Cunctatione non opus, vbi pernicioſior ſit temeritas, quã quies.* Item: *Inter ancipitia deterrimum eſt media ſequi.*

17 *Cõſiliarius ſit taciturnus & ſecretus, qui ſanctè ſeruet fidem ſilentii.*

Quia nempe conſiliarius eſt cor principis, & pars corporis eius, vt dicitur *l.5.C.ad l.Iuliam*, & eſt taciturnitas optimum atq; tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum, inquit Valer.Max. lib.2.c.2. Nec poteſt res magnas ſuſtinere, cui tacere graue eſt, Curt.lib.4. Vide Gellium lib.1.c. 23.Toloſan.libro 24.cap.6. Lipſ.cap.5.lib.3. & in Notis ad illud caput, vbi memorabile citat exemplum Romanorum Senatorum, ſiue conſiliariorum, in quorum curia in tanto Senatorum numero tantum fuit ſilentium, vt non dicam vnum, ſed neminem audiſſe crederes, quod tam multorum aurib. fuerat commiſſum.

18 *Conſiliarius fidelis non tantum conſilia bona principi ſuggerat, ſed etiam ſeriò hortetur, vt quæ*

conſulta ſunt, princeps ſtatim exequatur; ſiquidem executio anima eſt conſiliorum.

Demoſthenes in orat.22.in exordio: *Conſulere oportet lentè, conſulta autem exequi feſtinanter.* Vide Lipſium lib.3.Polit.c.5.& in Notis ad illud cap.

Tantum de Conſilio & Conſiliariis principis: ſequitur, vt de rerum gerendarum adiutoribus agamus; de quibus ſunt hi 2. Canones:

1 *Quia impoſſibile eſt principem tanquam vnum hominem ipſum omnia negotia obire, & in omnibus principatus ſui partibus præſentem eſſe; idcircò accuratiſſimus ſit in deligendis adiutoribus bonis, fidelibus & peritis; ſiquidem talis futura eſt adminiſtratio principatus, quales ſunt Principis miniſtri, & talis etiam æſtimabitur princeps, quales ſunt miniſtri, quos delegit.*

Lipſ.lib.3.c.10.à conſiliariis tranſiens ad genus alterum adiutorum, nempe ad miniſtros, dicit ſe eos vocare adminiſtros principis, qui publicè aut priuatim principi exhibent in functione aliqua ſui vſum. Et notas 3.ſiue requiſita taliũ adminiſtrorum iſto capite proſequitur, quæ breuiter Canon noſter comprehendit.

2 *Non facilè vni multa officia princeps commendet.*

Plutar.in opuſc.de ger. rep. *Vt manus*, inquit, *in multos digitos diuiſa eſt, & propterea rectius agit; ita quoque princeps rectè facturus eſt, ſi officia inter multos diſtribuat.* Et Cic.12.Philip. *duas res præſertim magnas non modò agere vno tempore, ſed*

ue

ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt. Huc pertinet & illud: *Nemo poteſt ſimul multa eademq; rectè facere.* Cum quo congruit ſapiens monitum Ariſtotelis 1.Pol.c.2.vbi inquit: *Natura vnum ad vnum ordinauit.* Toloſ.lib.4.c.6.de hac re diſſerens; *Si vnus*, inquit, *officiarius plurium vices occupet, præcluditur cæteris via ad honores, ex quo multa incommoda oriri poſſunt.*

Adiutor, ſiue adminiſter principis eſt vel publicus, vel aulicus.

Publicus tam varius eſt quam variam paulò pòſt cognoſcemus eſſe principis curam; ſiquidem ad omnes partes & curas ſui regiminis certis & peculiaribus adminiſtris princeps eget. Diſtingui autem ſic poteſt, quod ſit vel ſuperior vel inferior.

Superior principis adminiſter eſt, qui adhibetur ad ſuperiorem curam reip.

De hoc Canon generalis eſt:

Superiora & primaria officia princeps non conferat niſi illis, qui nati ſunt ex nobilibus & præclaris familiis; niſi fortè inter plebeios quoque ſint tales, quorum virtus ſingularis emineat, ita vt inter nobiles ac generoſos cenſeri poſſint.

Vide Lipſ.lib.3.c.10. vbi docet ad magna officia principem non facilè adhibere debere homines viles, & plebeios, niſi fortè ſingularis & eximia ſit eorum virtus.

Superior miniſter principis vel magis ad re-

gendum pertinet, vel magis ad defendendum & belligerandum.

Ad regendum pertinet 1, *cancellarius*; 2, *ſubcancellarius*: 3, *præſides & præfecti prouinciarum ac iudiciorum, ſiue tribunalium publicorum.*

Ad defendendum & belligerandum 1, *Capitaneus generalis, ſiue dux exercituum regni*; 2, *præfectus equitum, ſiue Mareſchallus*; 3, *præfectus peditum, & præcipui Capitanei ſub illis. de quibus ſuo loco.*

Inferiores miniſtri ſunt quæſtores, item Secretarii, Scribæ, præfecti vrbium ſingularium & pagorum, &c.

Aulicus miniſter etiam eſt vel principalis, vel minus principalis.

Principalis miniſter aulicus eſt, 1, *præfectus aulæ generalis*; 2, *Mareſchallus aulæ*; 3, *cubicularii principis.*

Hos Lipſius proximè cit. cap. vocat *Palatinos Principis*; quia in Palatio principum verſantur.

Inferiores miniſtri aulici partim ad neceſſitatem pertinent, vt præfecti commeatus aulici, miniſtri culinæ, item cuſtodes corporis regii, & ſatellites; partim ad iucunditatem & ſplendorem, vt reliqua turba aulicorum.

Tantum

Tantum de adminiſtro principis aperto: occultus miniſter principis eſt, quo princeps occultè vtitur ac tectè & clam, quiq; Explorator dicitur: de quo ſunt hi Canones.

1 *Quia populus varia agitat, mouet & loquitur, quæ principem ſcire intereſt: Et quia etiam oportet eum vitam ac mores ſubditorum ſuorum perſpectos habere, idcircò vtiles ſunt principi exploratores.*

2 *Per exploratores etiam princeps multa cognoſcet, quæ ad probandam fidem conſiliariorum pertinent, vt ſciat quibusnam Senatoribus ac conſiliariis fidere debeat, quibus non.*

3 *Exploratores principi etiam ad hoc ſeruiunt, vt cognitis hominum de ſe iudiciis poſſit emendare & corrigere næuos ac defectus ſuos, atque adeo melius conſulere neceſſitatibus ſuorum ſubditorum, quæ neceſſitates ſæpè latent principem, niſi clam per exploratores commonefiat.*

4 *Sed quia res eſt cum periculo magno coniuncta, tum ipſorum ſubditorum, quia ab exploratoribus per calumniam deferri poſſunt apud principem, tum etiam illorum ipſorum, quorum opera princeps in explorando vtitur: itaque duabus cautionibus hîc vtendum fuerit, vt 1, res tota clam & ſecretò adminiſtretur, ne animaduertant ſubditi principem vllis exploratoribus vti; 2, ne princeps exploratoribus ſubditos accuſantibus facilè credat, aut vllum condemnet & puniat hac ſola cauſſa, quia ab exploratoribus delatus eſt.*

Sollicitè diſputant Politici : *Vtrum princeps exploratoribus vti debeat*; vbi quidem non intelligendi ſunt exploratores tales, quibus princeps vtitur apud exteros vel tempore belli, de quibus ſuo loco monebimus; ſed tales, quibus vtitur ad regni inquilinos & membra, & quidem reipub. ſtatu benè compoſito, aut ſanè extra belli aleam conſtituto. Ac pro parte quidem negatiua hæ rationes afferuntur: 1, quod exploratores & eorum opera principem reddat ſubditis odioſum, & inducat in ſuſpicionem tyrannidis, ſicut Ariſtoteles 5. Polit. capite 11. diſertè dicit : *Tyrannorum proprium eſſe* κατασκόπους καὶ ὠτακουστὰς, *exploratores & coricæos habere:* 2, quia exploratores ſeruilem quandam diffidentiam gignunt in animis ſubditorum, ita vt non tam ſponte ſuâ obſequantur principi, tanquam patri patriæ, quam coactè ei ſeruiant; 3, quia exploratores plerunque eo ſunt ingenio præditi, vt tanquam malitioſi homines gratiam principum & lucrum ſuum aucupentur ex calumniis & delationibus innocentium hominum, vnde Tacitus 4. annalium inquit : *Delatores hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum.* In eandem ſententiam monet etiam Cominæus libr. 1. cap. 9. vbi hæc verba extant: *Obſequium ſimulantes in principem fingunt delatores, & dicunt ſe ei egregiam operam nauare. Principes, quia ſuſpicaces eorum ſunt animi, facilè criminatoribus credere amant.* Vide etiam Ceriolanum cap. 2. lib. de conſiliariis; vbi hanc quoq; rationẽ affert, *quod delationes fouere ſit indiciũ certũ humilis & abiecti animi; neq; ad hũc vſq;*, inquit, *diem*

diem cõpertũ eſt vllũ delatorem fuiſſe fidelem. Adducunt etiam exempla tyrannorum, qui operâ exploratorum vſi ſint, vt Neronis, qui exploratoribus quartas dedit de eorum bonis, quos detulerunt, vnde *Quadruplatores* dicti fuerunt. Sic Tiberius tanti fecit exploratores, vt cùm Senatus aliquando de abrogandis præmiis eorum agendum putaret, prohiberet id Tiberius, & diceret *iura ſubuerti, ſi cuſtodes legum amouerentur*; quaſi dicat, Exploratores eſſe legum cuſtodes. Vide Sueton. in vita Tiber. & Alex. ab Alex. lib. 4. c. 22. Contra verò pro parte affirmante nõ minus grauia ſunt argumenta & exempla ſapientiſſimorum principum; nam primò ſacræ literæ in hanc ſententiam allegantur ex c. 10. v. 20. Eccleſiaſtæ: *Ne quidem in conſcientia tua regi maledicito; nam vel auis cœli perferet vocem illam, & aues indicarent verbum.* Vbi per *aues*, nonnulli docti interpretes intelligunt exploratores. Sic 2. Sam. 18. *Nulla res poteſt a rege celari*; nempe operâ exploratorum. Altera ratio eſt, quia oportet principem ſcire quid agatur inter ſubditos, quid illi moueant aut non moueant, & oportet periculis ſeditionum maturè occurri, præſertim cum populi natura ſit inconſtans & mobilis, & difficulter ferat ſuperiorem: qua de re Lipſ. prudenter 4. Pol. c. 10. vbi inquit: *Delatorum inſtitutio contra inſidias valebit firmiter: quia rarò niſi malè locuti nil faciunt, & linguæ temeritas demum ad gladios peruenit*, vt inquit Curtius lib. 6. de geſt. Al. Et Caſus 5. Polit. c. 11. *Valere*, inquit, *hoc inſtitutum exploratorum ad amoliendas ſeditionũ ſuſpiciones.* Idcircò Plato 3. legibus, *In repu. ſua iubet eſſe exploratores*;

quod etiam allegat Albericus Gentilis de Legatis & legationibus.c.14.Et lege Papia delatoribus certa præmia conſtituta ſunt, nempe dimidium mulctæ. Et de Conſtantino Imperatore legimus eum omni tempore adulatores admiſiſſe, eoſque ingenti ſtudio fouiſſe. Determinatur itaq; controuerſia, quod diſtinguendum ſit inter reip.ſtatus, vt etiam inter naturas ſubditorum,& pro ratione circumſtantiarum exploratoribus magis vel minus vtendum. 2, quod iſta cautio ſit obſeruanda,vt princeps quidem audiat omnes,non tamen auſcultet. Et tenendum monitum Męcenatis, quod oporteat acriter exploratores examinare,ſicut Dion de Mæcenate refert lib.52. Altera cautio eſt, vt videat quâ de cauſa aliquis deferatur,& ſi tantum propter verba, vel per ludibriū, vel per iram, vel ebrietatem inter pocula in principem iacta fiat delatio, ſpernat eam princeps. Nam ſi linguas hominum interdicto alligauerit princeps, eo intemperantius loquentur,vt egregiè loquitur autor Antimach.lib.1.theor.2. Vide latius de hac quęſt.Toloſ.lib.32.c.4.ſyntagmatis, & Caſum cit.loco 5.Pol.c.11.

CAPVT VIII.

De cura & regimine Principis circa ſubditorum natiuitatem & educationem.

EXpediuimus hactenus doctrinam de cauſis adiuuātib. atq; adeo de inſtrumētis pertinētibus ad curam regiminis in principe. Conſequēs eſt vt de modo & diſtinctione iſtius curæ,ſiue regiminis tractetur.

Cura

Cura ergò principis eſt vel in vita, vel circa mortem.

Cura principis in vita, eſt vel interna vel externa.

Interna cura principis eſt, quam ſuſcipit de illis, quæ ſunt intra regnum, ſiue principatum eius.

Et hæc interna cura iterum eſt vel magis publica & communior, vel reſtrictior, & quodammodò priuata.

Cura publica principis eſt, quæ pertinet ad ſtatum principatus publicum.

Et hæc iterum eſt vel prima vel orta.

Prima cura, eſt ipſius gubernationis.

Orta cura vocatur à nobis ea, vt infra dicetur, quæ pertinet ad defenſionẽ & amplificationem regni.

Prima cura principis eſt vel directionis vel iudicii.

Cura directionis eſt, per quam princeps dirigit principatum ſuum, & de rebus omnibus diſpenſat.

Oportet diſcernere inter directionem, adminiſtrationem, diſpenſationem, ſiue quocũq; nomine libeat eam appellare, & inter iudicium, ſiue adminiſtrationem iuſtitię, per quã obedientibus præmia, inobedientib. pœnas decernit princeps.

Directionis, ſiue diſpenſationis cura iterũ eſt vel principalis, vel minus principalis.

Ex hoc intelligitur, quã magnas & varias curas princeps ſuſtineat, ita vt rectè quidam dixerit, caput principis eſſe nidum curarum, & diadema eius non ſerico, ſed ſpinis ſuffultum.

Principalis cura eſt, circa perſonas, ſiue circa homines ipſos.

Princeps regit & diſpenſat non tantum ea quæ ad homines pertinent, ſed etiam ea, quæ pertinét ad loca & ad tempora, atque adeo ad bona & reditus reip. idcircò ne confuſio materiarum politicarum oriretur, iſta quoque ſubdiuiſione neceſſario opus fuit.

Directio ſiue regimen principis circa perſonas, habet hos generales Canones:

1 *Quia homines plerique ſunt natura feroces ac impatientes imperii & diſciplinæ, & quærunt quib. nunquam poſſit ſatisfacere princeps, ideo ad regendos homines arte & obliquo quodam flexu prudentiæ opus eſt principi.*

De iſto obliquo flexu, qui nihil aliud eſt quam prudentiæ politicæ effectus, vide præ aliis diſſerentem Toloſanum lib. 10. c. 3. & lib. 22. c. 8. item Lipſ. l. 4 cap. 5. Et notatione digna eſt ſimilitudo, quâ Toloſanus vtitur: *Sicut*, inquit, *ſeſſor niſi cum arte & peritia nouerit inſidere tergo equi indomiti, facilè excutitur: ita etiam princeps niſi cum arte & flexu quodam prudentiæ nouerit regere homines indomitis equis ſimiles, facilè in diſcrimen veniet.* Cui ſimile eſt ſapientiſſimum monitum Xenophontis lib. 1. Cyri inſtit. *Homines*, inquit, *nulli magis repugnant quam illi, quem ſentiunt imperium tenere, & omninò facilius eſt aliis animalibus quam homini imperare: nec eſt vllum animal quod maiori arte ſit tractandum quam homo.* Plutarch. in opuſc. de gerenda rep. *Omni populo*, inquit, *ineſt aliquid malignum & querulum in imperantes.* Seneca

neca in lib. de prouidentia: *Quamuis id agas princeps, vt ne quis merito te oderit; erunt tamen ſemper qui te oderint.* Et in Eccleſiaſte c. 4. v. 12. *Populus ne quidem in ſapiente principe, ſiue rege acquieſcit,* vt Tremelius vertit. Et notũ eſt illud apophthegma Philippi Macedon. quod recitat Plutarch. in apophthegm. ſuis: *Regium eſt, cum benefeceris, male audire.* Quæ cum ita ſint, multa tolerare, multa diſſimulare oportet principem, & eô obliquis velis nauigare, quô rectis non poteſt, vt Cic. in epiſtolis monet.

2 *In gubernatione hominum ſæpè plus opinio & prudens ſimulatio, quam res ipſa valet.*

Vide Bodin. lib. 7. de rep. c. 1. Neque hîc loquimur de mendacio, vt ſupra monuimus, ſed de effectu prudentiæ, quo princeps ſe attemperat locis, temporibus & perſonis, ita vt nec pium nec honeſtum violet.

Cura directionis ſpectans perſonas, eſt vel circa regni ciues & inquilinos, vel circa peregrinos in regno commorantes, aut per regnum proficiſcentes.

Cura circa regni ciues & inquilinos, habet hos generales Canones:

1 *Princeps norit ſuos ſubditos, & quantum poſſibile eſt, certum eorum numerum conſtituat; ſiquidem à quantitate & numero ſubditorum veraq; diſtinctione magna pars felicis gubernationis pendet.*

Dictum eſt Politicorum: *Tres faciunt Collegium, quinq; faciunt ſocietatem Politicam*; ſed qùia longè plures ſunt quam quinque, quos regere

princeps etiam infimus ſolet ac debet: Idcirco magna ſollicitudine opus eſt principi, vt numerum ſuorum ſubditorum rectè ſubducat, ſiquidē ex iſto numero ſubditorum reliqua cura gubernationis pendet, ita vt ſi pauci ſint ſubditi, conſiliarii quoq; & adiutores pauci eligantur. Sin vero plures ſint ſubditi, reliqua omnia maiorem proportionem habere debeant.

2 *Si vno in loco nimis creſcant ſubditi, videat princeps quomodo commodè poſſint transferri in alium locum ſuæ ditionis, atq; adeò cogitet de colonia ducenda.*

Huc pertinet materia de coloniis ducendis & conſtituendis; de qua materia inter alios cōſulatur Toloſ. lib. 1. c. 2. & lib. 6. inprimis c. 7.

Subditi vel in genere & abſolutè ſpectantur; vel in ſpecie, & cum certa diſtinctione.

Cura principis circa ſubditos in genere, eſt vel circa vitam ſubditorum, vel circa mortem.

Cura principis circa vitam ſubditorum iterum triplex eſt: vel enim pertinet ad id, vt viuant ſubditi, ſiue ad ipſum viuere & eſſe: vel pertinet ad rectè honeſteq; viuendum, vel deniq; ad commodè, iucunde & ornatè viuendum.

Ad ipſum viuere, ſiue eſſe ſubditorum pertinet cura triplex: 1, natiuitatis; 2, ſanitatis; 3, victus.

Cura natiuitatis hos habet Canones & regulas:

1 *Prouideat princeps vt perſonæ idoneæ idoneis in matrimonium ducant, nec permittat cuiuis quamuis ducere, aut cuiuis cuilibet nubere.*

Agricolæ qui arbores rectas, fructuoſas & bene diſpoſitas habere deſiderant, id inprimis agunt, vt in ſatione & plantatione arborum ſemẽ & terram conuenientem eligant: Ita princeps, qui cupit habere ſubditos honeſtos ac fructuoſos, primam & maximam curam habere debet circa eorum, vt ſic loquar, ſationem, quæ fit per nuptias & matrimonia. Eſt enim homo vt quidã eleganter inquit, Planta inuerſa, habens ſurſum radices, vt hauriat à cœlo tanquam ſolo proprio neceſſaria & ſalutaria corpori & animæ; parentes autem ſunt agricolæ, bonus autem princeps dominus eſt agricolæ, qui eum debet in facienda ſemente regere & gubernare. Idcirco ſapiens fuit inſtitutum Lycurgi, qui primo omnium leges tulit de recta & bona ſobolis generatione in republic. Et Ariſtot. de ea re quoque præcepta tradidit 1. Politicor. cap. 14. & 7. Politicorum cap. 18. quod idem & Plato diligenter fecit in ſua republica.

2 *In ſpecie ergo non permittet princeps, vt quis infra annum ætatis 16. matrimonium ineat, vt nimium ſenes nimium iuuenculas ducant, vt denique ſtatura & robore corporis incomparabiliter impares copulentur.*

3 *In ſumma, ita habeat princeps liberos & inprimis filios non tantum parentibus, ſed inprimis reipub. naſci; quia nempe ex illis conflatur communio ſubditorum, & quotidiè deficiens populus*

reficitur, & per hos continuo ſuccedentes reſpublica manet immortalis.

Vide iſta ex iure verba citantem Toloſ.lib.14. de repub.c.1.

4 *Grauidarum cura diligens ſuſcipienda eſt in republ. & ſeuerè puniendi illi, qui abortus cauſantur aut fœtus necant, aut deniq; editos in lucem infantes temere exponunt.*

Vide Iauel. tract. 9. libr. 7. Pol.cap. 3. vbi ſententiam Ariſtotelis mitigat.

Vide Toloſ.dicto lib.cap.3.apud Ariſtotelem lib.7.cap.16.durior eſt locus,vbi inquit: *Ne nimis creſcat numerus ſubditorum, abortus eſſe cauſandos & infantes mutilos eſſe abiiciendos*; ſed recte explicat Iohan.Caſus ſuper illud cap. Ariſtotelem non ponere regulam , ſed recenſere conſuetudinem nonnullarum gentium, ſiue rerum publ.in quibus illud peſſimo more vſurpabatur. Et ſanè quod non ex ſuo ſenſu Philoſophus loquatur, ſequens textus manifeſtè oſtendit,vbi longe diuerſa remedia præſcribit, ad auertendum nimium numerum ſubditorum,remedia inquam duo iſta: 1, vt nimium iuuenes, nimium ſenes, nimiũ imbecilles à nuptiis prohibeantur; 2, vt ſubditi qui redundãt aliò transferantur & mittantur in ſubſidium aliorum. Sed hodie non magnum eſt periculum principibus à nimia multitudine ſubditorum, poſtquam peregrinationes communi omnium gentium conſenſu frequentiſſimæ inſtituuntur, & ſubditi ſponte cedunt de patria, poſtquam vident eam tam multis alendis non ſufficere.

5 *Incumbit hoc etiam principi, vt obſtetricum ratio habeatur, & publica autoritate delectus earũ inſtituatur.*

Vide

Vide Tol.d.l.c.1.& 2.& quam in ea re olim accurati fuerint principes teſtatur hiſtoria Pharaonis, vbi non tantum rex Ægypti, ſed etiam ipſe Deus ſingulariter in officium & operas obſtetricum aduertit.

6 Attendendum eſt, quinam legitime naſcantur in Repub. & prohibendum ſeuerè, ne Reſpublica ſpuriis repleatur; ne etiam ſpurii facilè ad dignitates in repub. admittantur, niſi fortè excellentem aliquem vſum poſſint Reipubl. præſtare: tum enim autoritate principis legitimandi ſunt.

Pertinet ergò huc materia de Spuriis, de legitimis & legitimatione, nempe in genere, quatenus iſta vna eſſe debet ex curis politicis principis; nam in ſpecie de his argumentis tractant Iuriſconſulti. Cæterum quæſtio illa agitatur à Politicis, *vtrum ſpurii ſint ferendi in republ.* & afferuntur argumenta, vt fieri ſolet, in vtramque partem. Pro parte negante iſta ſunt præcipua; 1. authoritas Dei, Deuteronom. 23. *Non feres ſpurium in populo tuo, vſque ad decimam generationem*: 2. Ratio eſt, quod hoc cedat in dedecus matrimonii, ſi ſpurii æquè ac honeſtè nati tolerentur & promoueantur. Itaq; nonnulli dicunt; in honorem matrimonii ſpurii ne promoueantur. 3. eſt, quia ſic porta aperitur ad vagas libidines. 4, quia ſpuriorum ingenia plerunque ſunt turbulenta & reipub. pernicioſa, propter malum naſcendi principium & propter neglectam educationem. 5, ab exemplo Athenienſium, apud quos ſpurii à ciuilibus muneribus excluſi fuerunt, teſte Plutarcho in vita Periclis. Denique

accedit autoritas Iuris Ciuil. & Canonici: Ciuilis quidem in *l. generaliter*, § *ſpurii*, *ff. de decurionibus*. Pro Romano iure dignitatis portæ regulariter non patent ſpuriis. In iure Canonico etiam teſtimonium extat *diſtinct. 56. cap. ſi gens*; nec bello eſſe fortes qui illegitimi nati ſunt, nec fide ſtabiles, nec hominibus honorabiles à nobis auditum eſt. Vide plura in hanc mentẽ apud Chaſſanæum in Catalogo gloriæ mundi, parte 2. conſiderat. 15. vbi inter alia inquit: *Abominabiles & exoſi omni iure dicuntur ſpurii.*

Pro parte affirmatiua afferuntur hæ rationes; 1. quia liberi non debent præſtare parentum culpam; 2, quia homines vndecunq; prodierint, tamen Dei filii ſunt, vt dicitur eadem *diſtinctione 56. cap. vndecunque.* 3. quia ſpurii ſæpè virtutibus maximis alios homines ſuperant; quod argumẽtum prolixe tractauit celeberrimus Iuriſconſultus Tiraquellus in tractatu polit. ſiue Iuridico de nobilitate, cap. 15. & Palæottus lib. de ſpuriis, cap. vlt. & Cardanus in lib. de vtilitate ex aduerſis capienda, lib. 4. pag. 466. *Mulieres illegitimæ filios ſæpè procreant nobilioris & præſtantioris ingenii & elegantioris formæ.* Vnde Spurii plerique ad maximos fortunæ gradus peruenerunt. Romulus, quem Deo genitum ferunt, ad tegendam turpitudinem ex inceſtu non dubiè natus eſt. Sic Herculis filii illegitimè nati fuerunt. Et Hercules ipſe ſpurius natus eſt, & Apollo & Mercurius, & quotquot nobiliſſimi viri pro Diis habiti ſunt. M. Brutum, C. Cæſaris filium fuiſſe, & Tyberium Auguſti filium fuiſſe, conſtans fama eſt, &c. Et ita pro parte affirmante. Pro determinatione controuerſiæ

trouerſiæ notanda ſunt quæ in Canone diximus; nempe *Spurios tum eſſe admittendos ad locum & dignitatem aliquam in republ. cum ob ſingularem ingenii eminentiam & virtutem publica autoritate magiſtratus legitimantur.*

7 *Nutricum etiam habenda ratio eſt, & ferenda de iis leges publica; quandoquidem multa vel virtutis vel vitiorum ſemina ſuguntur cum lacte nutricis.*

Was von Hurē ſeugt, das iſt zu Huren geneigt.

In Oeconomicis attigimus de lactatione infantum, nec placet hoc loco prolixius de ea re agere. Videant Politicæ ſtudioſi Toloſanum lib. 14. cap. 3.

8 *Pro liberis, ſiue infantibus imbecillibus parentum pauperum, itemq; pro expoſitis princeps peculiaria loca & domos fundare debet, in quibus alantur & ad vſum reip. inſtituantur, quas domos* παιδοτροφεῖα *vocamus.*

Et ſic de natiuitate ſubditorum: Sequitur ſanitas, cuius conſiderandæ ſunt cauſæ tum minus principales, tum principales

Minus principales, ſiue inſtrumentariæ cauſæ Sanitatis ſubditorum ſunt, tum Prouiſores ſanitatis, tum Medici.

Prouiſores ſanitatis ſunt illi, quos tanquam adiutores ſuos Princeps conſtituit in ordinandis iis, quæ ad publicam ſanitatem pertinent.

De his Canon eſt:

Prouiſores ſanitatis videant, vt munditiesin omnibus ſeruetur, atq; adeo ne quid putidū inprimis

& fœtidum in publicis locis toleretur, quod hominū valetudini poſſit obeſſe & contagio aërem inficere.

Hoc præceptū etiā hîc Gedani obſeruabatur tēpore peſtis.

Ita ſapientiſſimo inſtituto reipublic. Venetæ conſtituuntur certi ex magiſtratu, qui ſint ſanitatis publicæ Prouiſores, de quibus ſcribit inter alios Quirinus Piſo in pulcherrimo libr. de Romanorum & Venetorum magiſtratuum comparatione, vbi inquit: *Inter ædiles connumerandus eſt magiſtratus, cui vrbis ſalubritas commiſſa eſt. Huius præcipuum munus eſt, prouidere, ne quid putridum aut quod incolumitati ciuitatis officere poſſit, vendatur: deinde id ſedulo curat, vt quam ſaluberrimè Venetiis agatur.*

Non puduit inſignem Polit. Caſtell. peculiari ca. de cloacis & earum mundicie tractare ad tutandā ſanitatem tum ipſius principis, tū etiam ſubditorum.

De Medicis, [a] hic Canon eſt:

Princeps proſpiciat ſubditis ſuis de peritis & fidelibus Medicis: impoſtores autem & circumcelliones, qui ſe paſſim Medicorum titulo iactitant, ſeueris legibus coerceat.

[a] *Babylonii nullum planè in repub. ſua patiebantur Medicum. Item Cato ex rep. ſua Medicos eiecit, & rationem etiam cur id faceret, expoſuit, quam recenſet Plinius lib 29. cap. 1. Item apud Stobæum, ſermone 100. de Medicis multæ ſunt querelæ. Verum hi Medici veri non fuerunt, ſed impoſtores & circumforanei, nam quilibet ferè medicamentum & remedium contra iſtum & iſtum morbum ſeſe noſſe profitetur: immo nulla eſt anicula & vetula quæ non ſingulare aliquid ſe ſcire glorietur: vnde de tanta Medicorum copia, egregia recenſetur hiſtoria ex Pontano apud Lemnium lib. 1. cap. 17. occ. naturæ. Non deſunt tamen qui in magno pretio veros & doctos habuerunt Medicos, vt Auguſtus & alii. Cominæus refert de Ludouico XI. Galliarum rege, quod Medico ſuo Cantirio (ita enim vocabatur) ſingulis menſibus dederit 10000. coronatorum.*

Non

Non niſi explorati conſtituendi in repub. Medici, vt præcipit Plato 3. de leg. Errones vero & circumcelliones & impoſtores exterminandi ſunt, cum non vereantur in hominum vitas graſſari, atq; vt prouerbio dicitur, *in vaſis iactura artem figulinam exercere*. vt Lemnius grauiter monet lib. 1. de occ naturæ mir. cap. 17. & Langius lib. 2. epiſtola 23. Galenus in lib. prænotionum dicit iſtos homines hoc vno à latronib. differre, quod ciues intra mœnia, & non in montibus deprædẽtur. Monent quoque Politici Medicos Iudæos non eſſe ferendos, tum quia illi plerunque ex deſperatione ad Medicinam accedunt, quando nempe reliqua ſua bona decoxerunt: & 2. quia hanc in libris ſuis occultis regulam habeant, quod *liceat impunè occidere* גויים, *id eſt, gentem ſiue Chriſtianos*.

Sequuntur principales cauſæ, quæ ſunt vel generales vel ſpeciales.

Generales cauſæ ſunt 4, nempe ſalubritas aëris, ſalubritas aquæ, cibi & medicamentorum.

De aëris & aquæ intemperie atque infectione prohibenda, ex quibus mediis id fieri poſſit ac debeat à magiſtratu, vide egregias regulas traditas à Iohan. Franciſco Ripa, in tractat. de Peſte cap. 2.

Hunc tractatum cõment. illuſtrauit Ioh. Nebelius Profeſſ. Lipſ.

De ſalubritate ciborum Canon eſt:

Prouideat magiſtratus, ne carnes aut piſces corrupti, contagioſi & putridi publicè vendantur, ne fructus immaturi ſub initium autumni immodera-

Mortifer autumnus. *tius vſurpentur; ne denique cupediarii cupediis ſuis ac deliciis nimiis valetudini ſubditorum noceant.*

Quod Ariſtoteles 1. Pol. 7. monet patrem famil. vt ſalubres cibos ac potum. &c. ſuis liberis & omnibus domeſticis procuret, id quoque de bono principe eſt accipiendũ.

De medicamentis Canon eſt:

Princeps operam det, vt medicamenta probata in rempubl. importentur, atq; eo fine certis ac ſtatis temporibus curet luſtrari Pharmacopolarum officinas.

Speciales cauſæ dicũtur eæ, quę conſiderantur tempore popularium morborum, vt eſt eorũ, qui longè latéq; graſſantur, & homines mutuò inficiũt; inter quos morbos maximè omnium numerari debet Peſtis, de cuius cura ſunt hi Canones:

Ita etiam anno 64. peſtis ex Anglia fuit delata Gedanũ, à nautis in veſtibus.

1 *Princeps animaduertat ex quibus cauſis peſtis orta ſit, an nempe ex cauſis internis vel externis.*

2 *Si orta ſit ex cauſis externis, id eſt, ſi contagium ſit delatum ab exteris in regionem principis, præcludat aditum in regionem ſuam illis, qui contagium eô deferre poſſunt, niſi fortè ſingularis aliqua neceſſitas & commiſeratio tales admitti iubeat.*

Peſtis quidẽ de loco in locum deferri poteſt per linum, lanã, veſtes & eiuſmodi materias, non autem per plũbum, ferrum aut per aromata, &c.

3 *Prouideat tempore peſtis magiſtratus, ne etiam ſani inficiantur, & qui infecti ſunt, negligantur, ſed vtriſque rectè conſulatur; atque idcirco iubeat vias publicas quam mundiſſimas ſeruari; cadauera mortuorum locis liberis ac patentibus citò, ac profundè ſepeliri iubeat, ædes priuatorum puriores eſſe quam alias, pro pauperibus peſte infectis peculiare noſodochium conſtruat*

4 *Fugam princeps permittat iis, quos nec officium publicum, nec amor priuatus domi manere iubet; nam cæteri qui fugiunt, iſtis qui remanent, præſertim in locis populoſis, eâ ipsâ fugâ [a] proſunt, cum multitudo hominum contagium vehementer accẽdat atq; augeat.*

De fuga tempore peſtis variè diſceptatum eſt à Theologis, dum nonnulli eam penitus improbant, alii vero cum certis cautelis admittũt; quorum poſteriorem ſententiam prudentiores Politici ſequuntur, ex quibus iſtum Canonem ſumſimus.

[a] *Sicut Deus per media ſanat, ita quoque per media morbos immittit: ſicut autem media ſanitatem recuperandi Deus præcipit, ita media hæc quibus nos à peſte præſeruamus, videlicet aërem puriorem, qui certiſſimum remedium eſt, nõ prohibet; E. quoq; fuga non eſt prohibita tempore peſtis: Sed excipiuntur tamen 1. paſtores, qui ad ægrotos conſolandos accedunt, item Medici & curatores ſanitatis, item magiſtratus, item illi quorum parentes aut fratres & ſorores decumbunt. tunc enim illis fugiendum non eſt.*

Tantum etiam de ſanitatis cura: ſupereſt cura victus, ſiue annonæ, ſub qua voce alimenti omnis ſpecies comprehenditur, nempe tam cibus quam potus.

Cura autem annonæ vel in genere ſpectatur; vel in ſpecie reſtricta ad tempus neceſſitatis ſiue famis.

Cura annonæ in genere, eſt vel de inſtrumentis, vel de modo.

Inſtrumenta curæ ad annonam pertinentis, ſunt vel adiutores annonæ, vel menſuræ annonæ.

De adiutoribus annonæ ſunt hi Canones.

1 *Princeps conſtituat certum magiſtratum, ſiue præfectos certos annonæ, qui nil aliud agant quam vt annonam publicam procurent.*

Ita nempe in laudatiſſima repub. Veneta certi ſunt præfecti, ſiue *Procuratores annonæ*, de quibus is, quem ante citauimus, Quirinus Piſo in libro de Romanor. & Venetorum magiſtratuum comparatione, ita tractat, vt ex omni antiquitate Romanor. probet quam ſalutare fuerit inſtitutum illud apud Romanos, quo certi Procuratores & Præfecti annonæ ordinati fuerunt. De qua annonæ præfectura etiam tractat Franciſcus Ripa in tract. de peſte, c. 4. ſub finem.

2 *His præfectis, ſiue procuratoribus annonæ adiunget princeps certos miniſtros & obſeruatores, qui ad ea omnia attēdant, quæ annonæ publicæ vel prodeſſe vel obeſſe poſſunt.*

De menſuris annonæ publicæ curam quoque ſuſcipere princeps debet, vt nempe modii, ſtateræ, pondera pertinentia ad annonam, & certa ſint & iuſta; vtq; ſint certi præfecti, qui iſtarum menſurarum & ponderum curam gerant.

Suadent Politici, vt menſura & pondera ſint vnius generis, quantum fieri poteſt; & allegant mandatum Dei Deuter. 25. vbi iubetur vt menſuræ & pondera ſint certa. Apud Romanos certi etiam fuerunt præfecti ponderum & menſurarũ, ſicut ẽt apud Venetos, vt lib. proximè cit. de magiſtratu Ven. autor dicit. Sunt ẽt veteris iuſtitiæ Ædi-

Ædiles, qui rerum venalium pondera, ſi iniqua deprehenderint, lege puniunt.

Sequitur modus annonæ publicæ, qui eſt vel in paranda annona, vel in vendenda.

De paranda annona ſunt hi Canones:

1 *Princeps accuratam curam ſuſcipiat agrorum, vt nempe ii laborioſè excolantur & quam fertiliſſimi reddantur.*

2 *Prouideat etiam ne ruſticationes, ſiue agricolarum operæ impediantur per eos, qui ruſticis indignè abuti ſolent: hinc enim annonæ caritas & fames ex improuiſo oritur.*

Franc.Ripa cit.cap. 4. Magiſtratus, inquit, qui cum poſſint ciuitatem vbertate fructuum cumulatam habere, exactè prouideāt, ne agrorum cultura deſeratur, & vt opera ruſtica tempeſtiuè fiant, vtq; pœnæ ſtatuantur in eos, qui agricolas â ruſticanis operib. diſtrahunt. Vide etiam Tol.de hac materia tractantem lib.4.De rep.c.8.

3 *Si qui agri ſint deſerti, ad eos occupandos & excolendos vel premiis inuitentur coloni.*

Franc.Ripa cit.loco.

4 *Faciat Princeps, vt regnum quam minimè indigeat rebus ad annonam pertinentibus eiuſmodi, quæ aliunde aduehuntur, ſed ſeipſo contentum eſſe poſſit: quia nulla maior eſt via ad regnorum amplificationem & conſeruationem, quam ſi in reb. neceſſariis exterorum opera & importatione quam minimùm indigeat.*

5 *Si qua autem importanda ſint in regnum, eorum importationem Princeps curet eſſe facilem*

& expeditam; ne videlicet exteri dum magnis moleſtiis res important, aut precia earum nimis augeant, aut etiam planè a neceſſariorum importatione anocentur.

6 *Non permittat ea importari Princeps, quorum vſus corpus vel animam ſubditorum effœminant, & opes exhauriunt, vt ſunt merces ſeplaſiariorum, pigmentariorum, & id genus aliorum.*

7 *Vt ſubditi in regno res ſuperfluas, & quibus non egent, faciliùs diſtrahere poſſint; curabit princeps, vt non niſi poſt certum tempus exteri in regnum importent, dum nempe ſubditi eas diſtraxerint.*

Vide Tol. lib. 4. c. 6.

8 *Princeps loca certa & fora annonæ conſtituat: conſtituat etiam certa & ſolennia tempora, quibus vendi commodè poſſint ea, quæ ad annonam requiruntur.*

9 *Precium annonæ pro varietate & circumſtantia temporum atq; annorum ſtatui curet, inprimis apud eos, qui panem & potum vendunt.*

Valdè neceſſaria iſta cura eſt in repub. vt duobus hominum generibus certa annonæ precia ſtatuantur, nempe piſtoribus, & illis qui potum vendunt; ſicut quidem laudabili inſtituto in rep. Veneta certi magiſtratus ſiue ædiles ad eam rem ſunt ordinati, ſicut autor aliquoties citatus inquit, loco etiam proximè citato. Sunt veteris iuſtitiæ ædiles, qui cibariis precium aſſcribunt. Et in Hollandia certis ac ſtatis temporibus anni publicè per præconem proclamatur, quanti piſtores panem vendere debeant.

10 *Animaduertatur quoq; in mercatores rei frumen-*

mentaria, ne nempe & illi nimiâ annonâ populum grauent.

Et ſic quidem de annonæ cura in genere: ſequitur Cura annonæ in ſpecie, ea nempe quæ ſuſcipitur tempore reipub. neceſſario, quando fames vel metuitur, vel etiam per regnum iam graſſatur: Cuius curæ 2. ſunt partes: quarum prior continet collectionem annonæ neceſſariam ad tempus famis; altera erogationem eiuſdem.

De collectione annonæ ad tempus famis, ſunt hi Canones:

1 *Princeps per ditionem ſuam certa horrea, ſiue vt vocantur,* Granaria *conſtituat, in quibus tantum recondi poſſit, quantum cuiq; diſtrictus ſubditis iudicabitur eſſe ad neceſſitatem conſolandam ſufficiens.*

Sapientiſſimo inſtituto horrea, ſiue Granaria publica apud Romanos olim & alias gentes conſtituta fuiſſe ex variis Hiſtoricorum locis conſtat. Et in iure Ciuili leges etiam extant de cura horreorum publicorum, ſicut paulò pòſt patebit.

2 *Princeps conſtituat certos horreorum publicorum Inſpectores & Viſitatores, qui ſelectum frumentum condi curent, & conuenienti tempore ventilari, ne corrumpatur.*

Ita nempe præcipitur in iure ciuili, *l.* 2. *Cod. de conditis in publicis horreis*; vbi textus inquit, *Cum ad quamlibet vrbem manſionemue acceſſeris, protinus horrea inſpici volumus.* Vide

latius de ea re præcipientem Franc. Ripam tract. de peſte, cap. 4. vbi inquit, *Optimos magiſtratus qui prohibere volunt famem, primo omnium eligere idoneos ſuſceptores, qui annonam & pecuniam frumentariam ſuſcipiant & cuſtodiant,* &c.

3 *In publica inopia poſſunt cogi poſſeſſores frumentorum, vt excepto eo quo ipſi egent, reliquum omne vendant in publicum.*

Nam quia facilè fieri poteſt, vt publica horrea exhauriantur, cum fames diutius perſeuerat, ideò princeps notari ſibi curet eorum nomina, qui frumentis negotiantur, eoſq; cogat ad frumentũ tempore neceſſitatis vendendum. Et ita factum fuiſſe apud Romanos, teſtatur Liuius libro 4. & Halicarnaſſæus lib. 9.

4 *Quando fames metuitur, curet Princeps ne aliquid frumenti ex ſua ditione alio exportetur.*

Quærit ibi etiam, an cum frumentum exportare non liceat, farina exportari poſſit? *& ſimpliciter negat.*

Qua de re accuratiſſimè Ripa agit citato loco, vbi plures etiam de illa materia controuerſias & quæſtiones pertractat, quæ ibi videri poterunt.

5 *Seuerè animaduertat Princeps in annonæ fraudatores & flagellatores, qui faciunt vt annona grauior & carior fiat ad priuatam vtilitatem; qui &* Dardanarii [a] *in iure vocantur.*

[a] *Dardanarii, ſecundum Cuiacium, dicuntur à Dardano Mago, qui magicis ſuis artibus ſterilitatem agrorum ac famem induxit, vt adhuc faciunt ſtriges & veneficæ mulieres. Ita vt eiuſmodi Dardanarii ſimiles ſint, imò peiores iſtis Pythonicis mulierc. imò publicũ homicidiũ: nam vita & victus pari paſſu ambulant.*

Vide

Vide *l. annona. ff. de extraordinariis criminibus.* Vide etiam Cicer. lib. 1. Offic.

Et ſic quidem de frumenti ſiue annonæ publica collectione & conſeruatione.

De Erogatione ſunt hi Canones:

1 *Princeps certos officiarios ad eam rem deputet, qui frumentum reconditum tempore neceſſitatis fideliter & prudenter erogent, qui* Erogatores Actuarii *vocantur.*

Vide Ripam cit. loco.

2 *Actuarii publici inprimis curam habeant pauperum in diſtributione, ita vt eorum nomina habeant notata, & ſciant quinam & quotnam ſint illi, qui ex publico neceſſe habent ſuſtentari Siue poſſint vlla ratione pro iſto beneficio aliquid rependere, & labores ſuos reip. impendere, ne id negligant Actuarii.*

Franc. Ripa monet vt Actuarii ſint viri nobiles, prudentes, bonæ conſcientiæ & minus auari.

Eiuſmodi ſapiens præfectus annonæ publicæ in Ægypto fuit Ioſephus, qui horrea publica aperiens ſic conſuluit miſeris & pauperibus regni, vt interim tamen exigeret quoque ab illis aliquid, quod ad regni emolumentum pertineret. Quam Ioſephi ſapientiam imitatus fuit Caſimirus Poloniæ Rex, de quo memorabiliter admodum annotat Herbortus libro 10. hiſtor. Polon. cap. 10. in hæc verba: *Inſequens annus* (nempe 1362.) *annonæ penuria & fame inſignis fuit, quæ tamen regis beneficentia mitigata eſt; nam in eius prædiis erat vis ingens frumenti è ſuperiorum annorum vbertate reliqua, idque frumentum vili*

precio vendebatur, plebsq; egena partim commutatione rerum, partim opus faciendo merebat; quo quidem tempore complures arces, oppida muris, vallis, & foſſis munita ſunt, piſcinæ, aggeres & aquæductus multis in locis facti.

CAPVT IX.

De cura Principis circa educationem ſubditorum.

EXpediuimus curam principis eam, quæ ad id pertinet, vt ſubditi viuant: ſequitur vt conſideremus curam principis quâ id agere debet, vt ſubditi rectè viuere poſſint. Rectè autem viuere, eſt ſecundum virtutem viuere.

Iſta cura eſt vel prima, vel orta.

Prima cura, eſt tum Educationis, tum præcidendæ occaſionis vitiorum.

Vtraq; autem cura tam prima quam orta pertinet vel ad honeſtatis finem, ſiue finem politicæ abſolute ſpectatum; vel ad finem politicæ prudentiæ ſpectatum cum gradu eminentiæ, vt nempe non tantum honeſtè viuant ſubditi, ſed etiam piè; atque adeò vt adſint media pertinentia ad æternam ſalutem adipiſcendam.

Primò ergò videamus media, pertinentia ad finem abſolutum, nempe ad honeſtatem; cuius honeſtatis prima cura eſt iſta, quam diximus, nempe

nempe Educatio iuuentutis, & præciſio occaſionis vitiorum.

Educatio iuuentutis vel in genere ſpectatur, vel in ſpecie.

Educatio in genere ſpectata, habet hos Canones:

1 *Princeps ſic ſtatuat, inanem fore omnem reip. gubernandæ curam, niſi iuuentus rectè inſtituatur & educetur.*

Conſtans Platonis, Ariſtotelis & omnium qui de repub. ſcripſerunt, ſententia eſt (inquit Picol. grad. 10. Philoſ. mor. c. 30.) *inanes eſſe omnes in rep. leges, niſi iuuentus rectè inſtituatur; vt enim in ſemente tota ſpes meſſis poſita eſt, ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione primæ ætatis pendet.* Et vt vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda & tertia; ita quoq; errata commiſſa in educatione iuuentutis nullis poſtea legibus in repub. corrigi poſſunt, præſertim cum magna ſcelera non ex vili natura, ſed generoſo ingenio educatione corrupto proficiſcantur, vt ſapientiſſimè Plato monet libr. 6. De repub. Ita vt meritò dixerit Diogenes, Pythagoricus Philoſophus, *fundamentum totius reip. conſiſtere in adoleſcentium educatione.* Quô reſpiciens Cic. inquit 5. Verrina: *Qui non rectè inſtituunt atque erudiunt liberos, non ſolum liberis, ſed etiam reipub. faciunt iniuriam.* Et ſanè ſi ad magiſtratum pertinet malum adultum & corrobaratum ſuppliciis publicis reſecare, cur non potius ad eum pertineat, malum ipſum, antequam vires

ξύλον ἀγκύλον οὐδέποτ' ὀρθόν, *lignū curuum nūquam fit rectum.*

colligat, ſapienter in ipſis initiis extinguere, inquit grauiter Mittendorp. ad quæſtion. Polit. 41.

Cic. Talem habituri ſumus rempu. qualem nũc iuuentutem videmus.

2 *Educatio iuuentutis ab anno ætatis 7. publica eſſe debet in oculis ipſius Principis.*

Duplex eſt educatio iuuentutis, nempe domeſtica, quæ ſit à parentibus, & publica, quæ fit à magiſtratu per certos officiarios ad eam rem deſtinatos. Vult ergò Canon, vt inſtitutio publica, ſiue Politica coniungatur cum Oeconomica, atq; adeò vt parentib. quidem educatio permittatur vſq; ad annum ætatis ſeptimum: deinceps cum parentum cura ſuam quoq; curam princeps coniungat, & iuuentutem publicè per certos ſuos officiarios educari curet, atq; adeò non permittat parentib. in eo liberum arbitrium *vtrum liberos ſuos in publicam inſtitutionem tradere velint, necne*. Rationes a. quib. id præceptum Politicũ quod multis parentib. durum videtur, ſtabilitur, ſunt aliquot: 1, quia liberi non tantum naſcuntur parẽtibus, ſed etiam principi & patriæ, ſiue reipub. ideò reſpub. quoq; ſibi liberos iſtos debet educare, 2, quia educatio domi mollior eſt ob intemperantem amorem parentum erga liberos; Itaque ex domeſtica educatione molliori educendi ſunt liberi ad educationem publicam, quæ prudentiam magis quam impotentiam amoris ſpectat. 3, domi & in ſecretis ingenia liberorum vel langueſcunt, & quendam velut in opaco ſitum ducunt, aut contra inani perſuaſione tumeſcunt; neceſſe eſt enim nimium ſibi [a] tribuat, qui ſe nemini comparat, inquit præclarè Quintilian. libro 1. c. 3. Comparat autem ſe nemini, qui nemi-

Obſtupeſcunt parẽtes ob liberorum vibices *inquit Syracides*. *Terent.* Matres filiis ſuis ad parentum iniurias adiutrices ſunt.

ἡ ἐρημία ξύνοικος αὐθαδείας, id eſt, Solitudo eſt ſocia præſumptionis, *inquit Plato*.

nem

nem præter ſuos domeſticos inſpicit, atque adeo in quo non excitatur honeſta æmulatio; quam æmulandi anſam publica educatio ſaltem ſuppeditat, vt rectè idem [b] Quintilianus. 4. Publica diſciplina in ſapientia totius reipubl. fundata & inſpectione magiſtratus gubernata neceſſariò eſt magis vtilis & ſalutaris, quàm illa inſtitutio, quæ ab vnius iudicio pendet; præſertim cum minima pars ciuium eam doctrinam & experientiam habeat, vt poſſit de inſtitutione liberorum iudicium ferre, ſicut grauiter argumentatur Ioh. Caſus ad c. 1. 8. Polit. Ariſt.

b *Quint.* Nihil peius iis qui vltra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerũt. Multi ad ſolidam eruditionem perueniſſent, niſi iam ſe perueniſſe putarent.

Accedit & iſta ratio, quod laudes & præmia, contra v. vituperia & pœnæ, quæ in publico adminiſtrantur, plus longè habeant efficaciæ, quàm quæ in priuato. Sed & præparantur hac ratione & iſta publica conſociatione [c] animi hominum ad amicitiam & concordiam ſuo tempore in rep. tuendam: ſiquidem vt Quintil. lib. 1. capite 3. monet, ii qui ab prima ætate iiſdem ſtudiis initiantur, ad ſenectutem vſq; firmiſſimas amicitias colunt. Denique exempla etiam ſapientiſſimorum Principum & rerumpub. idem ſuadent: Etenim publica fuit iuuentutis inſtitutio apud Perſas, apud Lacedæmonios & apud Romanos, vt teſtatur Plutarchus in Lycurgo, Xenoph. lib. inſtitut. Cyri, Polybius lib. 6. hiſt. Iuſtinus lib. 3. Feneſtella lib. 2. c. 17. Et apud Athenienſes quoq; publicam fuiſſe inſtitutionem præ aliis manifeſtè teſtati

N

poteſt Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 15. vbi rationes etiam allegat, quas in Oeconomicis reſoluimus, & inter quas illa eſt inprimis conſideratione digna, cum inquit, *Cura partis debet reſpicere curam totius; ſiue totum debet curare ſuam partem*: iam autem reſpubl. eſt totum quid, pars eius præcipua eſt iuuentus. Itaque hanc partem debet curare, non priuatim aliqua pars, ſed publicè ipſa vniuerſitas.

b *Μέγα πρὸς φιλίαν ἡ ἡλικία, καὶ τὸ συντροφόν ἐστι. Ar. 8. Eth.* *Et Heros ille Germanus Lazarus Swendius inquit*: Studioſorum amicitia eſt ex honeſto. Aulicorum ex poculis & iucundo, *&c.* mercatorum ex vtili.

3 *Princeps viros cuiuſdam ſingularis prudentiæ & dignitatis præficere debet educationi iuuentutis, qui nempe publica eaque magna autoritate præditi hoc vnum tantum agant, vt iuuentus rectè educetur.*

Apud Lacedæmonios duplex magiſtratus curabat educationem iuuentutis: 1, Ephori, quorum dignitas ſumma poſt regem erat in republ. deinde peculiaris magiſtratus, qui Pædonomorum titulum habebat, & nihil aliud agebat, quàm vt præeſſet educationi iuuentutis, ſicut inter alios Plutarchus teſtatur in Lycurgo, & Xenoph. quoq;. *Pædonomi*, inquit, *hoc agebant, vt iuuentus educaretur*; & legebantur ex iis, quorum erat maximos magiſtratus gerere. Vide de hoc ſalutari inſtituto Pædonomorum egregium opus Nicolai Craii, de rep. Lacedæm. lib. 2. c. 12.

4 *Magiſtratus ingenia iuuenum excitet certis quibuſdam & ſplendidis præmiis: contra verò effrenatos certis pœnis coerceat.*

Præ-

Præmia præcipuè conſtituta ſunt in eo, cum reſp. publicis ſumptibus, promouet ſalutares conatus iuuenum eiuſmodi, qui certam ſpem virtutis ac doctrinæ reip. oſtendunt. Pœnarum verò gradus varii ſunt, pro ratione delinquentium & delictorum: Summus iſte pœnæ gradus eſt, quem ſalutariter obſeruant Hollandi, dum nempe eos, qui omnia repagula honeſtatis perfringunt, includunt in ergaſteria, donec ad frugem perueniant.

5 *Et quia in publico fieri debet iuuentutis educatio, ideo neceſſe eſt magiſtratum certa loca, Collegia, Gymnaſia & Scholas ad id deſtinare; atque adeò curam ſuſcipere ſcholarum tum conſtituēdarum, tum adminiſtrandarum.*

6 *Reditus etiam certos, quibus ſcholæ fundari, adminiſtrari & conſeruari poſſint, magiſtratus procurare debet, & illos reditus qui à maioribus ad hũc ſummè pium vſum in fundatione monaſteriorum, Canonicatuum, vel aliis mediis dati & legati ſunt, ita & tueri & augere, ne ab hoc vſu ſanctiſſimo in profanum aliquem conuertantur.*

Nulla eſt beſtia peſtilentior, quàm quæ ex cucullo proſpicit, *dixit vir quidam magnus.*

Subordinatur hîc diſciplinæ Politicæ peculiaris quædā diſciplina, de Scholarum conſtitutione & adminiſtratione, quam quidem hoc loco propoſitum non eſt adornare; fortaſſis Deus occaſionem dabit, vt hanc quoque ſummè neceſſariam diſciplinam aliquando diſponere poſſimus. Interea de Scholis & earum neceſſitate legi poteſt Toloſanus libro 13. De Republica capite 3. lib. 18. cap. 1. & ſequentibus multis. Hippol. à Collibus libro de incrementis vrbium, capite 11. vbi

inter præcipuos modos vrbiũ promouendarum & ornandarum ponit celebris ſcholæ fundationem. Vide & Caſum ad lib. 5. Pol. c. 11. Item Caſmannum c. 15. Polit. & Althuſium cap. 6. Politic. & Danæum libr. 7. cap. vltim. Polit. vbi inquit inter alia: *Quales ſchola exhibet homines, tales habitura eſt reſpubl.* Cæterum quod diximus in Canone; *magiſtratui id inprimis incumbere, vt reditus monaſteriorum & cathredalium Eccleſiarum, ſiue vt vocant, Canonicatuum, non rapiantur in alios vſus, quam quibus deſtinati & legati ſunt à piis noſtris maioribus*, id idem eſt ac ſi diceremus: *Monaſteria omnia antiquitus fundata & templa cathedralia, nil aliud fuiße, quàm Scholas, nec alio fine ab Imperatoribus, Regibus ac Principibus aliiſque piis hominibus tam amplos reditus monaſteriis & templis illis cathedralibus donatos fuiſſe, quam vt iuuentus in iis erudiretur & imbueretur linguis ac diſciplinis liberalibus, piiſque & honeſtis moribus.* Id quod Hiſtorici magno conſenſu teſtantur; ſicut inter alios Philip. in Chronicis, & Rodolphus Hoſpinianus in lib. de monaſteriis & templis luculenter oſtendunt. Quin & nomen antiquum Lectorum & Scholaſticorum, quod vſque hodiè retinetur in Canonicatibus, euidenter id probat. Sed & documento ſunt ſtatuta tum aliorum regnorum, tum huius, ſub quo viuimus inclyti Poloniæ regni: quæ ſtatuta Iohannes Herbortus collegit certis quibuſdam titulis alphabetariis diſpoſita, & in titulo quidem Schola, eiuſmodi ſtatutum à Sigiſmundo, anno 1532. promulgatum extat; *Cum Eccleſiæ regni noſtri per anteceſſores noſtros ſint ampliter dotatæ,*

cum

eum ad diuinum cultum peragendum & manutenendum, tum etiam ad viros literatos & idoneos, maximè verò nobiles promouendos, quorum pauci eſſent, quibus vel animus vel facultas eſſet literis incumbendi, & alia ſtudia, per quæ emergitur, ſectandi, niſi bona Eccleſiaſtica non ſolum facultatem viuendi, ſed etiam opem multis ſe & ſuos ſubleuandi præſtarent. Simile ſtatutum eſt ſub titulo Abbas: *Tenebuntur Abbates certum numerum nobilium fouere in monaſteriis, & illos inibi hominibus doctis artibus liberalibus dare inſtituendos.*

Et ſic quidem de inſtitutione iuuentutis in genere: In ſpecie inſtitutio eſt vel puerorum vel puellarum.

Inſtitutio puerorum vel magis ad corpus refertur, vel magis ad mentem ſiue animum.

*Inſtitutio quæ ad corpus refertur, ea eſt, quâ delectorum iuuenum corpora ad agilitatem, ad * robur, atque adeò ad bellicos vſus exercentur; qualia quidem ſeminaria & collegia princeps habere debet in ſuo principatu aliquot.*

* *Non mirum eſt quod Turcæ nobis in prælio ſint ſuperiores, cum illi ſint exercitatiſſimi à teneris; noſtri verò milites collecti vel ex culina vel popina, vel illi qui aufugerunt in militiam ad deuitandam pœnam publicam à magiſtratu ipſis impoſitam, qui ideò nihil penſi habent ſiue vincant ſiue vincantur.*

Cum ne canem quidem ad venandum adhi-

N 3

beas, niſi prius exercitatum, vtique valdè abſurdum eſt ſubditos ad arma tractanda & bellum gerendum adhibere velle, quos antea nunquam idoneis exercitiis præparaueris. Quâ quidem in parte Turcarum Imperator principib. Chriſtianis, proh dolor! lõgè eſt ſapientior, vtpote qui eiuſmodi ſeminaria & collegia bellica inſtituit, in quibus adoleſcentes & iuuenes delecti atque apti vario bellicorum exercitiorum genere præparantur ad arma tractanda, & ad agilitatem ac robur corporis conſueſiunt. Quam Turcarum prudentiam vt imitentur Chriſtiani principes, grauiſſimis verbis hortatur magni in Politicis iudicii vir, *Augerius Busbequius*, in libro quem ſcripſit de re militari cõtra Turcam inſtituenda; Qui idem autor etiam magnificis verbis prędicat iſtorum militum, qui à teneris ad bellum præparati ſunt, fortitudinem & alias virtutes, epiſt. 1. quam ſcripſit de legatione ſua Turcica. Vide etiam de Ianizeris, & eorum laudatiſſima inſtitutione Lazarum Sorancium, in lib. cui titulus eſt *Ottomannus*, cap. 20.

Inſtitutio relata ad mentem, iterum vel ad virtutes intellectuales pertinet, vel ad morales.

Inſtitutio ad virtutes intellectuales conſiſtit tum in ſtudiis linguarum, tum in ſtudiis rerum.

De hac inſtitutione Canon eſt:

Magiſtratus delectum iuuentutis habebit; & quia non omnium ingenia apta ſunt ad linguas &

artes

artes liberales diſcendas, idcircò aptos ab ineptis curabit diſtingui, & hos, nempe ineptos, maturè adhibebit ad opificia & alios vſus reip.

Inſtitutio virtutum moralium eſt, quâ iuuentus in moribus rectè formatur.

De hac Canon eſt:

Præferri debet inſtitutio morum inſtitutioni virtutum intellectualium; quia longè plus nocent reip. malè morati, quàm indocti. Idcircò inſtitutio iſta morum ad omnes in vniuerſum pertinet, quicunq; reip. membra fieri debent.

Ingenium probitas, artemque modeſtia vincit.

Idcircò princeps magis ſollicitè curare debet vt iuuentus bonis moribus informetur, quàm vt informetur artibus & literis, etiam propter cauſam in Can. dictam, quod nempe plus longè noceant rebuſpub. malè morati, quàm artium liberalium imperiti homines. Vnde Seneca: Execrabiles ſunt illæ literæ, quæ non ad bonam mentem ducunt.

Et ſic de inſtitutione puerorum: puellarum inſtitutio habet hos Canones:

1 *Loca & domicilia, in quibus puellæ inſtituuntur, diſtincta eſſe debent ab iis, in quibus pueri inſtituuntur; nec loca tantum, ſed etiam magiſtri, & ratio inſtituendi diuerſa eſſe debet.*

2 *Inſtitutio puellarum quoad virtutes intellectuales, eſt in legendo, in ſcribendo, in computando, & inprimis in nendo, texendo: quibus puellarum ſtudiis magiſtratus ſiue princeps peculiaria & diuerſa collegia deſtinare debebat.*

3 *Mores puellarum prout in multis diſtincti ſunt a moribus maſculorum, ita quoque honeſtæ quædam ac graues matronæ publicâ autoritate & ſumptu huic informationi tanquam magiſtræ præfici debebant.*

Sic enim fortunatiora fierent coniugia in vrbibus, & magiſtratus in gubernandis OEconomiis ſubditorum minus haberet difficultatis.

Porrò inſtitutio iuuentutis & ſchola tam puerorum, quam puellarum eſt vel oppidana, vel pagana.

Oppidana eſt, quæ in cultioribus & principalioribus reip. locis fit, & fit accuratius.

Pagana eſt, quæ ruri fit.

De hac Canon eſt:

Quia ruri iuuentus accuratè formari nequit, idcirco princeps per idoneas perſonas omnes ſuos vicos & pagos diligenter viſitet; & iuuentutem luſtrari curet, & ſi quod ruri ingenium ſit excellens, & quod magnam ſpem præbeat vel virtutis bellicæ, vel eruditionis futuræ, illud in Collegia & Gymnaſia vrbana transferat, ibique accuratius iubeat formari.

Tantum de educatione iuuentutis: reſtat alterum virtutis principium, nempe præciſio occaſionis & irritamentorum, quibus iuuentus ad varia vitia proritari poteſt. Quæ quidem irritamenta duplicia ſunt; nempe principalia & inſtrumentalia.

Prin-

Principalia irritamenta vitiorũ ſunt vel viua, vel muta.

Viua, ſunt corruptores iuuentutis, nempe ſcurræ, comœdi, præſtigiatores, lenones, caupones, & id genus quiſquiliarum, quas nullo modo in republica princeps ferre debet; cum nempe artem factitent, & quæſtum captent ex corruptela publica iuuentutis.

Muta irritamenta vitiorum ſunt picturæ obſcænæ, item libri famoſi & turpes, quas infames chartas princeps ſub magna pœna publicè vendi prohibeat.

Vide Toloſanum lib.16.cap.9. Caſum libro 7. cap.8.

Inſtrumenta vitiorum publica ſunt, quæcunque vel à cupedinariis, vel ab aliis vaniſſimarum artium opificibus fabricantur ad luxum, libidines, vanitates iuuentuti pernicioſas.

CAPVT X.

De Regimine virtutum Ethicarum.

EGimus de principiis virtutum, quæ princeps in rep. procurare debet; Sequitur, vt de cura ipſarum virtutum in ſpecie doceamus.

Eſt autem cura virtutum vel Ethicarum, vel Oeconomicarum, vel Politicarum: debet enim princeps operam dare, vt ſubditi ſecun-

dum omnes hos modos rectè honeſtéque viuant, nempe ſecundum præcepta Ethica, Oeconomica & Politica.

Hoc nempe reſpectu diximus ab initio Syſtematis huius, quod Politica ſit *diſciplina architectonica*, i.e. talis, quę modũ prǽſcribat, quo omnes aliæ diſciplinæ atque adeo etiam Ethica & Oeconomica in ſalutarem publicæ rei vſum conuerti poſſint. Itaque non repetetur hîc doctrina Ethicâ & Oeconomica, quæ ante tradita eſt, ſed oſtẽdetur tantum modus publicæ curæ, per quam Ethica & Oeconomica in publicum finem ex priuato fine transferri debeat ac poſſit.

Cum ergò virtus Ethica ſit vel dirigens vel gubernata: idcircò Princeps primo curare debet regimen virtutum dirigentium, vt nempe quantum in ipſo eſt, ſubditi prudentes & iuſti fiant.

Inter virtutes gubernatas princeps eas primo curet, quæ ipſos ſubditos in ſe perficiant, inter quas primo eminet Temperantia, de cuius regimine publico ſunt hi Canones:

1 *Princeps publicis legibus ea ſanciat, quæ ad frugalitatem & abſtinentiam in cibis conducere poſſint, atque adeo prohibeat ne vel nimiis deliciis & cupediis ſubditi obruantur, vel etiam ne carnes quauis, quouis tempore promiſcuè vendantur, præcipuè verò auium fœtificantium.* Deuter. 22. verſ. 6.

2 *Ebrie-*

2 *Ebrietatem princeps inultam non ſinat, & eos qui deſtinata quadam ebrioſitate peccant, duplici pœna puniat.*

Flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum eſt ebrietas, inquit Auguſtinus ad ſacras virgines; neq; eſt quicquã dæmoni amabilius, quam ebrietas, inquit Chryſoſt. ſuper Matthæum, & vinum abſorbet eos à quibus ſorbetur, inquit Auguſt. in lib. de pœnitentia. Laertius in Solone teſtatur Athenienſes ebrios morte mulctaſſe. Et in comitiis imperii Rom. compotationes ſeueriſſimè prohibentur, vt apparet ex receſſibus Comitiorum anno 1500. Auguſtæ celebratorum, & anno 1512. Coloniæ habitorum. Et notum eſt id, quod Pittacus Mitylenæus ebrios duplici pœna puniri voluerit, vt teſtatur Laertius in eius vita. Et Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 5. Vide latius de hac materia diſputantẽ Caſum lib. 2. Sph. ciuit. cap. 10. Eſt tamen hîc opus moderamine aliquo diſtinctionis inter ebrietatem improuiſam, quæ non datâ operâ & minimè aduertentib. illis qui inebriantur, & denique rariſſimè fit, & inter ebrietatem deſtinatam, quæ ex propoſito fit, & frequenter. Nam in priori illa ebrietate videtur quodammodo excuſatio valere poſſe, quod qui per hanc peccent, non plena voluntate peccent, quod docere voluit Thomas Aquin. ſecunda ſecundæ quæſt. 150. vbi inquit: *Per ebrietatem diminuitur peccatum ſequens, ſicut diminuitur ratio voluntarii*: Illi autem qui ex ebrietate deſtinata, ſiue qui ex ebrioſitate peccant, dupliciter peccant; idcircò etiam duplici pœnâ afficiendi ſunt: nam peccant, dum hanc peccatorũ cauſam in viſcerib.

Apud Indos tam deteſtabile vitium fuit Ebrietas, vt non ſolum ſubditi, ſed & reges plecterentur; ita etiam, vt mulieribus quoque ſit conceſſum armatâ manu principis arcem inuadere, ipſumque ebrium interficere; inter quas mulieres illam, quæ regem ita primo aggredi audebat, ſucceſſor in imperio Rex, in matrimonium ducere cogebatur. Vide Alexan. ab Alexand. lib. 3. c. 11.

ſuis fouent; & 2, dum ex hac cauſa pernicioſum effectum, nempe, ſcelus aliquod producunt, ita vt rectè Caſus citato loco dicat: *Qui per ebrietatem peccat, naturam, ſeipſum & totam ciuitatem offendit.*

3 *Luxus in conuiuiis ſeuerè à principe coercēdum eſt, & ſtatuendæ ſunt leges ſumptuariæ.*

Videatur Boterus libr. de pol. illuſt. in fine cap. de Temperantia.

Apud Romanos præclariſſimum fuit inſtitutum legum ſumptuariarum, quæ etiam ad conuiuia pertinebant. Quas quidē leges hodiè pauci principes & reſpublicæ retinent, vnde ingentia damna in publicum redundant; ſicut inter alios id diligenter annotauit Lipſius lib. 4. Politic. c. 11. vbi grauiter monet principem, vt coherceat luxum in cōuiuiis, cum magnificus apparatus conuiuiorum pariat egeſtatem & æs alienum, à quo ſpes nouæ & cauſæ ſeditionum. quippe publicam ruinam quiuis mauult, quàm ſuam priuatam; & homines ſic affecti ſunt, vt ſtudeant priuatam calamitatem & miſerias reipub. malis operire. Polybii admonitio memorabilis eſt libr. 6. *Victus frugalitas & temperantia à multis malis & vitiis rempublicam liberat.* Sen. epiſtola 125. *Conuiuiorum luxuria & veſtium ægræ ciuitatis indicia ſunt.* Et ſanè ſi ea annuatim computent, quæ in comeſſationes paſſim prodiguntur, ingentem pecuniæ ſummam videremus, quę penes rempublicam maneret, ſi immoderatus iſte conuiuiorum luxus inhiberetur.

4 *Libidines & adulteria* [a] *princeps ſeueriſſimis pœnis ac ſuppliciis puniat.*

[a] Nihil tam Deo inuiſum eſt quam mens inceſta & animus impurus. *Lactantius. Plautus*: Nimis vile eſſet vinum

num atque amor, ſi ebrio atque amanti impunè quod liberet, liceret.

Videatur P. M. parte 3. Chro. vbi dicta & exempla memorabilia de vitanda libidine recitat. Et Heſiodus inquit: πολλάκι καὶ σύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. Sępè mali malefacta viri populus luit omnis.

Quia nempe cauſę maximarum calamitatum & perturbationum in genere humano ſunt confuſiones libidinum, propter quas ſæpè totæ gentes deletæ ſunt. Vide Richterum in axiom. Pol. axiom. 26.

Et hæc quidem de cura temperantiæ: ſequitur cura αὐταρκείας. de qua hic Canon eſt:

Vtile quidem eſt principes habere ſubditos neceſſariis diuitiis inſtructos; ſed interim tamen nimia deſideria diuitiarum in ſubditis imminuere, & pecuniarum ſtudium nimium tollere debent.

Machiau. lib. 1. Comment. de repub. cap. 12. & libr. 3. c. 16. principi ſuadet, vt ſubditos detineat in paupertate & egeſtate; ſic enim futurum, vt non facilè ſeditionem moueant. Sed contra Antimachiauelli autor lib. 3. theor. 32. exemplis & rationibus probare nititur, quod vtiliſſimum ſit reip. & magiſtratui opulentos ſubditos habere; & addit inter alia; *Principis theſauros in ſubditorum pecuniis ac loculis reconditos ac ſitos eſſe ſatius eſt, quã in publico ærario: & danda erit opera principi, vt ſubditi tuta pace & tranquillo ocio perfruantur & diteſcant; vrbibus ſua libertas, ſua iura & commoda ſeruentur, libera vbique ſint commercia, agricolæ immodicis tributis leuentur.* Non prohibemus er-

gò in Canone ſtudium diuitiarum & opum, ſed tantum immoderata illa & inexplebilia deſideria diuitiarum, quæ propter multas grauiſſimas rationes princeps compeſcere debet, quas rationes allegat Lipſ. cit. cap. & docet nimias opes ſubditorum nocere tum ipſi principi, tum ipſis ſubditis; nam auri vis & opes principibus infenſæ ſunt, inquit Tacitus 2 Annal. & ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè ſteterit, vbi minimum virium Veneris pecuniæque libido ſibi vindicauit, inquit Valerius Maximus lib. 4. c. 3. & vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes ſatis pollent, inquit Saluſt. ad Cæſarem; & idem addit. *Pecuniæ ſtudium princeps tollet, aut quoad res feret, minuet.*

Lipſius: Virtuti & Deo nunquam carus eſt, cui cara ſunt opes.

De virtute moderatrice rerum ſecundarum & vitatrice laſciuiæ, ſunt hi Canones:

1 *Laſciuia potiſſimum exercetur circa ludos, choreas & ſpectacula ſcenica; ideo princeps operam dabit, ne quid in iſtis ludis, choreis & ſpectaculis publ. committatur contra honeſtatem atq; alias leges reipubl.*

Quatenus ludos, choreas & ſpectacula princeps permittere ſubditis debeat, vide Caſum in ſpeculo morali lib 4. cap. 8. Et in Sphę. ciuit. libr. 5. cap. 8. Goclen. in quæſt. Ethicis, quæſt. 72. Chaſſanæum parte ſecunda, catalogi gloriæ mundi; conſiderat. 52. Et dabitur etiam infra occaſio de his rebus aliquid dicendi, cũ agetur de cura principis circa commoditatem, & iucunditatem ſubditorum.

2 Et

2 *Et quia frequentiſſima laſciuiæ ſpecies apparet in veſte, idcirco de veſtibus ſubditorum certas etiam leges princeps promulgabit & tuebitur; nempe ne veſtis ſit promiſcua viris & fœminis; ſed vt hi ſexus habitu etiam diſtinguantur; deinde vt quilibet pro ſuo ſtatu, conditione & officio ſeſe veſtiat, cum veſtes ſint externa ſymbola, quibus nobiles ab ignobilibus & publicæ perſonæ à priuatis diſtingui debent.*

Tacitus 3. Annal. *Veſtis*, inquit, *ne ſit promiſcua viris & fœminis*: quod idem & Deus ipſe ſanxit, dum prohibet ne fœmina viri veſtem induat vel contra. Quod verò ad diſtinctionem ſtatuum attinet, certum eſt, vt Deus voluit eſſe diſcrimina officiorum in genere humano, ita quoque velle eſſe diſcrimina veſtium; nam veſtes nihil aliud ſunt, quam eiuſmodi corporis tegumenta, quæ ſimul eſſe debent ſymbolum eius ſtatus, in quem quiſque collocatus eſt. Et Romæ olim leges veſtiarias latas fuiſſe, inter alios teſtatur Dionyſius libro 7. & Alexander Seuerus teſte Lampridio in eius vita, omnibus officiis & dignitatibus genus proprium veſtium dare conſtituit. De varietate autem veſtium pro varietate gentium & officiorum vide inter alios Alexandrum ab Alexandro libro 5. cap. 18. & Toloſan. lib. 4. de Republica capite 11. Et ſanè inprimis vtile ac laudabile eſt inſtitutum Reipublicæ Venetæ, & inprimis Noribergenſis, in qua cuilibet ciuium ordini certa veſtimentorum genera, & certa eorundem precia conſtituuntur. Vnde fit, vt plurimæ confuſiones aliæ, quæ ex veſtium laſciuia &

confuſione oriuntur, auerti poſſint. Memorabilis eſt locus Ludou. Viuis in productione ad ſapientiam, num. 45. *Suborta in veſtitu contentio*, inquit, *multa docuit ſuperuacanea, dum nempe homines ex eo quod infirmitatem arguit, honorem captant.* Et Bernhardi ſentẽtia celebrari ſolet: *Qui gloriatur de veſte, ſimilis eſt furi, qui gloriatur de cauterio; quia veſtis eſt ſignum & pœna reatus.* Wilhelmus Perkinſus doctiſſimus Theolog. in armilla aurea, cap. 3. oſtendit quod in veſtium exceſſu plurima inſint mala; nam 1, eſt profuſio donorum Dei; 2, eſt argumentum magnæ leuitatis; nam vt ſermo leuis, ita & veſtis eſt certiſſimum ſignum leuis animi; 3, eſt ſignum ocii; quia, qui in cultum corporis multum operis & temporis impendunt, plerumque aliarum rerum ſunt negligentes. 4, eſt confuſio ordinum & officiorum, quæ Deus vult diſtingui: denique, 5, eſt profuſio opum, & ſæpè facit vt homines ſe conuertant ad malas artes, ad furta & rapinas; dum nempe decus illud veſtium, quo primo ſe oſtentarunt per fas & nefas ſatagunt continuare. Qua de re etiam grauiter Lipſius monet cit. cap. 11. lib. 4. vbi vult à principe conſtitui cenſores rei veſtiariæ; quod niſi fiat, inquit, iuuentus vbi familiares opes defecerunt, ad flagitia & facinora incenditur, dum eadem illa quæ erat in abundantia libido permanet. Itaque in republ. ſeminarium Catilinarum oritur, dum id agunt laſciui homines, vt moueant compoſita, & res nouas ſceleribus acquirunt, ſicut inquit Saluſt. ad Cæſarem. Quod idem monet Ariſtoteles prudentiſſimè 5. Politic. cap. 6. *Fiunt*, inquit, *in republ. mutationes, cum homines ſua*

con-

conſumunt prodigè viuentes; hi enim tales res nouas quærunt, & aut ipſi tyrannidem affectant, aut ad eam alios vocant.

Sequitur Sedulitas, de qua hic Canon eſt:

Magiſtratus ſedulitatem inprimis inter ſubditos ſuos conſeruet; & hominem ocioſum nullum in repub. ferat; talem nempe qui laborare adhuc poſſit vel debeat.

Sedulitati repugnat ignauia & ocium; ocium dico eorum, qui laborare vel poſſunt, vel debẽt. Poſſunt autem ii qui ætate ſunt integrâ, & valetudine bonâ. Debent autem illi, qui neceſſe habent ex labore ſeſe ſuſtentare: Sunt enim multi qui ex reditibus ſuis annuis priuatim viuunt, quos quidem ocioſos appellare hoc loco noluimus. Contrà ergo ocioſos, quales hîc in Canone intelligimus, admodum grauis lex fuit Draconis, qui voluit omnes eos occidi, qui ocioſè in republica viuerent. Moderatius ſimul & prudentius Areopagitæ, Athenarum iudices rationem vitæ à quouis exigebant, ita vt exponere cogeretur, vnde & quomodo ſuos alere poſſet, teſte Athenæo, libro 4. Amaſis Ægypti rex legem ſanciuit, vt ſinguli quotãnis apud Νομάρχην, id eſt, cuiuſque præfecturæ in Ægypto præſidem, profiteretur vnde viueret; qui autem hoc non faceret, vel certum vitæ genus nominare non poſſet, extremo ſupplicio afficiebatur, teſte Herod. in Euterpe.

Apud Maſſilienſes ciuitate eiiciebantur Sacrificuli, ne prætextu religionis luxum & ocium

ſectarentur, & ne reſpub. cogeretur alere pigros ventres. Vtinam vero hodie etiam in ocioſos lex ſtatuatur, ſicut olim Romæ cenſoribus id negocium datum fuit, ne quis ocioſus in vrbe oberraret; vnde multa bona redundarent in rempub. & inter alia hoc etiã, quod tali in ocioſos inquiſitione magna ſæpe ſcelera detegantur, vt egregiè de hac re diſcurrit Camerarius parte 1. Medit. hiſtor. c. 15. Et ſane ocium cum ſit ἀταξία quædam contra legem & voluntatẽ Dei, qui vult vt homines in ſudore vultus sui ſuſtentationem vitæ quærant, vtque non laborantes non manducent, idcirco facilè rerumpublic. mutationem multitudo ocioſorum hominum cauſare poteſt; quod & Lipſ. lib. 4. cap. 11. annotauit, vbi citat verba Saluſtii ad Cæſarem: *Curabit princeps vt quilibet habeat negocia ſua, quibus a malo publico retineatur.* Vide Plat. libr. 11. De legibus, Bodin. lib. 5. cap. 2. Toloſan. lib. 22. c. 7. vbi egregiè deſcribit occupationes, quas princeps ocioſis demandare poſſit. Vide etiam Aretium tomo 2. problem. loco 140. Memorabilis eſt ſententia Gerſonis in opuſ. de remediis contra puſillanimitatem, vbi inquit: *Cor ocioſi hominis eſt inſtar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum.*

De cura tolerantiæ & fortitudinis hi ſunt Canones:

Ad tolerantiam & fortitudinem ſubditos ſuos princeps à prima ætate publicis quibuſdã exercitiis aſſuefaciat.

Exemplo

Exemplo reipub. Spartanæ, quæ ciues à prima pueritia indurabat & firmabat ad patientiam & tolerantiam. Vide Craium cit. lib. de rep. Laconica. Interim tamen nolumus principem tam crudelib. exercitiis excarnificare ſuos ſubditos, prout Spartani fecerunt.

Sequitur cura virtutum Ethicarum, ad alium relatarum; de qua cura ſunt hi Canones:

1 *Princeps foueat obſeruantiam inferiorum erga ſuperiores, & iuuenum erga ſenes.*

Sicut olim Romani ſeueriſſimis legibus eiuſmodi obſeruantiam in rep. ſua ſanxerunt, quod poëta teſtatur, cum inquit:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat. ——

2 *Gratitudinē quoque inter ſubditos ſuos ſtrictè conſeruet; ſiquidem nulla eſt fœdior macula regnorum, quam turba ingratorum hominum.*

Philip. Macedo id intellexit, qui militi in hoſpitē præclarè meritum ingrato, cauterium inuri curauit in fronte, his literis: *Ingratus hoſpes*; ſignificans nim. pertinere hanc curam ad principem, vt inſigniter ingratos obſeruet atque vlciſcatur; quod ſi fieret, maior foret ſubditorum erga ſe inuicem beneficentia, & coniunctio animorum arctior erga reip. ſalutem.

3 *Calumnias inter ſubditos non ferat; ſed ſi quam inſignem deprehenderit, ſtatuat exemplum in calumniatorem eiuſmodi, quod aliis ſit terribile.*

4 *Faciat cuiq; priuato, quod ſuum eſt, prout regula iuſtitiæ diſtributiuæ poſtulat.*

5 *Commutatiuam iuſtitiam ſingulari cura princeps proſequatur, & fraudes, malas artes, deceptiones, rapinas & furta grauibus pœnis coherceat.*

6 *Exemplis & præmiis propoſitis foueat inter ſubditos officioſitatem, liberalitatem; inprimis verò hoſpitalitatem & eleemoſynam, quæ debetur pauperibus.*

7 *Comitatem quoque, ad quam pertinent moderata conuiuia & conuentus, inter ſubditos ſuos conſeruet, tanquam magna adminicula coniunctionis animorum & concordiæ.*

Ariſtoteles 5. Politic. ſcribit hanc tyrannorum eſſe indolem, quod ferre non poſſint conuentus & conuiuia ſubditorum. Vide Bodinum lib. 3. de Republ. c. 7.

De virtutibus partim ad nos, partim ad alios, ſunt hi Canones.

1 *Manſuetos princeps amet, in furioſè autem iracundos animaduertat.*

2 *Studium tranquillitatis & concordiæ ſtrictè conſeruet inter ſubditos; diſſenſiones verò & factiones omnibus modis tollat; factionum ac turbarum auctores & diſſeminatores grauiſſimis pœnis afficiat.*

4 *Veracitatem omnibus modis princeps tueatur, & mendacia ac periuria acerbè puniat.*

4 *Futilitatem & loquacitatem etiam cohibeat.*

5 *Decentem corporis ornatum & ciuilitatem morum prudentibus quibuſdam modis inter ſubditos ſuos foueat.*

Vidi-

Vidimus de cura virtutum propriè dictarum: Cura virtutũ per ſimilitudinem dictarum habet hos Canones:

1 *Impudentiam & inuerecundiam profliget princeps è cœtibus ſubditorum.*

2 *Miſericordiam, ſiue commiſerationem mutuam inter ſubditos foueat, tum exemplo ſuo, tum etiam præmiis.*

Atque imitetur Iulium Cæſarem altâ voce clamantem: *Miles parce ciuibus*; & Theſeum obambulantem inter cadauera cæſorum hominum & ſepulturas curantem, dicentemque, *non poteſt homini fœtere homo.*

3 *Inuidiam princeps non foueat inter ſubditos; vtpote quæ facilè in odium acerbum degenerat; æmulationem tamen honeſtam tanquam ſtimulum virtutis quibuſuis mediis excitet.*

4 *Suſpicionem, ſiue ſuſpicacitatem tanquam multorum malorum matrem, è ſubditorum animis conetur extirpare: eos quos pœnitet admiſſorum delictorum, ſi ita iuſtitia permittat, libenter in gratiam admittat.*

5 *Continentiam legibus & exemplis inter ſubditos tueatur ac foueat.*

Et ſic fuit cura virtutum mediocrium ſiue communium: Cura virtutis excellentis, ſiue Heroicæ, habet hunc Canonem:

Attendat diligenter princeps quænã naturæ ſint heroicæ, & excellentes, eaſq; omnibus modis ſibi addictas reddat.

Tyrannorum proprium eſt heroicas naturas ferre non poſſe; & inter incommoda ſtatus popularis, hoc quoq; maximum eſt, quod heroici & excellentes viri in eo ęgrè tolerentur; quia populus amat æqualitatem & paritatem, ſupra quam aſcendunt heroicæ naturæ, quas idcircò populus odit & ſuſpectas habet, quod teſtatur exemplum Athenienſis reip. quæ viros ſummè excellentes ad decennium iuſſit exulare, ſcriptis eorum nominibus in teſtas oſtreorum, vnde illud exilium *oſtraciſmus* dictum fuit; de quo vide diſputationē Machiauelli lib.1.diſcurſ.de rep.c.28.&.29.& Caſum lib.3.Sph.ciuit c.9.vbi diſputat de Ariſtotelis ſententia, qui in eodem cap. lib.3.pol.videtur probare Oſtraciſmum hac ratione, quod vir excellens in rep. nec poſſit nec debeat ſubeſſe aliorum imperio; propterea quod ſit inſtar Dei. Et quia aliorum imperio ſubeſſe non poteſt, nec debet, ideo inquit Ariſtoteles oportebit eũ regere. atqui vnum regere id non eſt Democraticum, ſed Monarchicum; ergo vir ſumme excellens[a] aut nō eſt ferendus in Democratia, aut ſtatus Democratiæ planè eſt mutandus. Sed iſta Ariſtot. non ſcribit ex ſua ſententia, ſed ex communi opinione Athenienſium, qui ita ſolebant de ſuo ſtatu diſputare. Vide etiam Antimach.lib.3. theoremate 16.

[a] *Licèt multi Heroici viri pares ſint virtute; dignitate tamen, officio & vocatione ſunt impares; ita vt non ſit neceſſe eos vrbe expellere, ſed pro conſiliariis adhibere, cum pro imperantibus non poſſint, ſic vt Monarchia poſſit manere vel etiam Democratia conſiſtere: nam ſicut facies eximiè pulchra poteſt tolerari, ita vt bellum non moueat pedi, ſic etiam viri excellentes ne noceant.*

Reſtat

Reſtat cura amicitiæ, poſtquam de cura Ethicarum virtutum actum eſt: quæ Amicitiæ cura habet hunc Canonem:

1 *Princeps delectetur amicitiis ſubditorum iis, quæ fundatæ ſunt in honeſtate, propterea quod iſtæ amicitiæ ſint vincula virtutum, & tendant ad bonum publicum.*

CAPVT XI.

De Regimine virtutum Oeconomicarum & Politicarum.

SEquuntur virtutes Oeconomicæ, quæ partim ad ſocietatem Oeconomicam pertinent, partim ad poſſeſſionem.

Virtutes pertinentes ad ſocietatem Oeconomicam, vel ſpectant perfectam ſocietatem, vel imperfectam.

Perfectæ ſocietatis prima ſpecies, eſt vnio inter maritũ & vxorem, de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps curet, vt honeſta & reip. vtilia coniugia ſanciantur.*

2 *Princeps prouideat, ne noui coniuges ſeſe exhauriant nimius ſumptibus impenſis in procationes, ſponſalia & nuptias; vtpote quibus præcipui neruus poſſeſſionum domeſticarum incidi ſolent, & niſi cautio adhibeatur, facilè poßunt.*

3 *Habeat curam coniugiorum princeps & foueat in iis concordiam inter maritum atq; vxorem, ac certis legibus regat mores patrum ac matrum familias.*

Altera ſocietas Oeconomica eſt inter parentes & liberos, de cuius cura ſunt hi Canones:

1 *Princeps videat quomodo parentes ſuos liberos educent.*

2 *Curet moneri parentes, vt erga liberos ſuos ita ſe gerant, ne quam iniuriam iis inferant.*

3 *Liberos etiã in obedientia erga parentes cõtineat, & immorigeros ipſe puniat, ſi parentes non ſufficiant.*

Tertia ſocietas eſt inter herũ & famulum, itemq; heram & famulam; de cuius ſocietatis cura ſunt hi Canones:

1 *Princeps videat, ne domini ſeruos ſuos inhumaniter tractent.*

2 *Inprimis intereſt reipublicæ, vt in ſeruos, famulos & famulas animaduertatur, ne nempe vel infideles ſint ſuis dominis, vel etiam refractarii.*

Tantum de cura ſocietatum perfectarum. Societas Oeconomica imperfecta eſt viduorum, viduarum & orphanorum; de quibus ſocietatibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps prouideat, ne vidui & viduæ nimis intempeſtiue ad ſecunda vota & nuptias accedant.*

2 *Orphanorum & pupillorum curam accuratiſſimam princeps ſuſcipiat; tutores ac præfectos rebus orphanorum bonos ac fideles conſtituat.*

Sicut

Sicut quidem Venetiis & in Belgio nullius rei accuratior cura habetur, quam eius quæ ad orphanos & pupillos pertinet. Nec ſanè immeritò; quia ingens in repub. numerus eſt eorum liberorum, qui ante iuſtam ætatem parentes amittunt, quorum reb. niſi prouideret magiſtratus, multum ſanè decederet publicæ rei & publicis diuitiis, in quibus neruus reip. conſiſtit, vt nihil nunc dicam de conſeruatione familiarum; quas ſanè extingui neceſſe eſt, aut ſaltem ſupprimi, niſi pupillorum bonis ac poſſeſſionib. rectè prouideatur.

Tantum de cura ſocietatum Oeconomicarum: ſequitur cura poſſeſſionum Oeconomicarum, de qua ſunt hi Canones:

1 *Quilibet ſubditorum diſtinctas habeat facultates & poſſeſſiones.*

Cõtra communionem & exæquationem bonorum, qualem nonnulli voluerunt eſſe in rep. vide diſputantem Ariſtotelem lib.2.Polit.cap.4. & ibidem prolixius Caſum. Vide etiam Bodin. lib.6.c.4.

2 *Ne permittat princeps domos nimis magnificas & ſumptuoſas à ſubditis extrui.*

Lipſ.lib.4.c.11. *Princeps*, inquit, *prouideat de domibus ſubditorum, ne ſuperbè nimis ſtruant aut inſtruant*; allegans illud Saluſt.ad Cæſarẽ; *Stulti illi ſunt, qui omnia potius viſenda, quam ſemet efficiunt*; id eſt, qui externa tantum ornant, non ſeipſos. Quò pertinet illud Cic. monitum; *Do-*

mus domino ornanda eſt; nō dominus domo. Lacedæm. Lycurgo legislatore inſtitutum habuerunt eiuſmodi, *Domus nō niſi ſerrâ & ſecuri extruatur*, id eſt, ſimplicia tantum inſtrumēta ad domus fabricam adhibeantur; non vero illa exquiſita, & quæ tantum ad luxum comparata ſint. Vide Craium de repub. Lacedæm. lib. 3. Neq; tamen hîc prohibetur ornatus domuum, qui fit cum modo; vtpote qui ornatus priuatarum domuum & ædificiorum pertinet ad ornatum ipſius reip. ſiue ciuitatum, vicorum & pagorum.

3 *In ſupellectile etiam domeſtica princeps modum eſſe iubeat.*

Lipſius citato l. vbi allegat Tacit. 2. Annal. dicentem: *Princeps modum poſcat argenteæ ſuppellectili & familiæ.*

4 *Eos, qui nihil acquirunt, niſi mendicando, cum per vires corporis aliter acquirere poſſunt, princeps planè non ferat in rep.*

Canon eſt contra validos mendicos, qui tanquam dedecus & peſtis reip. penitus non ſunt ferendi, vt Ariſtoteles grauiter monet 4. Polit. c. 11. vbi cauſſam quoq; addit, quia ſcilicet is qui ſupra modum eſt pauper, id eſt, mendicus, rationi difficulter obſequitur; nam vt valdè diuites plerumque ſunt petulantes & contumelioſi, ita valdè pauperes & mendici maxima parte leues ſunt & malitioſi. Qui ergò mendici tales ſunt, vt mendicandi victusq. artem quandam factitent, quiq;, cum robuſto ſint corpore & validis lacertis, languori tamen & ignauiæ ita dediti ſunt, quiduis vt malint, quam labore & induſtriâ ſuâ ſibi vnde viuant, quærere, eis veteri verſu iube-

mur

mur panem dare, & inſuper pro obſonio pugnū impingere. Illud quidem, quia homini petenti negare panem vix hominis eſſe videtur, hoc autem vt diſcant ab illa fœda parandi victus ratione abſtinere, vt intelligant ſe omnibus bonis meritò odioſos eſſe. Verſus ille vetus eſt talis: *Vide Muretū in variis Lectionibus.*

Δὸς ἄρτον πτωχῷ, καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Des panem mendico & pugnum pro obſonio.

Pertinet a. vetus conſilium ad priuatos, à quibus nempe mendici aliquid petunt: neque v. ita ad literam intelligi debet id, quod de pugno dicitur, ſed ſenſus eſt; præter panem nihil eſſe dandum mendicis, ſed & panem ſic eſſe dandum, vt ſimul addatur grauis increpatio & ſtimulatio ad laborandum. Principi autem aliud incumbit, nempe vt validos eiuſmodi mendicantes in publico oberrantes, per certos ad eam rem deſtinatos miniſtros, vel expellat è ſua ditione, vel ad publicas operas adigat. Vide de non tolerandis in rep. mendicis egregium diſcurſum Camerarii centur. 1. Medit. hiſt. integro c. 16. & cent. 2. cap. 64. Vide etiam Caſum in Sph. ciuitat. libro 4. cap. 11.

5 *Qui v. planè propter imbecillitatem virium acquirere victum non poſſunt; illos princeps curet vel per priuatos, ditiores præſertim mercatores ſubleuari, vel etiam ipſe ex publico ſuſtentet, certis ad eum vſum ædificatis domibus pauperum, ſiue noſodochiis.*

Prius conſilium quod eſt in Can. ſuppeditat nobis Ariſtoteles 6. Politicor. cap. 5. vbi inquit: *Opulenti, qui opes magnas congerunt, quique*

facultatem mercaturæ faciendæ habent, egentibus ſuccurrant, ne reſp. mendicis ſcateat.

6 *Princeps videat, vt varia & diſtincta ſint genera acquirendi inter ſubditos, ne omnes aut ſaltem nimis multi ad vnum genus vitæ, atq; adeò ad vnam quærendi victus rationem ſeſe applicent; ſed vt quidam ſint agricolæ, quidam mercatores, quidam opifices, & ſic deinceps.*

Plato ſapienter monuit remp. non debere cõſtare ex medico & medico; id eſt, ex vno vitæ genere, ſed ex medico, mercatore, agricola, opifice, &c. Et ſanè ſi omnes vel ſaltem nimis multi vnã eandemque victus quærendi rationem ſequantur, duo grauia incommoda ſequentur; quorum primũ pertinebit ad ipſam remp. quæ multis rebus vel ad neceſſitatem, vel commoditatem pertinentibus hac ratione deſtituetur, ſi omnes ſint agricolæ, aut omnes ſint milites. Sicut Boterus & alii Politici annotant de Turcarũ imperio; quod etſi Imperat. Turcicus ampliſſimas habeat ditiones, eaſque etiam multis locis fertiliſſimas, in Turcia tamen magna ſit annonæ caritas, propterea, quod ferè nemo velit agrum colere, & omnes cupiant in militiam proficiſci. Contra ſi omnes vel nimis multi ſint agricolæ, & nulli vel pauci opifices, multa neceſſaria tam ad pacem, quam ad bellum pertinentia, & omnia ſpectantia commoditatem, inſtrumẽta ab exteris fuerint comparanda, quod magno fit detrimento reip. Priuatis etiam rebus officit id quod diximus; quia ſi nimis multi eandem victus rationem ſectentur, alter alteri impedimento erit, & multi fient, ocioſi homi-

homines, multi mendici, multi denique qui ſe ad malas artes conuertant.

7 *Non permittat princeps, vt cuiuis liceat prout vult, & quantum vult, in immenſum diuitias cumulare.*

Canonem hunc in Oecon. vbi de modis acquirendi egimus, ab Ariſtotele traditum explicuimus argumentis additis, ad quæ Polit. ſtudioſos remittimus.

8 *Modum acquirendi per vſuras & fœnerationem princeps certis ſtatutis & legibus coherceat; non quidem ſimpliciter vſuras prohibendo, ſed omnia accommodando ad rationem loci, temporis ac perſonarum.*

In Oeconom. diximus quatenus licitæ aut illicitæ ſint vſuræ, ita vt hoc loco prolixiore diſquiſitione non ſit opus. Videri poteſt Bodin. lib. 5. c. 2. Caſus lib. 1. c. 7. in Sph. ciuit. Nemo autem eſt inter omnes Polit. & IC. qui controuerſiam de vſuris maiori iudicio tractauerit & determinauerit, quam Molinæus in tract. de vſuris. vbi certis limitationib. adhibitis, monet, quomodo diſtinguendum ſit inter perſonas accipientes vſuram, item inter perſonas vſuram dantes, item inter loca quib. vſura datur vel accipitur; & alias eiuſmodi circumſtantias; quæ quidem niſi obſeruentur, verum erit illud quod eleganter Alphonſus rex reſpondit, vt refert Panormit. lib. 3. de dictis & factis Alphonſi, cap. 34. *Fœnus eſſe animi funus.*

Et ſic quidem etiam de regimine virtutum Oeconomicarum: ſupereſt regimē virtutum Po-

liticarum, quæ partim referuntur ad principem, partim ad ſubditos inter ſeſe.

Virtus ſubditorum relata ad principem eſt triplex: reuerentia, obedientia & fidelitas. de quibus virtutibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps ſubditos initio ſtatim principatus ſui religione iuriſiurandi, quam* Homagium *vocant, obſtringat & obliget ad præſtanda ea omnia, quæ principi à ſubditis debentur.*

Homagium Politici vocant illud iuramentū, quod princeps initio ſui principatus, atq; adeò in ipſa electione & coronatione, ſiue inauguratione exigit à ſuis ſubditis; ita quidem vt religione ſacroſancta ſeſe obſtringant principi ad præſtanda ea omnia, quæ ad cultum, ſiue honorem principis & ad obedientiam, & deniq; fidelitatē requiruntur. Vnde & *fidelitatis iuramentum* vocatur, quod quidem Gallica inflexione *Homagium* hodie dicitur. Vide Bodin.lib.1. De repub. cap.11.

2 *Princeps omnibus modis tueatur & vindicet honorem, autoritatem & maieſtatem ſuam; hac.n. in pectoribus ſubditorum vileſcēte, vileſcent omnes eius leges & ſtatuta, vileſcent adiutores regiminis & miniſtri, atque adeò concident omnia media boni regiminis.*

Supra diximus quod inter fundamenta principatus ac regiminis ſit autoritas principis, quæ præcipuè conſiſtit in præclaro iudicio ſubditorū de ſuo principe. Hoc ergò iudicium princeps omnibus modis fouebit ac tuebitur, ſi quid volet recti

recti & pręclari efficere in adminiſtratione principatus ſui:

3 *Crimen læſæ maieſtatis ſeueriſſimè iudicabit princeps, tanquam quod ex diametro aduerſetur fundamentis principatus.*

Supra docuimus quid ſit ***maieſtas principis***, vnde facilè hîc intelligetur quid ſit crimen læſæ maieſtatis, nempe eiuſmodi peccatum, quo aliquid vel dicitur vel geritur, quo ius maieſtatis in principe læditur. Quod quidem crimen puniri ſolet non tantum in ipſo qui admiſit, ſed etiam in tota eius poſteritate. Quod quidem etſi leges ita ſanciant, propterea ne eiuſmodi crimina, quæ ſtatum publicum euertunt, crebrò repetantur, princeps tamen ἐπιείκειαν & moderationem adhibebit in filiis & poſteris eius, qui huius criminis reus factus eſt, præſertim ſi filii & poſteri non inſiſtant veſtigiis patris, aut etiam ea ætate tunc fuerint, vt cum parente nequiuerint in hoc crimine conſpirare.

4 *Obedientiam erga leges in genere, & erga ſua in ſpecie edicta princeps a ſubditis cum certa efficacia poſtulet, eamque tueatur ac foueat.*

5 *Operarum & officiorum publicorum præſtationem, vt & contributionem publicam princeps ſeueris ſtatutis curet ſibi exhiberi.*

6 *Amorem & fidelitatem quoque ſubditorum omnibus legitimis mediis princeps conſeruet; & rebelliones, conſpirationes, proditiones vel maturè anteuertat, vel deprehenſas grauiter coherceat.*

Infra tractabitur de ſtatu reip. turbato, atque adeò etiam de rebellionibus, ſeditionibus, conſpirationibus & proditionibus, earumq; cauſſis & remediis; hîc in genere ſufficiat monuiſſe principem, vt hæc crimina fidelitati ex aduerſo repugnantia, omnibus modis anteuertat; &, ſi anteuertere non poſſit, ſupprimat & coherceat.

Virtus Politica ſubditorum inter ſeſe, eſt publica illa tranquillitas & concordia, quâ ſubditus cum ſubdito ad ſtatus publici conſeruationem pacatè viuit, etiamſi aliàs priuatis inter ſe diſcordiis & diſſenſionibus laborent.

Debet quidem princeps omnibus modis operam dare, vt ſubditi Ethicam concordiam, de qua ſupra egimus, inter ſe foueant, atq; adeo etiam in priuato ſuo ſtatu benè inter ſe conueniant; ſed quia in tanta hominum multitudine & varietate impoſſibile eſt, vt omnes inter ſe concordent, quoad res priuatas & Oeconomicas; ideò in eo princeps præcipuè laborabit, vt Politicam concordiam, ſi Ethicam & Oeconomicam non poſſit, conſeruet ac vindicet; præſertim v. in tali principatu, in quo viuunt homines vel naturâ inquieti, vel alioquin diuerſis de religione & aliis rebus ſententiis inter ſe pugnantes. Nám Ethica illa & Oeconomica, vt ſic dicamus, concordia & φιλησυχία ſiue tranquillitas priuatis rebus ſubditorum conducit, & ſi violetur, res priuatas lædit. Hæc autem de qua nunc agimus politica concordia, publicas res in ſe continet, &, ſi violetur, ſtatum publicum violat.

Canones

Canones de concordia politica fouenda inter ſubditos, ſunt hi:

1 *Quando inter certas familias æmulatione quadam diſcordiæ & tumultus oriuntur, tum princeps reip. caueat, ne nēpe alterutra pars in tali diſcordia publicum ſtatum conetur violare iſtâ ſuâ factione; nam propriè diſcordiæ integrarum familiarum* Factiones * *appellantur.*

Vt fuit factio Guelphorum & Gibellinorum in Italia; quæ quidem inter familias pullulauit, ſed tandem ad publicum ſtatum turbādum prorupit. Vide de factionibus familiar. Toloſ.lib.23. cap.3.

* *Malè igitur faciunt Veneti & Florentini, qui eiuſmodi factionibus non reſiſtunt; dum enim alterutra pars videt ſe non poſſe vincere, opem magiſtratus implorant; ſi auxilium non ferat magiſtratus, iſti remp. perturbant.*

2 *Tollet autē factiones magiſtratus cum non vni parti magis, quàm alteri videbitur fauere, nec vnam aduerſus alterā roboret, cum item ſemina diſcordiarum ſupprimet, & nomina illa factioſa ſeueris edictis extirpabit.*

Vide Antimach.lib.3.theor.15.

CAPVT XII.

De cura Principis pertinente ad vitam ſubditorum commodam, honorificam & iucundam.

E*Xpediuimus curam Principis eam, qua ſatagit vt ſubditi rectè honeſtéque viuant: Sequitur ea cura, quæ pertinet ad ſubditorum vitam cōmodè, honorificè & iucundè peragendam.*

Rectè & ſuauiter inquit Xenoph. id eſſe bonũ principem in regno, quod eſt pater in domo. Pater a. has curas ordine curat: 1, vt viuat eius ſoboles, & vt ſana ſit; 2, vt honeſtè viuat: denique vt viuat etiam commodè, honorificè & ſuauiter. Quapropter & princeps non ita tantum regere debet ſubditos vt viuant, & quidem viuant ſalubriter honeſtéq; ; ſed etiam vt viuant commodè, honorificè & iucundè: iſta.n. omnia ad id pertinent, vt ſubditi benè viuāt, quæ eſſe debet potiſſima principis cura.

De iſta a. cura, nempe quæ id agit, vt ſubditi viuant honorificè, commodè & iucundè, ſunt hi Canones:

1 *Det operam princeps, vt loca principatus ſui omnia, quam per naturam fieri poteſt, ſint cultiſſima & fertiliſſima.*

2 *Studeat in principatu ſuo habere emporia & loca opportuna ad merces commodas importandas & exportandas.*

3 *Foueat in regno artifices varios ac multiplices, qui ea parent quæ ad commoditatem ſpectant, tum in veſtitu, tum in alia ſupellectile domeſtica.*

4 *Ædificia ſubditorũ curet per peritos architectos ſic extrui, vt non tātum a frigore & pluuia muniantur ſubditi, ſed etiam commodè in iis habitent.*

5 *Studeat etiā amœnitati ſyluarum, nemorum, camporum & hortorum.*

6 *Flumina iubeat eſſe munda & lympida, fontes ac ſcaturigines viuas, aquaductus artificioſos, balnea commoda & opportuna.*

Vide Zechum de principatu, pag. 145.

7 *Curet princeps* [a] *ut ſubditi honorificè ſub ſuo dominio vivant, nec habeantur pro mancipiis, & ut ii qui aliquo ſtatu eminent, poſſint ſuum decus & dignitatem tueri in rebus illis externis, quæ in oculos incurrunt; nempe in veſtitu, domiciliis & ædibus.*

Duæ. n. res ſunt quæ contemptā ac deſpectam gentem reddunt; nempe ſeruitus nimia, & nimiæ ſordes, quæ ex nimia inopia proficiſcuntur.

a *Magna culpa eſt principis, ſi ſubditi ſint q. ſerui & mancipia, qui eos non regit liberaliter, & à ſordibus ac veſtitu immundo immunes eſſe iubet. His. n. duabus notis inſigniuntur & cognoſcuntur contempta gentes, quod ſeruiles & ſordidæ ſint, ut ſunt Moſcouitæ, Tartari, Turcæ,* &c. *quos omnes homines pro ſeruilibus, ſpurcis, ſordidis & contemptis populis habent.*

8 *Curet princeps ut qui in nationes exteras proficiſcuntur ex ipſius principatu, ſint exculti moribus & instructi neceſſariis ſumptibus, præſertim ſi ſint filii magnatum, aut aliorum honoratorum ciuium.*

Hæc nimirū cauſa fuit, cur nonnulli principes noluerint quoſuis è ſuo principatu egredi ad exteras nationes, [b] ſed præſcripſerint modum peregrinandi; ſicut adhuc hodiè nemo ex Procerum filiis in Anglia emittitur ad peregrinationes ſine conſenſu regis.

b *Plato dixit*: Nullus ante 30. annum egrediatur ex mea rep. *ſignificare ſc. volens quod hunc ipſum iudicio aliquo præditum eſſe oporteat, qui velit peregrinari: ſiquidem peregrinatio nihil eſt aliud quàm experientia & obſeruatio ocularis eorum, quæ antè domi didiciſti.*

9 *Pertinet quoque hoc ad commoditatē & ad decus gentis, ut lingua atque idiomate culto facundoq; utantur.*

Ex idiomate natura & mores hominum diiudicãtur: & propterea Caſſubii noſtri ſunt contemptui quod inconcinna adeò dialecto vtantur, ita vt vix intelligi poſſint.

Lingua enim & dialectus ruſtica valdè contẽptum reddit hominẽ, id quod experientia quotidiana teſtatur; vnde & Toloſanus & ex Toloſan. Althuſius in Polit. hanc quoque curam principi imponunt, vt idioma quo ſubditi vtuntur, curet eſſe intelligibile, diſtinctum & cultum.

10 *Ad recreationem, iucunditatem & voluptatem honeſtam princeps ſuis ſubditis indulgebit certa genera luſuum, itemq; conuiuiorum moderatorum.*

Supra monuimus de immoderatis ſubditorum voluptatibus cohercendis; hic loquimur de modeſta & honeſta recreatione, quam omninò princeps debet indulgere ſuis ſubditis. Sunt autem duo genera publicæ iucũditatis, nempe Spectacula & Conuiuia; quorum vtrumque debet eſſe & virtuti & ſcopo reipub. accommodatum, ſicuti inter alios de publicis conuiuiis prudenter diſputat Caſus libro 2. capite 8. Sph. vbi monet magiſtratum conuiuia ſubditis publica concedere debere, propter 3. cauſas. 1, propter recreationem cibi. 2, propter ſuſtentationem pauperum; quia pauperes ex conuiuiis publicis ſuas quoque eleemoſynas poſſunt accipere ex reliquiis conuiuiorum, aut alioquin ex liberalitate conuiuantium, quemadmodum in ſuperiori Germania in vſu eſt, vt quoties conuiuium aliquod publicum celebratur, nomine pauperum aliquis ablegetur, qui à conuiuis ipſa hilaritate iam ad dandum magis procliuibus aliquid eleemoſynæ colligat: denique 3. finis eſt reconciliatio litigantium; nam ſæpè in hilari conuiuio grauiſſimæ lites & controuerſiæ componuntur, quas ipſe magiſtratus & ſeuera tribunalia componere

ne-

nequiuerunt. Spartani etſi rigidiſſimè rexerint ſuos ſubditos, tamen publicos luſus & recreationes illis indulſerunt. de qua re egregia legi poſſunt in præclaro libro Craii lib.3.de republica Lacedæmon. pagina 185. vbi aliquot capp. ea de re tractat.

CAP XIII.

De cura Principis circa mortem & ſepulturam ſubditorum.

ET ſic quidem de cura principis circa vitam ſubditorum in genere: ſupereſt vt dicamus quoque de cura eius, circa mortem ſubditorum.

Nam immortales ſubditos nullus princeps regit in his terris: Itaque ſicut bonus paterfamilias etiam in ipſa morte curat liberos, ſic & bonus princeps curare debet vt ſubditi, quos mortales nactus eſt, cum moriuntur. placidè honeſtéque moriantur, & honorificè commodéque ſepeliantur, quæ cura cum in multis rebuſpublicis negligatur, dici non poteſt quanta inde incommoda redundent, non ad mortuos tantum, qui iſta incommoda non ſentiunt, ſed inprimis ad viuos, quibus eo loco viuendum eſt, vbi mortui ſepeliuntur.

Canones de hac cura ſunt:

1 *Princeps omnia rectè ordinet & conſtituat, quæ pertineant ad teſtamenta condenda & legata inſtituenda ab iis, qui morti vicini ſunt.*

2 *Curet etiam ne ii qui proximè mortem decum-*

bunt, turbentur & vexentur ab hominibus petacibus & importunis; quales olim erant Monachi, & id genus homines.

3 Curet quoque vt bona defunctorum rectè ſerventur, & viduis, pupillis aliiſque heredibus præſertim longè abſentibus, ſalua intactaque maneant.

4 Curet etiam vt loca ſepulturarum & monumentorum ſint extra frequentem cœtum hominum, eo nempe loco, quo viuis non poſſint nocere.

Nempe id vult Canon, loca ſepulturarum debere eſſe extra vrbes, imo & extra tēpla, in quib. homines frequentes conueniunt; id quod probatur; 1, ex perpetua cōſuetudine populi Dei, qui mortuos ſuos ſepeliit non in vrbibus & templis, ſed in campis; ſicut videre eſt in hiſtoria Patriarcharum, qui omnes in campis ſepeliri voluerunt, & inprimis manifeſtè teſtatur Euangel. Lucas, cap. 7. vbi narrat filium viduæ habitantis in vrbe Naim, cum mortuus eſſet, deportatum fuiſſe extra vrbem ad ſepulturam; Ad quem locum vide quæ annotent docti interpretes, qui id omnes vno ore profitentur, non tantum Iudæorum, ſed etiam gentium morē fuiſſe, vt mortuos ſuos efferrent extra vrbes. Vide etiam P. Martyrem in Loc. Comm. claſſe 3. loco de ſepultura. 2, ratio ducitur ex charitate proximi, cui planè aduerſatur iſte mos ſepeliendorum mortuorum in vrbibus & templis, dum nempe valetudini & vitæ viuorum nocetur, per halitus qui ex cadauerib. mortuorum in vrbibus & templis tantò copioſiores

ſiores exhalant, quantò locus eſt concluſior, & ob hominum frequentiam tepidior; quos quidem halitus præſertim ex eorum cadaueribus, qui peſte extincti ſunt, euaporantes, venenatos ac contagioſos eſſe Medici teſtantur, inter quos Lemnius libr. 2. de mir. nat. c. 3. vt non dicam hoc loco de arena ſiue ſabulo & terra, in qua cadauera mortuorum plura computruerunt, & quæ in templis ſolent pluribus annis retineri, quam nempe ea tota imbuta ſit materiâ non tantum fœtida, ſed etiam venenatâ quaſi, quam materiam exhalare ad viuos neceſſe eſt, quando monumentis apertis ſabulum iſtud mouetur & effoditur. 3, eſt, à cauſa efficiente & origine iſtius conſuetudinis ſepeliendorum mortuorum in templis; quam originem peſſimam eſſe, vel id teſtimonio eſt, quod nempe Monachi, & præſertim Franciſcani, ac præſertim mendicantes, ex iſtis ſepulturis a mortuorum, quæ in templis fiunt, non niſi quæſtum & lucrum turpiſſimum quæſiuerint; & quidem ita quæſiuerint, vt non expenderint templa ſua, quæ aquâ benedictâ illi conſecrant, pollui ac contaminari, cum Deus ipſe diſertè in Leuitico dicat, eum qui tan- “ git cadauer, immundum eſſe, & locum quoque i- “ ſtum pollui, in quo cadauera ſepeliuntur. “ At illi diſcreti ſcilicet Monachi tantò mundiora & puriora ſepulchra eſſe aiunt, quantò ſunt ſummo altari viciniora. Accedit aliud argumentum, deſumptum ex teſtimonio Iuris ciuilis. de quo iure placet annotare verba Franciſci Ripæ ex tractatu de peſte, capite 4. antè citato. vbi.

„ inquit: Ad remouendum fœtorem ex cadaueri-
„ bus prouenientem à maioribus noſtris inuenta
„ ſunt ſepulchra non defunctorum cauſa, ſed viuē-
„ tium gratia inſtituta; nam quia ſepulchra vt pluri-
„ mum fœtent, ſtatuit D. Adrianus pœnam 40. au-
„ reorum in eos, qui in ciuitate ſepulchrum faci-
„ unt, locumq; publicari iuſſit & corpus inde tranſ-
„ ferri eâdem magiſtratibus patientibus imminen-
„ te, *l*.3.§.Diuus Adrianus.*ff*.de ſepulchrorum vio-
„ latoribus. Huc accedit & lex 12. Tabularum, quæ iuſſit humari corpora extra vrbem his verbis, *Mortuum hominem in vrbe ne ſepelito.* Quam legem citans Franc. Patricius ipſe homo Pontificius lib.5. de inſt.reip.tit. 10. inter alia hæç etiã ver-
„ ba addit: Nullum genus ſepulturæ magis laudan-
„ dum puto, quàm humationes ſub dio, vbi flores
„ & herbæ naſcuntur; cum id in ſepulchris vetuſtiſ-
„ ſimis inſcriptum ſit: Sparge roſas, lector, vel can-
„ dida lilia pone. *Item*, manibus date lilia plenis.
„ *Item*, Purpureos aſpergite flores. *Et addit Patrici-*
„ *us*: Pulchrius & optabilius eſt germinanti terræ
„ reddi hoc corpus, cum ex tali terra factũ ſit; itaq;
„ æquum eſt, vt filius in gremiũ matris reuertatur. Denique etiam accedit hodierna cõſuetudo laudatarum rerump. vt Argentinenſis, Noribergenſis, Lipſenſis, in quibus vel rara, vel nulla etiam mortuorum cadauera in templis vrbanis humãtur. De Spartanis miror, quod permiſerint mortuos in vrbe ſepeliri, de quorum cõſuetudine vide Craium libr.3. pag. 110. Interim tamen vetuerunt, ne monumenta in templis fierent, ſed iuxta templa. vide ibid. [a]

[a] *Ante annos circiter* 400. *hæc execrabilis conſuetudo cœpit,*

pit, cum ante hæc tempora etiam Martyrum cadauera extra vrbes ſepulta fuiſſe conſtet: Franciſcani enim & Dominicani cum viderent numerum fraterculorũ augeri, nec tantos ſumptus ipſis ſuppetere, hanc emungendæ pecuniæ artem inuenerunt, vt homines in cucullis monachorum & prope altare ſepeliri debere, imperitis perſuaderent, ita vt rectè quidam dicat, Nullam artem acquirendæ pecuniæ eſſe probatiorem quàm Monachorum, *&c.*

5 *Prohibeat princeps, ne theſauri vnà cum mortuis humentur; cum theſauri non pro mortuis, ſed pro viuis colligantur.*

Vide de hoc Can. citatum locum lib.3. de rep. Lac. vbi dicitur legem fuiſſe Spartanam hãc; *cum mortuo nihil inhumetur.* Et apud Athenienſes etiam aurum addi mortuis lege vetitum fuit, vt ſcribit Cic. 2. de legib.

6 *Curet princeps vt pompa funebris ſit moderata, & conuenientia etiam illa omnia, quæ pompam iſtam funebrem antecedunt.*

De variis ritibus pomparum funebrium & ſepulturarum, vide Alexand. ab Alexand. lib.3. cap. 2. Cælium Rhodiginum lib.16. c.14. Franc. Patricium li.5. De rep. tit.10. & inprimis Ioach. Camerarium centur.1. Medit. hiſt. c.96. Dicitur autem in Canone etiam ea debere eſſe conuenientia, quæ pompam funebrem antecedunt, propter ſigna quædam funeris, quæ in publico ſtatui ſolent ante eam domum, in qua cadauer humandum iacet; nam talia ſigna in nonnullis locis, præſertim peſtis tempore, vel nulla eſſe vel etiam nimis grandia & conſpicua, vt in his noſtris terris, id verò eſt inconueniens.

7 *Libitinariis & veſpillonibus certas leges ſtatuat princeps, præſertim tempore peſtis.*

Vide Ripam citato loco.

8 *Cadauera mortuorum nec nimis citò efferantur ad ſepulturam, nec nimis diu ſeruentur in ædibus.*

Non nimis citò eſſe ſepelienda cadauera, ſuadent Medici & inter hos Lemn. cit. l. lib. 2. c. 3. vbi „ inquit: Quamobrem lege cautum eſſe debebat, „ ne libitinarii ac veſpillones ꝑpropere quos mor- „ tuos exiſtimant, loculo includant: compertum e- „ nim habeo, noſtra & auorũ memoria nonnullos „ effracto capulo reuixiſſe, eos præſertim, qui apo- „ plexiâ aut morbo comitiali vteriq; ſtrãgulatione „ ſuffocantur, in quibus nonnúnquã deliteſcit ani- „ ma, quæ rurſus corpus ſpiritu vitaque imbuit.

9 *Conſultum foret cadauera ad ſepulturas matutinis horis deferri.*

Nempe, quia eo tempore minus periculi eſt ab halitibus, quos cadauer meridiano tempore tepefactum grauiores & copioſiores emittit. Hinc „ Patricius lib. 5. De repu. tit. 10. Demetrius, *inquit*, „ Phalereus diu poſt legem etiam Athenienſibus „ tulit, vt ante lucem mortui efferrentur.

10 *Conſultum eſt cadauera ita terræ imponi, vt cito putreſcere poſſint.*

Quo enim diutius putrefactio durat, eo plures halitus euaporant. Vnde video nonnullos ſuadere, vt cadauera nuda terræ imponantur; quia ſic citius putreſcent, aut ſaltem leuioribus aſſeribus incluſa. Nam quod Orientales populi, præſertim verò Ægyptii, cadauera vnxerint, id pro ratione loci commodum illis fuit & minus ſumptuoſum. In aliis autem regnis & prouinciis ii ſumptus non ita fieri poſſunt.

11 *Cœmeteria & loca ſepulturarum pro ſanctis & inuiolatis habeantur, ſicut & ipſæ ſepulturæ ac monumenta.*

12 *Omnes mortuos ſepeliri princeps curet, licèt nõ eodem loco. Sunt enim nonnulli facinoroſi & ſcelerati, atq; adeo ii quoq;, qui ſibiipſis violentas manus intulerunt, quorum cadauera honoratis locis ſepeliendo non ſunt.*

Canon ergo improbat eam conſuetudinem, quæ hodiè in Germania, atque adeò his etiam in locis obtinet, vbi cadauera eorum, qui ob furta ſuſpenduntur, aut alioquin rotâ concutiuntur, in ipſo ſupplicii inſtrumento putreſcunt inſepulta, quod quidem & contra naturam eſt, quæ ſuadet hominem mortuum terrâ tegi, & contra Dei mandatum, & exempla manifeſtiſſima ſacrarum literarum fieri certiſſimum eſt. *Deut.* 21. ℣. 22.

CAPVT XIV.

De cura principis circa ſubditos in ſpecie; Et primo quidem de ſubditis ſtatus altioris, ſiue eminentioris.

PErſecuti ſumus hactenus curã perfecti principis circa ſubditos in genere: conſequens eſt, vt ad ſpeciem deſcendamus, & particulariter videamus, quomodo ſingulos in ſpecie ſubditos diſtinctè regere princeps debeat.

Subditus ergo principis vel ſeparatim conſideratur, vel collectim.

Separatim conſideratus ſubditus eſt vel publicus, vel priuatus.

Publicus eſt vel eminentioris ſtatus, vel infe. rioris.

Eminentioris ſtatus ſubditus vel conſidera. tur vt dignitarius, vel vt beneficiarius, vel vt officiarius.

Subditus eminentior dignitarius his gradi. bus cenſetur: 1, *Dux*; 2, *Margrauius*; 3, *Land. grauius*; 4. *Comes*; 5, *Baro*; 6, *Nobilis*.

In Imperio Romano etiam adduntur *Palati. ni*, de quo officio vt & aliis præcedētibus legatur Munſterus in Coſmographia, item appendix the- atri Orteliani, quæ eſt de ſtatu Imperii Rom. itē- que clariſſimus vir Marquardus Freher. in origi. nibus Palatinis.

Beneficiarii ſunt illi, qui feudum à principe tenent, quos Phaſallos *vſitate dicimus.*

Feudum eſt beneficium à principe collatum in ſubditum, quo poſſidet certa prædia à vecti- galibus libera; ſic tamen vt obligetur ad fideli- tatem & ad officia belli tempore principi præ- ſtanda.

Feudum à fide deriuant, ſed alii Longobardi- cam appellationem eſſe volunt; quod ſanè eſt ve- riſimile, cum Longobardorum tempore res iſta ſiue beneficium hoc maximè omnium ſit illu- ſtratum. Bodinus lib. 1. de republ. c. 9. aliam habet huius nominis deriuationem, & exiſtimat fedum dicendum eſſe ab initialibus quinque literis F. E. D. V. M. quod qui fidem daret his verbis vtere- tur, *Fidelis Ero Domino Vero Meo.*

Ca-

Canones de feudo ſunt hi:

1 *Etſi ius feudorũ nouum videatur & ante Longobardorum in Italiam incurſiones ignotum, atque adeo tale quod ex Italia profluxerit in Europam vniuerſam; tamen omninò ſimile aliquid fuit apud antiquas & alias gentes, nempe apud Aſſyrios, Perſas, Græcos, Romanos; & eſt adhuc hodiè in Turcia, Æthiopia & aliis gentibus.*

De Turcia quidem expreſsè Bodin. fatetur ſub initium dicti cap. 9. lib. 1. De republic. vbi inquit: *Nos feudum dicimus, Turcæ* Timar, *& feudarios, ſiue Phaſallos, Timariotas.* Eſt autem *Timar* honorarius prædiorum fructus, à Græco, vt opinor, Τιμᾶν· queę vocabuli notatio propriam feudi naturam exprimere videtur, propterea, quod veteri iure feudum nihil aliud eſt, quàm fructus prædiorum à vectigalibus liber.

2 *Is qui feudum habet, ſiue Phaſallus, dominum ſummâ fide obſeruare & colere, eique periclitanti opem & omnia humanitatis officia præſtare tenetur, ac ſi domino fraudem fecerit, eiusq; dignitatem ſugillarit, aut perfidè eum eiurarit, aut etiam mendacium ei obiecerit, eo ipſo feudum amittit.*

Vide Bod. lib. 1. c. 7.

Eſt autem feudum vel ſimplex vel Ligium.

Simplex feudum eſt, in quo phaſallus domini dignitatem tueri, & pro eo arma capere tenetur; ſed tamen nec ſemper nec aduerſus omnes.

Feudum Ligium eſt, in quo phaſallus ſalutẽ ac dignitatem principis ſine cuiuſquam exceptione tueri tenetur.

Vide Bodin.cit.c.9.lib.1.De rep.

Et ſic quidem etiam de Beneficiariis: ſequuntur officiarii; qui ſunt vel ſuperiores etiam, vel inferiores.

Superiores ſunt, vel Honorarii, vel Reales, qui nempe ordinarium magiſtratum gerunt.

Honorarii ſunt illi, quib. princeps certo conſilio dedit titulum alicuius officii, cum interim onus magnum non habeāt, niſi quod ad honorem principis in publicis ſolennitatibus & actibus appareant; vt ſunt in imperio Romano dapifer, archipincerna, enſifer, Camerarius, ſiue cubicularius, &c.

Officii realis & ordinarii ſunt hi Canones generales:

1 *Officia & magiſtratus ipſe princeps contribuat, neq; iſtam prærogatiuam patiatur à quoquam ſibi vel eripi vel præcidi.*

Nam quia à magiſtratuum inferiorum electione magna pars ſalutis publicæ pendet, & tota ſecuritas principis; & quia hac ratione princeps ſibi præcipuas ſui regni perſonas obſtringit atque obnoxias reddit, ſi publica regni officia ipſis contribuat, idcircò ſollicitè princeps caueat, ne vllam partem huius ſui iuris alteri concedat; qua de re vide prudentes admonitiones apud Bodin. lib.1. c.10.

2 *Princeps ne vendat magiſtratus & munia ac officia precipua regni.*

Ea

Ea nempe quæ ad ſalutem regni proximè pertinent, venalia eſſe non debent; &, ſi vendantur munera reip. multi indigni ad eam admittentur, ipſa autem virtus quæ ſæpè pauper eſt, excludetur: quâ de re vide diſputantem Caſum lib. 2. cap. 9. vbi inter alia etiam hāc rationem allegat, quod plurimum de autoritate & dignitate principis decedat, ſi nonniſi propter pecuniam munera reip. diſtribuat.

3 *Princeps iura, priuilegia, dignitatem & autoritatem officiariorum regni ſtrictè tuebitur: nam vt princeps Dei imaginem, ita magiſtratus inferior principis imaginem ac perſonam repræſentat.*

4 *Diſcordias & ſimultates, quæ inter ſtatus regni ſiue magiſtratus inferiores oriuntur, princeps maturè tollat, ſententiarum autem diuerſitatem eſſe permittat; vtpote quæ temperamentum quoddā ſalutare affert in capiendis conſiliis publicis, & malè ſentientes ad meliorem ſententiam adducit.*

Vide de hoc præclaro Canone Toloſ. libr. 21. c. 8. Danæum libr. 3. cap. 5. Iun. lib. 5. quæſt. Politic. quæſt. 23. qui idem quæſt. 25. monſtrat principi media & remedia, quibus poſſit maturè ſimultates & diſcordias eas tollere, quæ ſuboriuntur inter ſtatus regni, ſiue magiſtratus inferiores.

5 *Rationes adminiſtrati muneris princeps ſæpè exigat à magiſtratibus inferioribus, & eorum delicta, quæ præſertim rempubl. tangunt, grauiter vlciſcatur.*

Conſiderandum nempe principi eſt illud præ-
„ clarum monitum Plinii in Panegyr. Peſſimè con-
„ ſulit reip. princeps, quando malignitate vel negli-
„ gentia delinquētibus magiſtratibus inferioribus
„ ipſe procurat impunitatem. Et ſanè, vt delictorũ, quæ in nauibus inter nauigandum committuntur, ſi ea ſaltem à nautis committantur, paruum eſt damnum; ſin gubernator aberrauerit & deliquerit communi calamitate omnes vectores inuoluit: Sic plebeiorum peccata non in reipublic. ſed in ipſorum ſolummodo damnum cedunt; at magiſtratuum peccata ad vniuerſos pertinent. Vnde & Solon plebeis tarda, magiſtratibus velocia conſtituit ſupplicia; quod exiſtimaret de plebeis quouis tempore poſſe ſumi pœnas, magiſtratuum verò peccata vllam moram non admittere; quia oppreſſa ſalute publica, qui pœnas repetat, nemo futurus ſit.

Porrò magiſtratus inferior eſt vel totius principatus, ſiue regni, vel certorum diſtrictuum.

Totius regni magiſtratum princeps pro prudentia ſua & circumſtantia locorum variè poteſt deſignare; vſitatè autem numerantur hæc munera reipublicæ; 1, Senatores ſupremi; 2, Senatores inferiores; 3. Cancellarius; 4, Mareſchallus regni; 5, Generalis dux exercituum; 6, Vicecancellarius.

Inferiores officiarii iterum ſunt vel magiſtratus, vel magiſtratuum adiutores.

Ma-

Magiſtratus ſunt vel maiorum locorum, vel minorum.

Maiorum locorum ſiue diſtrictuum magiſtratus ſunt Proprincipes, Præfecti, Capitanei.

Minorum locorum magiſtratus, eſt vel oppidanus, vel paganus.

Oppidanus eſt, cui princeps commiſit gubertionem vrbis, ſiue oppidi.

Paganus eſt, cui princeps commiſit gubernationem vici, pagi aut villæ.

Adiutores magiſtratuum ſunt vel Sacri, vel Scholaſtici, vel Politici.

Sacri adiutores & officiarii ſunt ii, quibus princeps in rebus ad religionem pertinentibus vtitur.

Scholaſtici ſunt ii, quibus princeps in iuuentute inſtituenda vtitur.

Politici ſunt Cõſiliarii, Secretarii, Aduocati, Procuratores, Scribæ.

Et ſic de prima ſpecie ſubditorum; nempe de perſonis publicis. Altera ſpecies ſubditorum ſequitur, quæ continet eas perſonas, quæ ex priuato viuunt, ſiue quæ nullum publicum munus habent.

Tales autem perſonæ ſunt vel integræ, vel miſerabiles.

Integræ perſonæ vocantur, quæ de ſuo viue-

re, & certo quodam acquirendi modo vitam tolerare poſſunt.

Eſt autem perſona integra, ſiue talis, quæ ſit in bono ſtatu poſita, vel ſuperior vel inferior.

Superior eſt tum Miles; tum Mercator.

Miles eſt ſubditus principis, qui priuatim victum quærit ex miniſteriis bellicis.

Et de hoc ſubdito agetur infra in doctrina de bello.

Mercator, eſt ſubditus, qui ex mercimoniis victitat, ſiue cuius modus acquirendi eſt Mercatura.

Mercatura vel in genere ſpectatur, & tanquam ſtata, vel in ſpecie, ſiue rara & ſolennis.

Mercatura ſtata, & in genere atq; abſolutè conſiderata, habet hos Canones:

1 *Circa mercaturam conſideranda ſunt iſta: 1, perſonæ, quæ mercari debeant; 2, merces quibus fit mercatio; 3, circumſtantia loci & temporis, quo fit negotiatio; & denique 4, forma & modus negotiationis.*

2 *Perſonæ quæ mercari debent, ſunt duplices, nẽpe tum inquilini, tum exteri.*

3 *Princeps ſeruet certam varietatem inter ſubditos, nec permittat quibuſuis promiſcuè negociari, ſed iubeat eſſe certum ſtatum, ſiue certum genus ſubdi-*

ſubditorum ſuorum, qui ex mercimoniis viuant, & tum ſeipſos, tum etiam ſtatum publicum ditent negociando.

2 *Magnates regni & nobiles ex profeſſo mercaturam ne exerceant, atq; adeo priuatorum lucra nõ impediant, vel intercipiant, & vitæ tolerandæ occaſionem illis præripiant: Si enim hoc fiat, fit confuſio ſtatus publici & priuati; atq; adeo ſubditorum eminentium & ſubditorum inferiorum.*

Vetus & anxia quæſtio eſt in polit. *Vtrum magnatibus & nobilibus permiſſum ſit negotiari.* Quidam .n. ſtatui Magnatũ & nobilium immoderatius fauentes ſentiunt permiſſam iis eſſe negociationem hoc argumento, quod magnates non debeant eſſe conditione deteriori, quam priuati homines; & afferunt quoque exempla 1. reip. Romanæ, in qua Equitibus mercatura non fuit vetita; 2, recentia exempla Hiſpanorum, Italorum, Anglorum. Contrà, alii non minora argumenta aut teſtimonia producunt. Et inter argumenta quidem illud eminet, quod in Can. adduximus; nempe diſtinctionem conſeruandam eſſe inter ſubditos principis, ita vt alii ſint Dignitarii & Beneficiarii, atque adeo tales, qui cum ſingulari honore in republica inſtar publicarum perſonarum viuunt; alii vero ſint priuati, qui Oeconomicum acquirendi genus ſectentur, atque adeo ex lucro & quæſtu vitam ducant. Ad quod argumentum reſpexiſſe videtur ſapientiſſ. Poloniæ Rex Sigiſmundus, quando nonnullis nobilibus petentibus ius negotiationum, reſpondit: *Oportet me in regno habere triplex*

genus hominum, nempe ruſticos qui agrum colant; Mercatores, qui neceßaria importent & exportent. Et denique nobiles, qui me & patriam defendant; quæ defenſio patriæ cum per ſe ardua ſit, & cum aucupio lucri ac quæſtus vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa pectora patriæ defendendæ nata mercatorum negociis implicari, aut ſi hoc cupiant, permittant mercatores in ſuum locum ſuccedere, & patriæ defendendæ curam ſuſcipere. Quod quidem cum facturi generoſi nobiles nunquam ſint; idcirco mercatoribus ſuum ſtatum permittant, & ſuum tueantur. Accedit autoritas & teſtimonium iuris ciu. in quo expreſsè prohibetur, ne nobilis mercaturam exerceat; *l. nobiliores 3. C. de commercio & mercatoribus.* item *l. milites, C. de re militari.* Vide latius de hac materia diſſerentem Bodin. lib. 3. cap. 8. Toloſan. lib. 4. cap. 7. num. 5. & ſeqq. Pro deciſione huius controuerſiæ hæ limitationes ordine obſeruentur: 1, quando dicitur nobiles non debere eſſe mercatores, non ita accipiendum eſt, quaſi nobilibus interdictus ſit cõtractus emptionis vel vendition. vtpote qui eſt iuris gentium. Et ſanè licet nobili ea quæ neceſſe habet ab aliis emere; licet etiam eidem vendere ea quæ in ipſius prædiis naſcuntur. 2, Licet nobili emere vt vendat per contractum negotiationis, vt ſic loquar, emergentis, e.c. ſi frumentum ſuum nobilis ad emporium deuehat, & in emporio pecuniam à mercatore non accipiat, ſed aliam aliquam mercem, vtique licet ei iſtam mercem iterum vendere; vt pecuniam conficere poſſit. Item, ſi alius nobilis nolit, e.g. frumentum ſuum ad emporiũ deuehere, ſed cupiat alteri nobili illud vendere,

vendere, vtique licitum eſt illud emere, vt poſtea vendat. Item, ſi vinum, boues & alia victualia nobilis aliquis peregrè emerit pro ſua familia, & fortè poſtea non omnibus quæ emit indigeat, licet aliis vendere. quæ, vt diximus, vocatur *negociatio emergens, ſiue extraordinaria.* 3, mercaturam ordinariam nobili exercere non licet, id eſt, talem quando aliquid à mercatoribus emitur vt iterum mercatur, vendatur, & vt ex hoc ſolo viuas. 4, Eſt etiam diſcernendum inter nobiles tales, qui virtute bellica atque adeò primariò dictâ nobilitate florent, & inter alios nobiles, qui hũc titulum alio aliquo modo acquiſiuerunt, quales ſunt multi nobiles in Italia, qui ſimul ſunt mercatores. Denique 5. diſcernendum etiam eſt inter mercaturã ſummariam, & ſplendidam, & inter mercaturam ſordidam, de qua diſtinctione monet Bodinus dicto cap. 8. d. lib. 3. Iuriſconſulti, inquit, plerique negotiationem rerum omnium affluẽtia copioſam nihil nobilitati derogare tradunt; id quidem fortaſſis in Italia, Britannia, & Luſitania locum habet, non item in Gallia, nec in Germania; illud tamẽ vbique verum eſt, quod Cicero ſcribit, ſordidos iudicari, qui mercantur à mercatoribus, & qui eodem loco ac momento, quo emerunt, vendunt; quamobrem prudenter illi quidem, qui non modo nobilitatem, verum etiam magiſtratus ac milites negociari vetant, ne mercaturæ ſpecie ſordibus ac rapinis aditus aperiantur. Nec ferendum eſt, vt qui per ſeſe non poteſt, ſeruorum ope ac miniſterio fraudem legi faciat.

5 *Perſonæ mercaturam exercentes ſint honeſtæ non vero infames, non exploratores, vel proditores, aut ciuium corruptores.*

Vide de hoc Can. cap. 24. Geneſ.

6 *Itinera, portus & commercia libera eſſe debent; & talia, quæ pateant etiam peregrinis, & infidelibus, atque adeo ipſis Turcis; vt nempe floreat mercatura; & quia ius commerciorum introductũ eſt, vt eſſent legitima media, quibus homines, etiam ex remotiſſimis locis vltro citroque communicarent neceſſaria vitæ præſidia, quorum vſum auferre hominibus nihil eſt aliud quam vitam ipſam adimere.*

Canon deſumptus eſt ex *l.5.ff.de iuſtit. & iure*, & *l.1 de contract. emption.* Vide latius Danæ. lib. 4. c. 2. & Antim. lib. 3. theor. 32.

7 *Quia magiſtratui incumbit cura, vt omnes ditionis partes diuitiis abundent, & ſint quam plurimæ domus opulentæ; ideo mercaturam in ſua ditione quam liberrimam & commodiſſimam permittere debet, cum præſertim commerciorum priuatio inter fatalem rerumpub. calamitatem enumeretur, & egeſtas ſubditorum inde ſequatur, quâ deinceps in caſu neceſſitatis ipſe princeps inuoluitur, vt neceſſaria regiminis & defenſionis ſubſidia habere non poſſit.*

8 *Quin & ſi nihil ex regno exportetur, nihilve importetur, neceße eſt in ſummas neceſſitates incidere non tantum agricolas, ſed nobiles etiam ipſos, qui ex ſuis fundis & prædiis viuunt.*

Vide totum cap. 26. Prophetæ Ezechiel. vbi inter calamitates & pœnas publicas numeratur

tur commerciorum priuatio. Vide etiam Antimach. loco iam dicto & Althuſium in Politicis cap. 27.

9 *Magiſtratus loca oportuna deſtinare debet, in quibus negotiatio exerceri poſſit, eaq; loca certis immunitatibus, libertatibus & priuilegiis ſingularibus munire, quò exteri alliciantur, vt libenter ſuas merces eò deuehant, aut etiam ibidem commorentur.*

10 *Nec tantum oportuna loca eſſe debent pro cõmerciis exercendis, ſed etiam certa, ne promiſcuè exteri vagentur per totam regionem.*

11 *Nec tantum certa loca ſint, ſed etiam diſtincta, nempe vt alio in loco hoc, in alio illud pro ratione oportunitatis ematur & vendatur, & vt inquilini occaſionem habeant per diuerſa genera commerciorum in diuerſis regni partibus aliquid acquirendi.*

12 *In emporiis magiſtratus curet eſſe fora, in quibus commodè merces poni & diſtrahi poſſint.*

13 *Tempus mercimoniorum exercendorum capiendum eſt ex natura mercium, & publico conſenſu peritorum mercatorum.*

14 *Mercium quoque, quæ in regnum importantur, aut ex eo euehuntur, curam & inſpectionem habere princeps curet, ne tales importentur, quæ regno & eius incolis obſint; neve ea exportentur, quibus ciues regni ad neceſſitatem ſuam indigent.*

15 *Forma & modus negotiationis certis legibus à magiſtratu deſcribendus & conſtituendus eſt, ita vt impoſtura & fraudes omnes prohibeantur.*

16 *Moneta etiam, menſuræ itẽ & pondera ea or-*

dinentur, quæ nec exteris, nec inquilinis fraudi eſſe poſſint.

17 *Et ſi ipſe magiſtratus tēpore neceſſitatis in vsū reip. monopolium certæ alicuius mercis, inprimis eius, quæ ad annonam pertinet, poſſit inſtituere: tamen quia hoc extraordinarium eſt, non propterea monopolium permitti debet priuatis.*

Eſt autem monopolium emendi, vendendi, permutādi à paucis, vel ab vno etiam vſurpatum, reliquis ciuibus pręreptum, quo precia augentur, cum nimio lucro negociantis, & reliquorum magno damno.

Duo autem docentur in hoc Canon. quorum prius eſt de diſcrimine inter monopolium publicum & extraordinariū, & monopoliū priuatū. Monopolium extraordin. & publicum vocamus, quando magiſtratus tempore neceſſitatis aliquid vendit ſuis ſubditis; quale quidem monopolium eſſe legitimum teſtatur exemplum Ioſephi, vendentis frumentum in Ægypto, Gen. 41, item Salom. 1. Reg. 9. & 10. qua de re vide diſputantem prolixius P. Martyrē ſupra cap. 9. 1. Reg. vbi probat quod magiſtratus ad ditandam rempubl. aut etiam ad ſuccurrendū neceſſitati publicæ poſſit ad tēpus certæ alicuius mercis monopoliū exercere, atq; adeo maris imperium ſibi vindicare. Alterum quod in hoc Can. proponitur, eſt de monopolio priuato.

18 *Monopolium illud priuatum eſt vel propriè dictum, tale nempe, quod ad mercatores pertinet, ſiue quod mercatores exercent; vel eſt dictum analogicè, nempe tale, quod exercent opifices, paciſcentes inter ſe, ne quis artifex illud opus, quod alter incœpit & abſoluere nequit, impleat.*

Monopolium non ſolum à mercatoribus, ſed etiam ab architectis aliiſq; opificib. & artificibus exerceri poſſe ex Menochio & aliis ICtis docet Althuſius cap. 27. Polit. vbi ſedecim ſpecies monopolii recenſet, quas ICti latius perſequuntur.

19 *Magiſtratus prouideat, ne vnus aut pauci omnia genera mercium ad ſe pertrahant; ſed vt quantum fieri poteſt, diuerſi mercatores diuerſis mercibus negotientur.*

Porrò Mercatura ſtata eſt vel ſummaria, vel minutior.

Summaria mercatura eſt, cum maioribus ſummis negociatio exercetur, nempe abſque paruis menſuris ponderum & vlnarum.

De hac Canon eſt: Quia ex ſummaria negotiatione omnis minuta mercatura pendet, & quia hac propriiſſimè dicta eſt negociatio, quæ publicum & priuatum ſtatum maximè ditat, ideò huius præcipuam curam gerere magiſtratus debet.

Minutior mercatura eſt, cum merces menſuris, ponderis aut alio paruæ menſuræ genere venduntur.

Et hæc iterum eſt vel liberalior, vel ſordidior.

Liberalior eſt, quæ verſatur circa merces precioſiores & mundiores; vt ſunt Oenopolæ, aromatarii, inſtitores rei ſericæ, panni, &c.

Sordidior mercatura eſt, quæ occupatur circa merces ſordidiores.

Tantum de mercatura ſtata: Mercatura ſolennis, ſiue Panegyrica, eſt negotiatio nundinarum, ſiue mercatuum publicorum.

De hac Canones ſunt:

1 *Magiſtratus per præcipuas vrbes & vicos etiam conſtituat nundinas & mercatus publicos, in commodum tum ſubditorum, tum exterorum.*

2 *Nundinas iſtas magiſtratus donet certis immunitatibus, libertatibus & priuilegiis, quo nempe reddantur ſolenniores & frequentiores.*

3 *Caueat diligenter magiſtratus ſecuritati publicæ, dum nempe magna multitudo hominum iſtuc confluit, & peregrinos, qui mercaturæ cauſſa ad nundinas veniunt, accuratè tueatur, furta, rapinas & omnis generis impoſturas, quantum fieri poteſt, auertat.*

Poſt mercatores ſequitur ordo artificum, de quo ſunt hi Canones:

1 *Artificum ac opificum ordinem tanquam qui magnorum commodorum in publ. ſtatu cauſa eſt, magiſtratus ſingulari cura foueat, & ſua illi iura ac priuilegia tum concedat, tum conſeruet.*

2 *Singulis artificiis & opificiis certa ſtatuta & leges præſcribi curet, quas ipſe ſuâ autoritate confirmet.*

Artifices [a] *ſunt vel liberaliores vel ſordidiores & inferiores.*

a *Non contemnendus eſt ordo artificum atque opificum: nam Germania quâ ratione præ Italia & aliis Europæ regionibus celebris facta eſt, & præcipuè clariſſima vrbs Noribergenſis, vnde in tanto flore tamdiu fuit, item Brunsvviga & maxima Italiæ ciuitas Mediolanum? nullis aliis mediis, quam*

quod

quod præſtantes omnis generis ſemper habuerint artifices atque opifices; quod etiam de Gallia verum eſt. Ita vt fruſtra poſt mercatorum curam, ſine artificum & opificum cura nequeat conſiſtere & florere reſp.

Liberaliores ſunt Typographi, pictores, ſculptores, aurifabri, &c.

Sordidiores & inferiores ſunt ſutores, alutarii, & qui circa tales materias verſantur, quib. corpus inquinatur.

Vide quæ in Oecon. ex Ariſt. docuimus de diſtinct. opificum & artificum.

Poſt opifices ſequuntur agricolæ, de quib. ſunt hi Canones:

1 *Cum ab agricolis omnes hominum ordines ſuſtententur, idcircò horum quoq; ſingularem curam magiſtratus gerat, eoſque ab iniuriis potentium defendat.*

2 *Et quia defectu educationis vrbanæ malitioſa ſolent eſſe agricolarum ingenia, idcircò peculiari regimine ad ipſorum mores & ingenia accommodato, princeps eos gubernari curet.*

Vide de regimine ruſticorum pulchrum opuſculum ante multos quidem annos ab autore anonymo ſcriptum, ſed nuper Moguntiæ de nouo editum, ante quinquennium.

Quartum gradum inter ſubditos tenent Cauponæ, atq; adeò illi qui hoſpitia, diuerſoria, & tabernas habent, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Magiſtratus curet, vt hoſpitia, diuerſoria & tabernæ, præſertim pro peregrinis, rectè & commodè inſtituantur.*

2 *Præſcribat hoſpitibus certum precium, & certum modum tractationis, ne illi qui hoſpitiis excipiuntur, immodicè exhauriantur & expilentur.*

3 *Ganeones, atq; adeò illos, qui luſtra & illicitas tabernas inſtituunt, atque adeò Lenones in rep. magiſtratus ne toleret.*

Penultimum gradum in rep. tenent vectores, vt ita loquamur, ſiue illi, qui ex eo viuunt, quod alios vehant. qui quidem ſunt vel aurigæ vel nautæ.

De aurigis Canon eſt: Quia aurigæ vel defectu educationis, vel quod in perpetuo motu ſint, plerumq; tortuoſa ingenia habent; idcircò magiſtratus curet ſtrictam eſſe eorum diſciplinam, & ſtatuat etiam certum quoddam ipſis precium, ne ii quos, aut quorum bona vehunt, nimis emungantur.

De nautis ſunt hi Canones:

Ludouicus Viues rectè dixit, Nautas eſſe feces maris, Aurigas v. feces terræ.

1 *Quia etiam nautæ ob educationem, ob conſortia, & ob id quod in ventis & fluctibus marinis continuò verſentur; mores habent incultiores & ferociores, & quia etiam in locis præſertim maritimis, magna eſt eorum copia; ita vt ad remp. vel iuuandam ſi benè regantur, vel turbandam ſi malè, plurimum poſſint; idcircò horum quoq; diſciplinam accuratam magiſtratus inſtituat.*

Quantum nautæ poſſint in locis maritimis, e-

uidenti

uidenti teſtimonio eſt reſp. Belgarum, præſertim Hollandorum & Zelandorum, quæ per ſolos penè nautas ante annos circiter 30. & aliquot in libertatem vindicata eſt, & adhuc hodiè formidabilis Hiſpaniarum regi manet propter nautarum multitudinem & peritiam.

2 *Magiſtratus nautis certum tempus conſtituat, quando debeant à nauigatione quieſcere, & quando eam iterum debeant ingredi.*

Hoc præceptum in vrbibus maritimis valde eſt neceſſarium propter temeritatem nautarum, qui intempeſtiuè nauigantes ſæpè magna damna non tantum ſibi, ſed etiam reip. attrahunt: idcircò Politici certos menſes præfinire ſolent, quib. nautis ſit permittendum nauigare; ſicut inter alios Vegetius lib. 4. inquit: *Ex die 3. Iduum Nouembr. vſq; ad diem 6. Martii maria clauduntur, nam lux minima, nox prolixa, nubium denſitas, aëris obſcuritas, ventorum, imbrium vel niuiū geminata ſæuitia, non ſolum claſſes à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat.* Vide de hac re Toloſ. in libro, cui titulus eſt, *Præludia optimi ICti*, libro 4. cap. 5. vbi ex iure etiam citat, quod Gratianus Imper. cenſuerit tutam nauigationem eſſe à Calendis April. vſq; ad Cal. Octobris. Quod Imperatoris iudicium etiam Hollandi [a] hodiè ſequuntur, qui publicis interdictis vetant, ne nautæ ante Calend. April. ſoluant.

[a] *Amſterlodami (ni fallor) hoc obſeruatur.*

Vltimum in rep. gradum tenent Mercenarii; vt ſunt baiuli & alii eiuſmodi operarii, de quib. Canon eſt:

Magiſtratus mercenariorum & baiulorum

certos ordines in rep. eſſe iubeat, iisq; precium ſtatuat, ne ii, qui operas conducunt, nimio ſumtu grauentur; quod quidem precium in operariis poteſt ſtatui diurnum, Tagelohn.

Et ſic de ſubditis integris: reſtant ſubditi, ſiue perſonæ miſerabiles, vt ſunt pauperes, ægri vel ſenio confecti; item orphani, viduæ, de quibus omnibus ſunt hi Canones:

1 *Magiſtratus diligentiſſimam curam miſerabilium & pauperum ſubditorum, qui nihil acquirere, & certum vitæ genus ſectari non poſſunt gerere debet.*

Idq; mandato diuino Deut. 10. 15. 24. & multis aliis locis. Sed & propter decus reip. neque enim maior eſt nota reip. malè cõſtitutæ, quam ſi multæ miſerabiles perſonæ in ea oberrent, & ſubſidia vitæ non inueniant; quæ res etiam maximam confuſionem in gubernatione parit.

2 *Magiſtratus prouideat de certis reditib. quibus perſonæ miſerabiles ordinariè poſſint ſuſtentari.*

3 *Faciat etiam certas leges & conſtitutiones eleemoſynarias.*

Gewiſſe Almoſen ordnung, quales in publicum ſcriptæ ſunt à Principibus & rebuſpub. benè conſtitutis, & inter quas præcipuè ſingulari pietate & prudentiâ eminet Electoralis Palatina, Churfürſtlicher Almoſen ordnung/ & deinde Amſterdamenſis, Noribergenſis, & Argentinenſis.

4 *Conſtituat magiſtratus certos curatores & præfectos redituum eleemoſynariorum: quin & certos diſpenſatores eleemoſynarum; & deniq; certum genus miniſtrorum & apparitorum publicorum, qui nihil aliud agant, quam vt ad mendicos attendant, eosq; liberè vagari non permittant.*

5 *Pauperes domeſticos, id eſt, tales, qui adhuc retinent aliquam Oeconomiam* (die Haußarmen) *magiſtratus notatos habeat, & alius etiam notet certis indiciis & ſignis, vt tantò commodius eorum egeſtati & neceſſitati ſuccurri poſſit.*

6 *Reliquos, qui Oeconomiam nullam habent, magiſtratus diuertere iubeat in certa domicilia, ſiue Xenodochia & Hoſpitalia, quibus domiciliis certas conſtitutiones & leges accuratè præſcribat; ita vt in illis ſit diſtinctio virorum, fœminarum, orphanorum, ſenum, ægrorum, decumbentium, & non decumbentium.*

Exemplò in hac re eſſe magiſtratui poſſunt duæ reſp. Amſterdam. & Argentinenſis; in quib. ſunt Hoſpitalia laudatiſſimè inſtituta.

7 *Mentis impotes & inſanos magiſtratus in rep. oberrare non ſinat; ſed certis ad eam rem deſtinatis domiciliis ſiue ergaſtulis includi.*

Vide de cura miſerabilium perſonarum, Tol. lib. 2. de præludiis iuris, c. 24. & Althuſ. in Polit. cap. 31.

CAP. XV.

De ſpeciali cura ſubditorum collectim conſideratorum.

HVc vſque ſubditos & eorum curam ſeparatim conſiderauimus; conſequens eſt, vt videamus ſubditos collectim ſpectatos, non tantum in certo vitæ ſtatu, vt præcedenti cap. fecimus, ſed in certa communione.

Subditorum communio eſt vel ex natura, vel ex inſtituto.

Communio ſubditorum quæ eſt ex natura, vocatur Familia.

Nomen *familiæ*, apud Latinos ambiguum eſt; interdum enim ſumitur pro cõmunione domeſtica, ſiue pro collectione omnium eorum, qui viuunt in vna domo & tecto ſub patrefamil. & ſic de familia egimus in Oeconom. Interdum vero ſumitur pro communione multorum hominum in vna rep. viuentium, & deſcendentium ab vno capite, ſiue communi origine, atq; adeò habentium eadem cognomina. in qua ſignificatione familia ad diſciplin. Polit. pertinet. Vide de hac diſtinct. Toloſ. lib. 1. de rep. c. 2.

Familia eſt vel primariò, vel ſecundariò dicta.

Familia primariò dicta eſt, in qua naturaliter omnia membra ab vno capite per generationis naturalis ſucceſſionem deſcenderunt, ita vt membra, ſiue gradus ſint vel ſuperiores, vel inferiores, vel collaterales: & hi iterum vel æquales vel inæquales.

De diſtinct. graduum in familia, latius agunt ICti in *arbore* quam vocant *conſanguinitatis*; hoc in lo-

in loco ſufficit generaliter iſtam eiuſdem familiæ membrorum diſtinctionem indigitaſſe. Poteſt etiam videri Althuſius in Pol.c.3.

Canones generales de familia ſunt:

1 *In qualibet familia certa quædam capita, tanquam principes iſtius familiæ & domus forent conſtituenda, ad quæ iuniores iſtius familiæ reſpicerent, & à quibus gubernarentur.*

Sic apud Hebræos fuerunt *Philarchi*, Principes nim. 12.familiarum,ſiue tribuum, quibus diſtinctus erat populus Iudaicus,vt latè explicat Sigonius lib.7.De rep. Iudaica, c.5. & prout etiam iſtud inſtitutum laudatur in iure ciu. *tit. C. de emendat.propinquorum.* Et in Scotia [a] hodie adhuc capita & veluti principes familiarum nobilium & illuſtrium eſſe dicuntur.

[a] *Laudabile hoc inſtitutum eſt in Scotia, & à Deo approbatum, & vtile etiam reip.nam ſic minori cura princeps regere eos poteſt, qui ſeipſos regunt & conformant ad auiti ſtemmatis Seniorem.*

2 *Si familia aliqua valdè ſit propagata, ſic vt in ſubfamilias quaſdam diſtingui poſſit, iam* gens † *dicitur, vnde in vna gente plura erant capita, quæ proprias velut ſubfamilias ducebant.*

† *Sic in Scotia* gens *adhuc illuſtris eſt* Morauiorum; *quæ ex vna familia in totam gentem creuit.*

Sic Romæ erat Gens Fabiorum, * nempe cum valdè propagata eſſet illa familia, vt iam in familias & claſſes certas ob multitudinem foret diſtinguenda.

* *Lentulorũ familia etiã ingens quidẽ fuit, ſed tamen non ita, vt alias familias ſub ſe contineret.*

3 *Cum Deus & natura eadem dona, inclinationes & virtutes* [b] *natiuas vni familiæ ſoleat communicare, & q. hereditarias facere, idcircò inter homines eiuſdem familiæ certa iura ſunt naturalia,*

in rebus vel perſonis cognata, cognatoq; competentia, iura nempe amoris & ſtorgarum peculiarium erga membra eiusdem familiæ, ius item procurationis commodorum, mutui auxilii, defenſionis, honoris ac laudis ad familiam pertinentis, ad quæ omnia à Deo & natura obligantur illi, qui eiusdem familiæ communionem habent.

b *Non ſatis eſt gloriari ſeſe natum eſſe ex hac aut illa familia; ſed hoc etiam requiritur, vt ſis magis propenſus in illā familiam ex qua natus es quam in aliam; vtq; tuā familiam ab iniuriis defendas & dedecore vindices, non ipſe ingratus ignominiæ maculam illi aſpergas.*

4 *Habent etiam eiusdem familiæ* [c] *membra communionem iurium ac priuilegiorum ſpecialiū, quæ priuilegia per virtutem ac merita acquiſita ſunt.*

Apud Rom. tam arcta erat familiarum cōmunio, vt etiam ſacra communia haberent, ac monumenta & ſepulturas communes. Vide Sigon. de antiq. iure Rom. lib. 1. c. 8. & Tiraquell. in tractat. de nobilit. c. 15. & 16.

c *Certæ quædam familiæ certos quoſdam Deos fictitios coluerunt, Flaminem etiam certum aluerunt, qui leges ſacrificiorum præſcriberet ac iuxta eas ſua inſtitueret: vt etiam hodiè adhuc iſte mos obtinet à Pontificiis inuentus, vt certæ familiæ ſua habeant in templis ſacella & altaria, quæ collapſa etiam ab iſta familia inſtaurantur; ſed vtinam hoc in ſtudioſos impenderetur.*

5 *In familia etiam vigere debet vſurpatio eiusdem nominis gentilitii; nec ferat magiſtratus vt cognomina temerè mutentur.*

Huc ergò pertinet locus de nominum impoſitione & mutatione; de quo orationem ſcripſit Maioragius.

6 *Eſt etiam inter eiusdem familiæ membra commu-*

communio certorum inſignium, ſi nempe ſit inſignis iſta familia.

Huc pertinet materia de Inſignibus, quę quidem ſunt vel Plebeiorum vel Nobilium; atq; adeò ſunt vel publica autoritate principis data, vel priuato arbitrio ſumpta. Et quæ autoritate principis data ſunt, talia eſſe debent, vt ab iis euidenti aliqua nota diſtinguantur, quæ vel ab inferiore aliquo collata ſunt, vel noſtro etiam arbitrio ſumpta.

7 *Fœmina tranſit ex ea familia, ex qua nata eſt, in familiam ſui mariti.*

l. 195. & ſeqq. de verborum ſignificatione.

Porrò familia eſt vel plebeia, vel Nobilis.

Plebeia familia eſt, quæ inferiorem gradum in rep. obtinet.

Nobilis familia iterum eſt vel vniuerſalior, vel particularior.

Nobilis familia vniuerſalior eſt, quæ nobilitatem magis latam & vniuerſaliorem obtinet.

Talis nobilitatis certi quidam gradus conſtituuntur, ita vt quædam ſit clara, quædam præclara, quædam inclyta, quædam generoſa, illuſtris, regia, imperatoria.

Vide Toloſ. lib. 4. c. 2. vbi agit de gradibus nobilitatis. Vide etiam Zwinger. in theat. vitæ human. volum. 28. lib. 2. vbi deſcribit varios gradus nobilium, & oſtendit quinam nobiles dicantur Anglis, Hiſpanis, Neapol. Venetis, Romanis, &c.

Canon de nobilitate eſt:

Nobilitas etſi gradus ſuos habeat, quos diximus; tamen vſitatè & ſtrictè nobiles *hodiè dicuntur, qui ſunt infra gradum illuſtrium, & æſtimatur hæc nobilitas ex eo;* 1, *quod familia aliqua non ſit ex colluuie & confuſione alterius gentis, ſed pura & impermixta;* 2, *quod habeat ſuos agros, prædia & bona certa;* 3, *ex eo quod ſit antiqua; & deniq; quod ſit multis præclaris viris & de rep. bene meritis inſignis.*

Vide Toloſ. iam d. loco, Danæum lib. 2. c. 6. Tiraquellum de nobil. c. 19.

Particularior nobilitas eſt familia in certa vrbe inſignis, quam familiam hodiè vſitatè Patriciam *dicimus.*

Sic de familia primariò dicta: Secundariò dicta familia eſt vel reſpectu affinium; vel reſpectu adoptiuorum.

Familia reſpectu affinium eſt, in quam annumerantur etiam affines, ſiue cognati tum mariti, tum vxoris.

Familia ſecundariò dicta reſpectu adoptiuorum eſt, in qua ſunt adoptati homines diuerſæ familiæ.

Pertinet ergò huc locus Polit. de adoptatione in alias familias.

Sic de communione naturali: ſequitur Communio magis ciuilis, id eſt, quæ magis ſit ex inſtituto ciuili.

Non negamus etiam communiones & ſocie-

tates

tates pagorum, vrbium, prouinciarum eſſe naturales; id .n. ab initio Politicorum præceptorum docuimus: verum in hac diſtinctione non ſpectamus originem, ſed modum iſtum conſociationis, qui eſt ciuilis, atq; ex hominum cõſenſu & inſtituto; vnde Bodin.lib.1. c.6. dicit hanc ſocietatem ciuilẽ ab altera illa naturali in eo differre, quod vt voluntate hominum conſtituta eſt, ita quoq; eorundem voluntate ſit diuidua.

Communio ciuilis eſt vel particularior, vel vniuerſalior.

Particular. ciuilis ſocietas eſt, in qua homines ii tantum conſociantur, qui ſunt eiuſdem planè ſtatus, & eiuſdem vitæ generis ac profeſſionis, quæ communio dicitur Collegium, *item* Cœtus, Conuentus, Synagoga, Sodalitas.

Eiuſmodi ſodalitas dicitur etiam Tribus: *verum tribus eſt ſpecialis communio inter opifices.*

Canones de Collegio in genere ſunt hi:

1 *Tres ad minimum conſtituunt collegium, non pauciores.*

2 *Det operam princeps, ne qua ſint collegia, niſi ſuo conſenſu ac ſcitu conſtituta, & diligenter auertat ac ſeuere prohibeat omnes coitiones & conuenticula clandeſtina.*

3 *Princeps non permittat vllum collegium à ſubditis inſtitui, cui ipſe non præſit ſuâ autoritate per perſonam aliquam a ſeipſo delegatam.*

Ad Monarchiam pertinet hoc præceptum: nã in ea adhuc verſamur; neq; eſt vlla res magis aduerſa perfecto, id eſt, monarchico imperio, quã ſi ſubditis licet collegia & conuentus agere ſuo

magis, quam principis nutu. Nec eſt vlla res quæ magis Democraticum & Ariſtocrat. ſtatum confirmet, quam eiuſmodi collegiorum cogendorũ libertas; qualem quidem in regno Poloniæ conſtitutam eſſe, id v. arguit ſapientiam eorum, qui Ariſtocraticum & Democraticum ſtatum cum Monarchico temperare voluerunt. Neq; facilè aliquid ſimile inuenias in vllo alio regno Europæo; ſimile, inquam, quoad poteſtatem & libertatem collegiorum nobilium.

4 *Ex collegis qui eſt ſuperior, dicitur* Princeps collegii, *ſiue* Primicerius: *reliqui ordine Secundocerii; 3. Cerii.*

Vide tit. C. de Primicer. & Secundocer.

5 *Qui habet ius & poteſtatem nominandi & confirmandi Primicerium collegii, penes eundem etiam eſt totius collegii conſtitutio & autoritas.*

Quod intelligentes optimates, in rebuſp. ipſi confirmant Primicerios, der zünfften Elter leut.

6 *Inter collegas eſt communicatio vel rerum, vel operarum, vel iuris, vel beneuolentiæ.*

7 *Communicatio iuris inter collegas certis pactis & legibus exprimi & confirmari debet, ac referri in certas tabulas, ſiue libros, qui vocantur* die Zunfftbücher.

Collegium porrò eſt vel ſuperiorum, vel inferiorum.

Collegium ſuperiorum, eſt conuentus perſonarum publicarum, nempe vel Eccleſiaſticarum vel Politicarum in cauſſa ad communem reip. ſalutem pertinente.

Collegium inferius, eſt conuentus perſonarũ

inferio

inferiorum, ſiue priuatarum, vtpote mercatorum, opificum, &c. quæ collegia etiam Tribus *ſiue* Sodalitates, *Germanis* Zünfft *peculiariter vocantur.*

Vide de hiſce ſodalitatib. & tribubus Toloſ. lib. 4. c. 1. 2. & ſeqq. Zwingerum vol. 18. Theat. lib. 2. vbi prolixè tractat de variis tribuum & ſodalitatum generibus.

Vtrumq; tam ſuperius quam inferius Collegium, eſt vel ordinarium vel extraordinarium.

Ordinarium Collegium eſt, cum ob cauſſas ordinarias ſtatis temporibus conuenitur.

Collegium extraordinariū eſt, quod ob cauſſas extraordinarias raris, & non ſtatis temporibus inſtituitur.

Sic de communione particulari: Communio vniuerſalior eſt collectio plurium diuerſi ſtatus hominum in vnum corpus & locum, in quo ſimul habitent.

Canones de hac communione ſunt:

1 *Communio iſta & collectio hominum diuerſi ſtatus indeterminatè & generaliter dicitur* Reſpublic. *item* ciuitas, *ſiue corpus ciuitatis, aut Principatus, q.d. collectio omnium ſubditorum & ciuium ſub vno principe.*

2 *Illi, qui huius communionis ſocii & participes ſunt, generaliſſimo vocabulo* Ciues *dicuntur; quibus opponūtur* Aduenæ *&* Peregrini, *ſiue* Extranei.

Bodinus libro 1. De repub. cap. 6. multa diſputat de definitione ciuis, & perſtringit defini-

tionem Ariſtotelis, cum tamen interim perpendendum ei fuerit ambigua, ſiue ea quæ habent latiſſimam ſignificationem vnâ definitione cõprehendi non poſſe, & eſſe tot ſpecies ciuium, quot ſunt formæ rerumpub. nec definiuiſſe Ariſtotelem ciuem in genere, ſed in ſpecie, ciuem, in tali reip. forma viuentem, qualis fuit Athenis. Itaque tractatio de Ciue in Polit. vno in loco tota fieri non poteſt, ſed toties de diuerſo ciue docendum eſt, quoties de diuerſa reipub. forma agitur.

3 *Omnibus vnius communionis ciuibus iuris & commodorum communicatio conuenit, ita vt habeant poteſtatem vtendi fruendi vtilib. & neceſſariis iſtius conſortii bonis, nempe publicis; quæ bona publica vocantur etiam* Bona repoſita vniuerſitatum.

Porrò communio illa vniuerſalior, ſiue Vniuerſitas, eſt vel minor vel maior.

Minor eſt vel Ruſtica vel Vrbana, ſiue Oppidana.

Vniuerſitas ruſtica, eſt in vicis & pagis.

Non agitur hîc de vico & pago, quatenus eſt generale obiectũ doctrinæ Polit. ſic. n. ſuprà egimus; nec quatenus conſiderantur ædificia ruſtica & pagana: ſic enim de pago & vico infra monebitur in doctrina, de cura principis circa ædificia ſubditorum; ſed agitur hîc de vicis, pagis, atque adeò oppidis & vrbibus, quatenus ad curam principis in ſpecie pertinet iſta ſubditorum diſtinctio per certas communiones.

Canones de cura principis circa communionem paganam, ſunt hi:

1 *Princeps vicorum & pagorum communiones conſtituat locis commodis, fertilibus & oportunis.*

2 *Curet etiam vt ditio eius vndiq; plena ſit communionibus ruſticis & paganis, non ſolum propter commoditatem iter facientium, ſed etiam propter terræ culturam; quo enim plures ſunt vici & pagi in regno, eo etiam plura loca inculta excoluntur, & quæ per ſe fertilia ſunt & culta, cultiora fiunt; ſiquidem quilibet ruſticus id agit, & in eo laborat, vt ex certa aliqua agri & fundi parte viuere poſſit.*

3 *Pagi diſtribuendi ſunt in certos ordines, & ſingulis pagorum ordinibus præficiendi ſinguli præfecti: ſed & in ſingulis pagis conſtituendi ſinguli veluti Prætores.*

4 *Ciuis ruſticus, etſi à ciue vrbano diſtinctus eſſe debeat, tamen & ſua iura ac commoda habere debet.*

Vide de diſtinctione ciuis ruſtici, municipalis & Vrbani, Bodin.d.c.6.lib.1.

Pagus eſt vel humilior vel dignior.

Vilior & humilior pagus eſt communio ruſtica, aliam communionem ruſticam reſpiciens.

Dignior pagus eſt, ad quem alii vici & pagi reſpiciunt in certo aliquod tractu, vnde & Metrocomia *dicitur.*

Communio oppidana, ſiue vrbana eſt eorum, qui loco digniori habitant & maioribus

communionib. ac priuilegiis gaudent; quæ quidem communio in ſpecie ciuitas *vocari ſolet.*

Vrbs, vt vult Iuriſconſ.*l.139.de verborum ſignif.* dicitur ab *vrbo*, ſiue *vruo*; vrbum autem ſiue vruum eſt curuatura aratri, quia antiqui vrbis locũ deſignaturi, aratrum in campo circumducebant, & terram ſulcabant, vt hac notâ agnoſci poſſet, quantum vrbis ſpacium eſſet futurum. Alii vero *vrbem* qui *orbem* dici volunt; quia aratrum in orbem eſſet circumductum.

Circa communionem vrbanam, ſiue oppidanam tria iſta ſunt conſideranda: 1, *locus, in quo conſtituitur communio;* 2, *membra iſtius communionis;* & 3, *requiſita ac iura communionis vrbanæ.*

De loco communionis vrbanæ ſunt hi Canones:

1 *Locus, in quo communio vrbana inſtituitur, talis deſignetur, qui perpetuus eſſe poſſit, ne ſit neceſſe vrbes de loco in locum transferre.*

2 *Vt autem poſſit eſſe perpetua vrbs in aliquo loco, dabit operam vrbis conditor, vt hic locus ſit ſalubris & commodus: addo etiam fertilis, ſi vrbs ſit mediterranea, & talis quæ non poſſit viuere ex negotiatione frequentiori.*

Vide Hippolyt. à Coll. lib. de incremento vrb. cap. 2. Toloſan. libr. 2. cap. 3. Zwing. volum. 28. theat. tit. quatenus vrbes condantur aut transferantur. Vide etiam pulchram de ea re diſputationem apud Machiau. lib. 1. diſcurſ. de rep. c. 1. vbi quæ-

quæſtionem tractat, *num in vrbe condenda locus fertilis ſemper ſit ſterili præferendus.*

3 *Locus in quo vrbs conditur, ſpacioſus & amplus eſſe debet, ita vt amplificari ciuitas poſſit, & addi etiam poſſit ſuburbium, id eſt, continentia ædificia extra vel iuxta vrbem; item, pomerium, id eſt, ſpacium incultum intra vrbis muros.*

De ſuburbio & pomerio vide *l.2. de verborum ſignif.* Toloſ. lib.2.c.4.

Ciuitatis membra dicuntur ciues, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps ciues ſingularum ciuitatum notatos ac diſtinctos habeat, eorumque certos ordines conſtituat.*

2 *Ciuium coniuges & liberi eatenus pro ciuibus etiam habentur, quatenus familia cum patrefamil. vnum corpus conſtituit.*

Porrò ciuis eſt vel proprie dictus, vel ſecundum analogiam.

Ciuis propriè dictus, iterum vel eſt plenus, vel ex parte.

Plenus ciuis eſt, qui habet plenum & totum ius ciuitatis.

Ius ciuitatis eſt poteſtas vtendi fruendi omnibus commodis & priuilegiis ac libertatibus ciuitatis.

Ciuis plenus Athenienſis, vt ante monuimus, dicebatur is, qui publicorum iudiciorum, conſiliorum & magiſtratuum in ciuitate gerendorum

cum reliquis poteſtatem parem & æqualem habebat. Plenus ciuis Romanus erat liber homo, qui in ciuitate Rom. domicilium, cenſum, tribũ & publicorum gerẽdorum poteſtatem habebat, ita vt tria ciuem Romanum facerent; 1, domicilii largitio; 2, in tribum deſcriptio; & 3, honorum petitio. Sed iſta Democraticum ſtatum magis ſpectant; nos hîc de ciue loquimur abſolute conſiderato, & quatenus eſt ſubditus ſtatus Monarchici.

Plenus ciuis iterum eſt vel originarius, vel aſſumptus.

Originarius ciuis eſt, qui iure natiuitatis ſuæ ciuis eſt, ſiue qui patre, vel auo ciue natus eſt; vnde & naturalis ciuis *dicitur.*

Aſſumptus ciuis eſt, qui conſenſu & ſuffragio magiſtratus ius ciuitatis adeptus eſt, cũ alibi natus ſit; vnde & voluntarius ciuis *dicitur, quod ſcil. aſſumptus ſit in ius ciuitatis, propterea quod cupiat in ea conſtituere domicilium, id eſt, vitæ habitationisq; tabernaculum & locum rerum ſuarum & fortunarum, in quo perpetuo maneat, & vnde non ſit diſceſſurus, niſi neceſſariis cauſis auocatus, & deniq; vnde cum eſt profectus, peregrinari dicitur.*

Sic definitur domicilium *l. 7. C. de incolatu.*

Canon de aſſumpto ciue eſt:

Quia ciuis publici boni cauſa ius ciuitatis adipiſcitur, & quia æquum eſt id in ciuitatis commoda conuerti, quod in ea eſt acquiſitum; ideo magiſtra-

tus non facile ius ciuitatis det iis, qui cum aliquid acquiſiuerunt inde ſint diſceſſuri, & bona ſua inibi acquiſita, aliô translaturi; aut ſi diſcedere omninò velint aut cogantur, iubeantur certam, eamque bonam poſſeſſionum ſuarum partem ciuitati relinquere.

Ex parte ciuis eſt, qui vel in ciuitate habitans ſaltem partiale ius ciuitatis habet, vel alibi habitans, cum ciuitate confœderatus eſt, ita vt ciuis ex parte ſit vel inquilinus, vel extraneus.

Ciuis ex parte inquilinus eſt, qui ſaltem vno aliquo pleni ciuis iure, non autem omnibus iuribus in ciuitate vti poteſt.

Apud nos plenum ius ciuit. vocatur das groſſe burgerrecht. Partiale autem ius ciuitatis dicitur, das kleine burgerrecht.

Ciuis partialis extraneus, ſiue confœderatus eſt, qui ius ciuitatis habet, etiamſi in ea non habitet.

Sic Geneuenſes ſunt ciues Bernates, & contra Bernates ſunt ciues Geneuenſes. Eodem modo qui Torunii habitant, ius aliquod ciuitatis Dantiſci habent, item qui Elbingæ, & contra Dantiſcani, ius quoddam ciuitatis Elbingæ & Torunii habent.

Ciuis per analogiam dictus, eſt vel honorarius, vel inquilinus.

Honorarius ciuis eſt, cui ius ciuitatis honoris ergô tributum eſt; qui tamen non ideo tenetur

vllo imperio aut neceſſario munere vel onere.

Sic Heluetii ius ciuitatis dederunt regi Galliæ,& eidem regi Veneti dederunt ius ciuitatis & patriciatus. Sic hodiè multi gerunt titulum ciuium Romanorum. Vide de Honorariis ciuib. Bodin.l.1. cap. 6. Addunt Politici, & inter hos Althuſius cap. 5. aliud quoddam genus, quod vocant *ciuem forenſem*, cum nempe aliquis ciuis per aliquod tempus in ciuitate degit.e.g. tempore nundinarum. Sed vel ad ſequentem ſpeciem ciuis forenſis referri debet, vel planè etiam ciuis non dici; cum diſtinguere oporteat inter ciuem & extraneum, qui hoſpitium in vrbe ſaltem habet.

Ciuis per analogiam inquilinus dicitur, qui in ciuitate habitat negociorum ſuorum cauſa, ita tamen, vt præter ius ibi habitandi & commorandi nihil aliud obtineat.

Et hic iterum vel liberior eſt vel aſtrictior.

Liberior eſt perſona nobilis, ſtudioſus, miles, qui vel animi tantum cauſa, vel ſtudiorum, vel loci videndi gratia, vel etiam aliis de cauſis habitant apud alium ciuem.

Aſtrictior inquilinus eſt, qui vel negotiationis cauſa, vel etiam opificii aut alterius miniſterii, quod ciui præſtat, titulo vrbem incolit.

Multi enim ſunt qui longo tempore ciuitatem incoluerunt, vel quod iſte locus præ aliis il-

lis arrideat, vel quod ſtudiis operam ibi nauent; vel quod ſint Curatores, ſiue, vt loquimur, *Factores mercatorum*, alibi habitantium, vel vt operam ſuam locent opificibus; vel denique, qui ciuibus quomodocunque inſeruiunt, ita tamen vt ius nõ habeant proprii foci, kõnnen kein eigen fewwer vnd rauch halten.

Et ſic etiam de membris ciuitatis: ſequuntur Canones de ciuitatum requiſitis & iuribus.

1 ***Princeps inprimis amet ciuitates*** [a] ***tanquam totius regni excultrices, iuſtitiæ aptiores executrices, diuitiarum officinas & tempore bellorum aſyla ac refugia.***

[a] *Ciuitas eſt* 1, *regni excultrix, quia in ea omnis generis artifices & opifices habitant.* 2, *Iuſtitiæ aptior executrix; quia petulantes in ea melius poſſunt coerceri, quam in pagis & cãpis apertis, vbi facile fuga ſibi conſulunt ſcelerati.* 3, *diuitiarum officina, quia homines mercatores in eam confluunt & ibi habitant.* 4, *aſylũ tempore neceſſitatis; quia tutius ibi poſſunt deliteſcere quam in pagis, vbi impetus hoſtium facilius timẽtur.*

Hoc vult Canon, principem tanquam ſui principatus neruum & fundamentum, ciuitates amare ac complecti debere, ob 4. cauſas, breuiter ibi dictas; quas quidem ex hiſtoriis confirmare non foret difficile, ſed ſufficiat nobis nunc manifeſta illa experientia, quod ea regna Europæ ſint florentia & exculta, maximè in quibus vrbes & ciuitates à regibus & principibus amãtur, & ad florem atque incrementum promouentur. Contra verò ea regna, in quibus ciuitates premuntur, ad plenariam culturam peruenire non poſſint. Hinc ſapientiſſimi quiq; principes vrbes ſemper amarunt & ornarunt, prout inter alios libet

hoc loco allegare Sigiſmundũ I. Poloniæ regem, qui eo ipſo regno maximè Poloniæ excolendo præclarã operam nauauit, dum vrbes in eo regno excoluit & ornauit, prout Herbort. memorabiliter annotat lib. 20. c. 9. Cicero in Somnio Scipionis: *Nihil eſt illi Principi, Deo, qui omnem hunc mũdum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum iure ſociati, qui, ciuitates appellantur.*

2 *Princeps donet vrbes ſecuritate, libertatibus & priuilegiis; vtpote quæ ciuitatem amplam, celebrem & florentem reddunt.*

Lege Bod. lib. 1. c. 6. Zwing. vol. 28. theatri tit. de polit. forma.

Porrò ciuitas eſt vel metropolis, vel pendens à metropoli.

Metropolis eſt ciuitas primaria, ad quam aliæ inferiores reſpiciunt velut ad matrem. vnde & nomen apud Græcos obtinuit.

Dicitur enim Metropolis à μήτηρ, & πόλις, q. d. mater inter vrbes reliquas,

Canones de Metropoli ſunt:

1 *Ex Metropoli olim coloniæ ducebantur, ita vt reliquæ vrbes ex hac velut ex matre prodirent. Sed hodie etiam* Metropolis *dicitur, quamuis nullæ ex ea coloniæ ductæ ſint.*

2 *Metropolin reliquæ vrbes reſpicere debent, tãquam matrem & exemplum virtutum ac fontem commoditatum ſuarum, atque adeo talem, à qua conſilium in rebus grauibus petendum ſit. Idcirco metropolis debet omni genere virtutum aliis vrbibus præ-*

prælucere, atque adeo omni genere commoditatum, & virtutum præ aliis eſſe inſtructa.

3 *Metropolis talis eſſe debet, vt reliquæ vrbes ad eam tempore neceſſitatis, tanquam ad receptum cōfugere poſſint, atque adeo vt ab ea etiam queant defendi, idcircò & inprimis munita metropolis eſſe debet.*

Vide de metropoli, & eius requiſitis ac prærogatiuis Toloſan. lib.2.cap.1:P. Martyrem ſuper 1. cap.Iud. & Althuſ.cap.5.Politic. Danæum lib.4. cap.2.vbi etiam monet de munienda metropoli, de qua re diſputat etiam Machiau.lib.de principe,cap.2.vbi probat principem ad minimum vnā vrbem in ſuo regno accuratè munitam habere debere.

Porrò metropolis vel ſimpliciter conſideratur, prout nempe inter vrbes eminet, vel conſideratur ratione principis in ea habitantis.

Metropolis ſimpliciter ſpectata, fuit ea, de qua iam egimus.

Metropol. conſiderata reſpectu principis, dicitur Regia, *in qua ſiue Rex, ſiue princeps ſibi habitationem & domicilium vel ſemper, vel plerumq; delegit.*

De regia vide libr.1. Reg.cap.7.& ibid.P. Martyr.

Canones de regia Principis ſunt:

1 *Princeps accurato delectu ſeligat ſibi locum habitationis ſuæ, nempe ſalubrem, commodum, naturaque & arte munitum.*

2 *Regia ſit in medio regni, ſiue principatus, vt*

ſubditi ex omnibus partibus regni ſine magno grauamine ad eam poſſint commeare.

3 *Regia accuratè gubernetur, & diſciplinam habeat præ aliis vrbibus maximè ſtrictam, & ſit ſubditis ex omnibus regni partibus eô venientibus virtutis exemplum & inuitamentum.*

4 *Regia abundet viris in omni vitæ genere præclaris, & ſimul etiam rebus omnibus ad vitam neceſſariis; atque adeo eo loco ſit ſita, vt res omnis generis oportunè & facilè ad eam deuehi poſſint.*

Sic de Metropoli: Ciuitas pendens à metropoli, eſt quæuis alia ciuitas in principatu; quæ metropolin reſpicit, ſiue ſit maior, ſiue minor.

Sic de communione ſubditorum minore: maior communio ſubditorum eſt, ad quam iam plures pagi, oppida, & ciuitates reſpiciunt, ſiue quæ ea in ſe complectitur.

Canones de maiori communione ſubditorum, ſunt hi:

1 *Princeps ſuos pagos & vrbes accuratè diſtinguat per certos diſtrictus & prouincias.*

2 *Princeps diſtrictus ac prouincias habeat certis limitibus determinatas, & hos limites diligenter obſeruet, ne cum detrimento immutentur.*

3 *Curet etiam vt diſtrictus ac prouincias ſuas habeat continuatas, nō vero alterius cuiuſdam principis dominiis interruptas: hæc enim diſcontinuatio dominiorum & magnas parit confuſiones ac difficultates*

cultates in regimine, & periculoſa eſt tempore belli.

Duo memorabilia annotant Politici circa hoc axioma, quorum prius eſt, de rege Galliarum, cuius potentia idcirco magna eſt & formidabilis, quia regnum Galliæ nullo planè externo dominio eſt diſcontinuatum, ſed omnes eius partes arctè ſunt continuatæ, & quidem continuatæ in circulum, ita vt ab omnibus partibus extremis Galliæ ſubditi Lutetias, tanquam ad regiam facilè confluere poſſint neceſſitatis tempore, veluti lineæ à circumferentia ad centrum. Poſterius eſt de rege Hiſpaniarum, qui etſi immenſis opibus & theſauris cumulatus eſſe videatur, tamen potentiâ vix ſuperat regem Galliæ, & parum feliciter bella gerit etiam aduerſus anguſtas & paruas prouincias, vt Hollandiam; quia nempe eius dominia & prouinciæ ſunt nimis diſcontinuatæ & interruptæ, ita vt nec regi ſatis feliciter poſſint, nec ſibi mutua auxilia ferre quoties opus eſt.

Et hæc maior communio ſubditorum iterum eſt vel anguſtior vel latior.

Anguſtior eſt diſtrictus & præfectura, nempe Dynaſtia, Baronatus, Comitatus, ſub quo pauci tantum pagi & vrbes comprehenduntur.

Latior dicitur Prouincia, ſiue Ducatus, ſiue regnum, vt vſitatè dominia anguſtiora & latiora hodiè diſtinguuntur nominibus dignitatum.

CAPVT XVI.

De cura iuſtæ diſtributionis, ſiue iudicii in genere.

FVit cura prima & principalis prudentis directionis: ſequitur cura prima & principalis iuſtæ diſtributionis, ſiue iudicii; quo nempe iudicio tum præmia, tum pœnæ in repu. iuſtè diſtribuuntur.

Cura iudicii vel in genere ſpectatur, vel in ſpecie.

Cura iudicii in genere ſpectata, habet hunc Canonem:

Princeps non tantum prudens in dirigendo, ſed etiam iuſtus in iudicando eſſe debet, atq; idcircò facilis ad præſtandam ſubditis obedientiam, & audiendas eorum querelas ac petitiones, excipiendosque libellos ſupplices.

Vide de facili audientia prin. Caſtell. lib. 3. de offic. regum, p. 490.

Cura iudicii in genere ſpectati duas habet partes, nempe diſtributionem præmiorum, & diſtributionem pœnarum, in quibus duab. partibus fundamentum reipub. ſi non omne, ſaltem magnum conſiſtit.

Reſpublicæ enim duabus cauſis maximè conſtituuntur & conſeruantur; Prudentia & iuſtitia: de cura prudentiæ prima principali hucuſque à nobis pertractatum eſt; prudentiæ enim eſt dirigere

gere. Cura iuſtitiæ poſt hac nobis expendenda venit; Iuſtitiæ, inquam, diſtributiuæ, ſiue diſtribuentis præmia & pœnas. de qua maximus ille Politicus Solon ſapienter dixit, *duo eſſe fundamẽta rerumpub. præmia & pœnas.*

De diſtributione præmiorum Canones generales ſunt:

1 *Princeps ad præmia diſtribuenda ſit velocior quam ad irrogandas pœnas; nam ita & laudem ſibi & honorem conciliabit vberiorem, & virtutem in ſubditis ſuis tum excitabit, tum multiplicabit.*

2 *Princeps in præmiis diſtribuendis ſit iudicioſus & accuratus, ita vt circumſpectè animaduertat quinam ſint benè meriti de repub. eorumq; benemerita notet & expendat, debitisque præmiis remuneret.*

Vide de accurata cura principis, circa præmia benemeritis tribuenda, Bodin. lib. 5. c. 4.

Porrò præmium eſt vel ordinarium, vel extraordinarium.

Ordinarium præmium eſt, quod ordinariâ viâ datur.

Et hoc iterum eſt vel bonum Fortunæ, vel bonum honoris.

Præmium bonorum fortunæ eſt, cum princeps virtutes & benemerita ſubditorum compenſat opibus & poſſeſſionibus, nempe vel pecuniâ vel fundis.

De tali præmio Canon eſt:

Non temere princeps compenſet merita ex reipu. bonis, ſed vtatur hic magna diſcretione, ne propter priuatos reſpub. exhauriatur; neq; talia præmia det illis, qui ante opulenti ſunt, & de ſuis bonis viuere poſſunt; ſed tantum viris præclarè meritis eiuſmodi, qui vel bona propria nulla habent, vel ea coacti fuerunt in vſus reip. impendere.

Præmium boni honoris eſt, quando princeps virtutem & benemerita remunerat laudibus & dignitatibus ac honoribus publicis.

De tali præmio Canon generalis eſt:

Etſi in honoribus contribuendis facilior eſſe poſſit princeps, quam in dandis poſſeſſionibus & fundis; tamen hic quoque duas cautelas obſeruet: quarum prior eſt; ne honores & dignitates nimium communes faciendo trahat in contemptum; 2, ne nimis alte extollat ſuos ſubditos, neque nimios iis honores concedat, aut fortè datos matura interceptione, ſiue ademptione poteſtatis vſurpandæ vel etiam coercitione & diminutione paulatim minuat & detrahat vellicatim; quia periculoſum eſt ſubditi nomen ſupra vel iuxta principis nomen extolli.

Vide de hoc prudentiſſimo monito pol. Lipſ. lib. 4. c. 10. Toloſ. lib. 8. c. 4. lib. 22. cap. 9. & Althuſium, c. 20. polit.

Præmium honoris eſt vel ſuperius, vel inferius.

Inferius præmium honoris eſt, cum communes & inferiores honorum gradus ſubditis à principe conferuntur.

Superius

Superius honoris præmium eſt, cum ſuperiores gradus contribuuntur.

Præmium honoris ſuperioris iterum eſt vel eminentius, vel minus eminens.

Eminentius viciſſim, eſt vel vniuerſalius vel particularius.

Vniuerſalius eſt, cum tribuitur honor & nomen Ducis, Marchionis, Comitis, Baronis, Equitis aurati.

Particularius præmium honoris eſt, quod nonnulli principes in ſuo regno peculiariter & particulariter tribuunt, vt in Gallia eſt ordo S. Michaelis, *in Anglia eſt honor* ordinis aureę periſcelidos, *&c.*

Honor minus eminens iterum eſt vel ex virtute bellica primariò; vel ex doctrina & eruditione.

Honor præcipuè pertinens ad virtutem bellicam, eſt collatio nobilitatis & inſignium nobilium.

De collatione nobilitatis legatur Bodin. lib. 6. cap. 4.

Honor pertinens præcipuè ad doctrinam & eruditionem, eſt honor Doctoris & aliorum graduum, item creatio Poëtarum laureatorum.

Sic de præmiis ordinariis: ſequitur præmium

extraordinarium, quod vocatur Priuilegium; *ius nempe peculiariter & extra ordinem alicui conceſſum ob iuſtas & probabiles cauſas.*

Canon generalis de Priuilegiis eſt:

In extrema & ſumma reip. neceſſitate omnes immunitates & priuilegia ceſſant; quia propria & priuata commoda bonus ciuis non debet præferre publicæ vtilitati & neceſſitati reipublicæ.

Iuriſconſ. latius hunc Canon. tractant, qui quidem etſi etiam ſibi vendicent doctrinam de Priuilegiis, conſideraſſe tamen oportebat non primo id faciendum eſſe, ſed ita tantum, quatenus Iuriſprud. Politicæ ſubordinatur, vt in aliis, ita in hac etiam materia.

Priuilegium eſt vel reale, vel perſonale.

Perſonale priuilegium vocatur, quod tantũ comprehendit perſonam, cui eſt conceſſum, non vero ipſius familiam.

Reale priuilegium eſt, quod nõ tantum comprehendit perſonam cui eſt conceſſum, ſed etiam eius coniugem, liberos, hæredes alioſque coniunctos.

Vide Iuriſconſultos, & inter alios Menochiũ de arbitrariis iud. quæſt. caſu. 572.

Vtrumque tam perſonale quam reale priuilegium eſt, vel immunitas vel realis aliqua fruitio.

Immunitas eſt vacatio munerum, qua Municeps, id eſt, is qui munus præſtare tenebatur, à mune-

munere ſuſcipiendo & præſtando excuſatur & liberatur.

Canon de immunitate eſt:

Cauſſa immunitatis ciui alicui concedendæ ſint magnæ & iuſtæ; neq; etiam nimis latè immunitates extendantur, ne ita alii releuentur in rep. alii contrà opprimantur, & quorundam vacatio aliis ſit afflictio.

Immunitatis priuilegium datur vel ob dignitatem, vel ob occupationes reip. vel ob ſolam principis gratiam.

Immunitas ob dignitatem eſt, cum princeps alicui indulget immunitatem ob eminentiorem aliquem gradum honoris, quem eidem contribuit.

Vt cum in imperio Romano liberrimi Barones, quos vocant, die ſemper freyen / ob hanc ipſam dignitatem, immunitatem etiam conſequuntur.

Immunitas ob occupationem reipub. eſt, cum quis ob negotia publica immunitatem & excuſationem ab aliis oneribus conſequitur.

Et hæc immunitas iterum eſt vel ſuperiorum; vel inferiorum.

Immunitas ſuperiorum, eſt vel magiſtratuū, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, & ſcholaſticarum; vel deniq; militum benemeritorum & veteranorum.

Vide de immunitatibus perſonarum in magi-

ſtratu conſtitutarum, item perſonarum docentium in Eccleſiis & ſcholis, Toloſ.lib.3.c.6.&7. lib.18.c.7.P.Martyrem ſuper cap.19.Iud.Althuſ. c.12.Polit.Rebuffum de priuilegiis ſtudioſorum, item Horatium Lucium de priuilegiis ſcholarum. De immunitate militum vide Bocerum de iure belli, lib.1.c.19.

Immunitas inferiorum eſt, cum à quibuſdam muneribus excuſantur artifices ſiue opifices illi, quorum opera reip. aliquo tempore eſt valdè neceſſaria, vt ſunt frumentarii, nauicularii, apparitores, ruſtici.

Vide de talib.Renatum Choppinum in libro de priuileg.ruſticorum.

Immunitas ob ſolam gratiam eſt, cum princeps immunitatem alicui perſonæ indulget ex mero quodam beneplacito, & arbitrio gratioſo.

Priuilegium fruitionis eſt, cum certum aliquod beneficium in perſonam confertur, ita vt non tantum ſit immunis à muneribus publicis, ſed etiam fruatur certa aliqua re, ſiue certo aliquo commodo.

e.g. cum princeps alicui confert hoc beneficium extraordinarium, vt nulla vectigalia, nullas exactiones ſoluat.

Deniq; priuilegium conſideratur vel ſeparatim, vel collectim.

Priui-

Priuilegium ſeparatim conſideratum eſt, quod vni tantum perſonæ confertur.

Priuilegium collectim conſideratũ eſt, quod toti ſtatui, ſiue ordini confertur, vt priuilegia militum, priuilegia ſtudioſorum.

Et ſic de diſtributione præmiorum: ſequitur diſtributio pœnarum; de qua ſunt hi Canones generales:

1 *Tardus quidem ad pœnas princeps eſſe debet, ſed tamen cum iuſtitia ſic poſtulat, in iis exercendis ſit ſeuerus; quia in hac colluuie malorum vel habendus metus vel faciendus eſt: & vulgus metu coërcendum, quod a prauis non ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia & pœnas abſtinet: & denique, quia impunitatis ſpes maximam illecebram peccandi inducit.* Saluſtius.

Cic. 1. Off. *Adhibenda eſt reip. cauſſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas nulla poteſt.* Vide egregia monita de ſeueritate pœnarum apud Lipſium libr. 4. c. 9. vbi etiam iſta cauſſa adducitur; quod nimia lenitas pœnarum certiſſimum contemptum principis inducat. Quod v. in Canone dicimus, *promiſcuam hominum multitudinem non abſtinere à prauis ob turpitudinem vitiorum, ſed ob ſupplicia & pœnam*, id ſapienter monitum eſt ab Ariſt. 10. Eth. c. vlt.

2 *Exercendæ ſunt pœnæ tempeſtiuè, & cum intermiſſione, atque per interualla; ſubditorum enim mores magis corrigit parcitas animaduerſionum, quâ pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat.*

Præclara hæc monita ſunt Senec.lib. de clement.& Cic.pro Cluentio; quæ vide citata à Lipſio dicto loco.

3 *Obſeruentur etiam certi gradus ac genera pœnarum, ſicut certi gradus ac genera ſunt delictorum; nec delictorum tantum, ſed & eorum, in quos delicta committuntur: Obſeruetur & hoc: Creſcentibus delictis & numero peccantium, exaſperandas eſſe pœnas; ita tamen, ne de genere pœna in genus nimiâ ſeueritate tranſeatur.*

Huc pertinet illa diſputatio de pœna furti: *an nim. quia furta valdè creuerunt, & aucta eſt multitudo furantium, ita fuerit exaſperanda pœna furtorum, vt vel capitali ſupplicio in genere, vel in ſpecie ſupplicio ſuſpendii fures afficerĕtur.* De qua controuerſia IC[ti] conſulendi ſunt; neq; de talib. iudicari rectè poteſt, niſi ſingula furtorum genera, & variæ circumſtantiæ temporis, loci & perſonarum perpendantur, quod IC[ti] eſt, non Politici.

4 *Sine vllo reſpectu perſonarum pœnæ exercendæ ſunt, quando nempe perſonarum qualitas non pertinet ad modum delicti.*

Vide Patric. lib.6.de rep.tit.5.Toloſ.libro 20. cap.7.

Porrò vt præmium, ita & pœna eſt vel ordinaria, vel extraordinaria.

Ordinaria pœna eſt, quæ in ordinariis delictis ordinario modo exercetur.

Extraordinaria pœna eſt, quæ in extraordinariis

nariis delictis extraordinario modo adminiſtratur.

Et hæc etiam eſt vel ſeparatim ſpectata, vel collectim.

Separatim ſpectata eſt, qua certa quædam perſona ſeparatim punitur.

Collectim conſiderata eſt, qua integer ſtatus, ſiue ordo qui peccauit [a] ad pœnam trahitur.

[a] *Putauerunt homines, vt adhuc etiam putant, quod ſi omnes aut multi, aliquod capitale facinus committant, id propter multitudinem puniri non poſſe; quandoquidem plurium pœna ſuperet longè facinus aliquod capitale. Verum Romani huic vulgi opinioni inuenerunt cuneum, ita vt ſi totus exercitus contra Imperatorem, ſiue ducem aliquid molitus fuiſſet, ſorte decimus quiſq; ex militibus in ordine conſtitutis legeretur, & capite plecteretur, vt nempe ii, qui facinoris eiuſdem fuiſſent participes, etiam eiuſdem ſortis in pœna eſſent participes. Simile quid huic Romanorum decimationi contra vulgus rebelle habent Veneti.*

Qualis fuit apud Rom. decimatio militum. quando enim integer exercitus peccauerat, ſorte decimus quiſq; miles ad ſupplicium legebatur, quæ decimatio magnum fuit vinculum militaris diſciplinæ.

CAPVT XVII.

De iudicio forenſi.

Vidimus Iudicium abſolutè & generaliter: ſequuntur ſpecies iudicii: Eſt enim iudicium vel forenſe vel cenſorium.

Iudicium forenſe eſt iudicium primariò di-

ctum, quod ſolenniter exercetur & forenſi proceſſu.

In hoc iudicio hæc ordine conſideranda ſunt: 1, circumſtantia loci; 2, obiectum; 3, cauſſæ principales conſtituentes hoc iudicium; 4, cauſſæ inſtrumentales, ſiue adiuuantes; 5, modus, & deniq; 6, diſtinctio, ſiue diuiſio huius iudicii forēſis.

De circumſtantia loci ſunt hi Canones:

1 *Iudicia publicè habenda ſunt, quia ſic accidet autoritas reb. iudicatis, & 2, quia ſic qui ſimilia habent negotia, litem non mouere diſcunt, 3, quia iudices magis metuunt, ne corruptè iudicent.*

Vide de his cauſis Toloſan. lib. 2. c. 6. & lib. 11. cap. 18.

2 *Olim iudicia apud Iudæos ad portas exercebantur, hodiè locis à porta remotioribus, in quo quidem nihil eſt poſitum, modò certus ſit & determinatus locus, certa & determinata curia, ſiue forum iudiciale.*

De foro iudiciali vide eũd. Tol. d. lib. 2. c. 6. & 8.

Sequitur obiectum iudicii, ſiue Lis & Controuerſia, quæ eſt vel inter magiſtratũ & ſubditos, vel ſubditorum inter ſeſe.

De controuerſia inter magiſtratum & ſubditos ſunt hi Canones:

1 *Quia repugnat Monarchiæ magiſtratui litem moueri à ſubditis; ideò princeps omnibus modis tales controuerſias auertat; aut ſi ortæ fuerint, ne patiatur gliſcere diu aut creſcere.*

2 Si

2 *Si aliter fieri non poſſit, & omnino controuertendum ſit, deligat princeps pro autoritate ſua præcipuos ſui regni proceres, qui controuerſiam determinent, ſine præiudicio tamen abſoluti dominii: quandoquidem principis eſt iudicare, & non iudicari, ſicut eius regere eſt & non regi.*

Lis ſubditorum inter ſeſe eſt, quando controuerſia orta eſt inter ſubditos principis, de qua ſunt hi Canones:

1 *Indicium morboſæ reipubl. ſunt multæ lites & controuerſiæ ſubditorum; idcirco princeps remedia quærat, quibus multitudo litium & controuerſiarum aut impediri plane, & præuerti; aut minui poſſit.*

2 *Naturas contentioſas coerceat ipſe, ac grauiter animaduertat in eos, qui ex ſubditorum litibus quæſtum quærunt, atq; adeo qui lites ſerunt ac fouent inter ſubditos.*

3 *Priuatas controuerſiarum compoſitiones per arbitria bonorum virorum, per compromiſſarios, &c. princeps omnibus modis probet ac laudet, taliaque inſtituta inter ſubditos conſeruet; ſic enim ipſe minus negocii ac difficultatis in ſuo regimine habiturus eſt, & ſubditi minus exhaurientur impenſis in iudicium ſumptibus.*

4 *Si tamen controuerſia talis ſit, quæ publicum ſtatum ac pacem attineat, ne patiatur princeps eam priuatim componi.*

Cauſſæ, atque adeo etiam partes conſtituentes hoc iudicium ſunt 3, Iudex, Actor & Reus.

De Iudice ſunt hi Canones:

1 *Judicum multitudo reip. pernicioſa eſt; ſed interim vtilis & neceſſaria eſt iudicum diſtinctio ac diuerſi ordines, vt nempe alii ſint iudices rerum publicarum, alii priuatarum.*

Iudicum multitudinem reip. pernicioſam eſſe experientia teſtatur, ſi nempe multitudo iſta importet confuſionem; tunc enim iudicia longiora & perturbatiora erunt cum periculo & damno litigantium, vtpote quibus turbatius & tardius, nec niſi cum magno ſumptu ius redditur. Vide Antim. lib.3. theor.35. Dum a. prohibetur multitudo iudicum, non ſimul prohibetur eorum diſtinctio; quæ ſanè valdè eſt neceſſaria ob multitudinem controuerſiarum & varietatem litium; quam cōſiderantes Romani, varios & diſtinctos iudices conſtituerunt; quorum alii erant priuatarum rerum iudices, alii publicarum. Vide Tol. lib.4.c.5.

2 *Iudex ſit cum autoritate, & habeantur iudicia ſacroſancta, quæ vel inſolentioribus verbis vel factis etiam violare nefas ſit.*

3 *Iudex ſit peritus iuris tum generalis, tum ſpecialis, pertinentis ad illum locum in quo iudicat.*

4 *Iudex vt ſine vllo perſonarum reſpectu, tali nempe, qui ad qualitatem cauſſæ non pertinet, iudicare non debet: ita quoq; nec interceſſiones ſpectare, nec munera acceptare.*

5 *Iudex vtramq; partem audiat. atq; adeò rem omnem accuratè inquirat; acta & probata ſic normam ſuæ ſententiæ ac deciſionis faciat, vt tamen ipſe interim & iuſtitiæ & conſcientiæ ſuæ rationem ducat,*

ducat; ſique opus ſit, perſonam iudicis deponat ad tempus, & teſtis perſonam induat.

Varii Loci communes, vt videre eſt, concurrunt in his Cann. quos animus non eſt hoc loco fuſius tractare, cum præſertim IC^ti^ iſtam materiam penè totam ad ſe trahāt; vt & controuerſiā illam: *Vtrum Iudex iudicare debeat ſecundum acta & probata*, id eſt, eatenus, quatenus aliquid probatur; *an v. ſecundum conſcientiam*, ſiue quatenus aliquid non ſatis probatur, ſed ipſe tamen nouit ita ſe rem habere. Quam quæſtionem inter alios plenè tractat Hottoman. in eximio lib. cui titulus *quæſtionum illuſtrium*; Rem totam Canon breuiter determinat; nempe quod iudex, quatenus iudex, & quamdiu perſonam iudicis retinet, non aliter poſſit ac debeat iudicare, quam quatenus aliquid à parte litigantium probatur. Quatenus v. ad tempus, & in iſto actu perſonam iudicis deponit, & teſtis perſonam induit, eatenus quoq; ſecundum ſcientiam & conſcientiam ſuam, poſtquam nempe depoſitâ teſtis perſonâ iterum induit perſonam iudicis, ſecundum ſcientiam & conſcientiam ſuam iudicare poteſt.

Sic de Iudice: Actor eſt qui contra alium in iudicio agit, ſiue qui alium accuſat.

De hoc Canon eſt:

Princeps ne ferat temerarios actores ſiue temerè litigantes, ſed eos certis legibus coherceat.

Reus eſt contra quem agitur in iudicio, ſiue qui accuſatur.

De hoc Canon eſt.

Semper eſt fauorabilior perſona rei, quam accu-

ſatoris; ideò operam det princeps, ne Rei grauentur præiudiciis, vel ex perſona actoris, vel aliunde ſumptis.

Sequuntur cauſſæ iudiciorũ inſtrumentales, quæ ſunt vel digniores, vel viliores.

Digniores ſunt aduocati, ſiue patroni cauſſarum, procuratores, notarii & ſcribæ; de quibus omnibus ſunt hi Canones:

1 *Det operam princeps, ne pragmaticorum numerus in rep. nimis excreſcat, itaq; certum eorum numerum conſtituat, ne omnia litibus impleantur, & ne velut hirudines priuatorum opes exſugant.*

2 *Perſonas iudiciales, ſiue pragmaticas nullas eſſe permittat, niſi peritas iuris & legum.*

3 *Curet quoq; vt coram iudicio omnia honorificè & decorè agantur à pragmaticis.*

4 *Ars rabularia & rabulæ ipſi ex rep. vel tollũtor, vel compeſcuntor: hi enim conſcientias hominum peruertunt, & iudiciorum ſanctuatem in cautelas & techinas ac periuria commutant.*

Plato 1. De legibus magiſtratui inprimis hanc curam demandat, vt in Rabulas animaduertat, tanquam peſtilens hominũ genus, & quod ſub ſpecie iuris ac iudiciorum omnem honeſtatem poſſit euertere in rep. Et eſt ſanè boni magiſtratus, malis, quæ oriuntur ex abuſib. rabularũ maturè occurrere, ac fori neceſſitatem rectis legib. reformare, & abuſus emendare. Vide Gell. lib. 11. c. 18. Cælium Rhodig. lib. 28. c. 9. Toloſ. lib. 2. c. 6. Althuſ. c. 24.

5 *Quia abuſus iudiciorum ingens eſt in eo, quod*

d. laxo-

dilationibus & actis inutilibus litis deciſio prolongatur; ideò magiſtratus imperet pragmaticis, vt quam compendioſiſſimè omnia agant, ſine inanibus verborum ampullis.

Vide Toloſ.c.4.lib.8.

6 *Modus etiam impenſarum conſtituendus eſt iudicibus, aduocatis, procuratorib. & aliis perſonis iudicialibus; & expreſſa pœna ſtatuenda in eos, qui vltra ſalaria & ſportulas definitas aliquid accipiunt; etiam à volentibus litigantibus.*

Vide *l. fi. C. ad l. Iuliam repetundarum.*

Viliora inſtrumenta ſunt vel animata vel inanimata.

Animata ſunt apparitores, lictores, carcerum ac captiuorum præfecti & cuſtodes.

Inanimata inſtrumenta iterum ſunt vel digna, vel minus digna.

Digna ſunt; vel contenta vel continentia.

Contenta ſunt, libri & acta iudiciaria; de quibus Canon eſt:

Magiſtratus accuratiſſimam curam gerat actorum iudicialium, vt nempe & rectè deſcribantur, ac cautè aſſeruentur.

Continentia ſunt tum Curiæ iudiciales, tum Archiua iudiciaria, in quibus libri & acta aſſeruantur.

Minus digna inſtrumenta ſunt cuſtodiæ & carceres, de quib. ſunt hi Canones:

1 *Magiſtratus carceres habeat & benè munitos*

& diſtinctos, vt nempe alii aliis ſint honeſtiores.

Sicut apud Belgas eſt honeſtior carcer, qui nullam infamiam importat, vulgò das Zuchthauß; de quo inſtituto & nos aliquid ſupra diximus: & Politici hodierni temporis multa paſſim monent, quam ſit ſalutare huius carceris inſtitutum & imitandum omnibus rebuſpublic. Vide inter alios Barritium in diſcurſu de viro politico.

2 *Carceribus certos officiarios præficiat magiſtratus, qui curam carcerum gerant, vt nempe captiui ſicut decet, curentur.*

3 *Carceris ius inuiolabile eſto, & illi qui vi carceres perfringunt, in quos legitimo iudicio deducti ſunt, grauiſſimâ pœnâ puniantur.*

4 *Sponſiones pro cuſtodia*, die außbürgung, *ne facilè admittantur à magiſtratu; quia periculoſa ſunt, & occaſionem præbent perſonis iudicatis, vt varia effugia comminiſcantur.*

Conſequens eſt, vt de modo, ſiue proceſſu iudicii exercendi doceamus; vbi duo ſunt ſpectanda, nempe requiſita & partes proceſſus.

De requiſitis ſunt hi Canones:

1 *Proceſſus iudiciorum ſit planus.*

2 *Proceſſus non ſit nimis longus, nec nimis etiam breuis ac feſtinans; quia nimia feſtinatio iudiciorum nouerca eſt & labes; vtpote propter quam legitimus cognitionis ordo & ſufficiens cognitio inſtitui nequit.*

Canon eſt Platon. 6. & 9. De legib.

Sequun-

Sequuntur partes, ex quibus quædam prima eſt, quædam orta.

Prima pars iudicii vocatur ea, quæ executionem antecedit.

Et hæc eſt, 1, occaſio; 2, citatio; 3, comparitio; 4, litis conteſtatio; 5, diſceptatio vtriusq; partis; ſub qua comprehenditur exceptio, replica, duplica; 6, teſtium productio, & deniq; concluſio, ſiue ſententiæ pronunciatio.

Pars orta, eſt ipſa executio; de qua Canon eſt:

Quod debeat eſſe matura & ſtricta.

Politica diſciplina ſaltem in genere iudiciorũ modum, requiſita & partes conſiderat, quatenus nempe conſtitutio iudicii ad curam principis pertinet; Iuriſprudentia vero magna ſui parte ſubordinatur huic capiti doctrinæ politicæ, & ſpecialia omnia perſequitur, quæ ad iudiciorum proceſſum pertinent.

Reſtat iudiciorum diuiſio & diſtinctio; ac primò quidem iudicium eſt vel ſolitarium, vel ſocium.

Solitarium iudicium eſt illud, cui vnicus tãtum iudex præeſt, ſine aſſeſſoribus.

Quale eſt iudicium Prætoris, ſiue vt vulgari Germaniſmo vocatur, *iudicium Sculteti.*

Socium iudicium eſt, in quo multi ſedent iudices.

Quale eſt *iudicium* [a] *Scabinatus*, German. Schepenſtul.

[a] *In Iure Saxonico ridicula vocabuli Scabini deriuatio eſt, videlicet quod Scabini dicantur q.* Scammini *quia in ſcamnus ſedeãt, cum tamen ſit vox Hebrææ originis à* שפט iudicauit, *vnde eſt* שופט iudex.

Iudicii ſocii duæ ſunt partes, nempe Præſes & Aſſeſſor.

Præſes eſt pars princeps iudicii ſocii, penes quem eſt directorium & propoſitio, & denique concluſio ſiue pronuntiatio ſententiæ.

Eſt autem Præſes vel Primarius, qui principaliter iſta tria agit; vel ſecundarius; qui minus principaliter id efficit, vnde & adiunctus Præſes *dicitur, ſiue* Vicepræſes.

Aſſeſſores ſunt ii, qui ſua vota in iudiciis ex ordine dicunt.

Eſt & iudicium aliud ciuile, aliud criminale.

Ciuile iudicium eſt, quod iudicat de cauſſis ciuilibus, id eſt, talibus quæ non habent delictum, ſiue crimen.

Vt ſunt controuerſię de hereditatibus, de teſtamentis, de contractibus, &c.

Criminale iudicium eſt, in quo iudicatur de delictis & criminibus.

De hoc Canon eſt:

Quia obiectum iudicii criminalis eſt delictum, ideò oportet gradus delictorum & varias ſpecies iudicii eſſe perſpectas.

Criminale iudicium eſt vel minus, vel maius.

Minus eſt, in quo minora crimina iudicantur, vt ſunt crimina de percuſſionibus, de ictu, de lege vulnerationis.

Maius iudicium criminale eſt, in quo maiora & grauiora crimina iudicantur.

Huius partes ſunt: 1, deprehenſio facinoroſorum; 2, inquiſitio; & denique executio.

Deprehenſio explicatur his Canonibus.

1 *Magiſtratus facinoroſos capiat maturè & cautè.*

2 *Habeat ad eam rem exploratores, inſtigatores, apparitores, ſiue lictores aptos ac fideles.*

3 *Aſyla* [a] *magiſtratus temerè non conſtituat, nec niſi in eo caſu, vbi quis homicidium aliquod perpetrauit minimè voluntarium, reliquis caſibus omnibus aſyla nullam vim habeant, ne quidem ſi quis ad templa confugerit vel altaria.*

Hic eſt locus in polit. grauis & arduus de refugiis & aſylis, de quibus legatur plena tractatio in *L. Comm. P. Martyris, tomo* 1. *claſſ.* 4 & notetur quod Deus ipſe expreſsè, iubeat etiam ab altarib. auelli eum, qui datâ operâ hominem interfecit. Vide cap. 20. Exodi, & cap. 2. 2. lib. Regum. Vide etiam Toloſan. lib. 13. c. 23. De vetuſtate aſylorum Alex. ab Alex lib. 3. c. 20.

[a] *Deus ideò aſyla conſtituit, vt qui inuoluntariè hominem occidiſſent, in eo loco tamdiu tuti eſſe poſſent, quoad deferueret ira cognatorum, qui proculdubio vlturi eſſent mortem amici, &c. Cadmus cum vrbem condere vellet, etiam aſyla conſtituit, vt ſcilicet multi homines eò confluerent, qui ciuitatem conderent. Ita fecit etiam Theſeus Athenis, & Romulus cum vrbem condere vellet. Item Honorius & Theodoſius aſyla conſtituerunt templa, & altaria, vt ſic augerent reditus Eccleſiarum; vnde adhuc extat* l. 2. C. de his quis ad S S. Eccleſias confugiunt.

Lex homicidarum. Exodi 21.v.12. & ſeqq. Leuit.24.v.17. & ſeqq. Deut.19.v.4. & ſeqq. Ioſua 20.v.2. & ſeqq.

In templo occiditur Ioab, 3.Reg.2.v.29. & ſeqq.

Inquiſitio eſt vel mitior vel durior.

Inquiſitio mitior eſt, quæ fit ſine tortura; nempe per argutas & acutas quæſtiones, atque articulos ad examinandum reum excogitatos.

Inquiſitio durior eſt, quæ fit in vinculis & per torturas.

De hac Canon eſt:

Inquiſitio per torturas ſuâ naturâ non eſt inquiſitio, ſed tantum reſpectu malitiæ & contumaciæ hominum; ideò & rarò & valdè circumſpectè adminiſtrari debet, præſertim cum eius nullum extet exemplum in vlla ſcriptura ſacra, vel in iudiciis populi Dei.

Non leuis ſanè quæſtio eſt: *An tortura ſit conſentanea Chriſtianæ profeſſioni*, quod quidẽ multi Theologi negant; inter quos inprimis prolixè hanc rem tractauit Guilhelm. Zepperus in egregio lib. de politia Iudaica. Inter IC. vero hanc controuerſiam diſceptat recens autor Laurentius Arnoldus, in lib. cui titulus eſt *Tractatus de iud. inquiſitorio.* Vide etiam egregium librum Guidonis de Suſaria, quem Lutherbacius addidit ſuo volumini, cui titulus eſt, das Regentenbuch.

Sequitur executio, ſiue pœna criminalium iudiciorum: quæ quidem pœna eſt vel ſimplex, vel compoſita.

Sim-

Simplex pœna eſt, vel bonorum fortunæ; vel libertatis; vel famæ; vel deniq; corporis.

Iuriſconſulti dicunt, poteſtas puniendi competit in hominis malefici vel vitam, libertatẽ, famam, vel bona fortunæ; nam præter hæc 4. homo non habet, quæ ipſi adimi vel lædi poſſint. Vide Danæum lib.6.c.1. Toloſ.lib.9.c.1. P. Martyrem ſuper 1.Regum c.20.

Pœna bonorum fortunæ, eſt vel minor vel maior.

Minor pœna eſt, cum aliquis notabili ſumma pecuniæ mulctatur.

Maior, eſt confiſcatio omnium bonorum eius.

Pœna libertatis eſt, vel Captiuitas vel Exilium.

Captiuitas eſt vel temporaria, cum nempe quis ad certum tempus capite plectitur; vel perpetua, cũ quis ad perpetuos carceres damnatur.

Vtraque captiuitas iterum eſt vel concluſio in certo loco, vel condemnatio ad operas publicas; de qua condemnatione Canon eſt:

Salutare eſt inſtitutum reipubl. cum facinoroſi condemnantur ad operas publicas; quia ſic & commodum reipu. promouetur, & facinoroſis occaſio & tempus datur emendationis.

Exilium eſt pœna, qua facinoroſus è ditione principis eiicitur.

De hoc Canon eſt:

Cum iniquum ſit alterius principis terras facinoroſis hominib. onerare, idcirco in pœna exilii irrogãda principes cauti eſſe debent, & potius aliam pœnã quam hanc infligere.

Exilium eſt vel temporarium vel perpetuum.

Temporarium exilium eſt, cum quis ad annos aliquot ſaltem, quibus facilè ſuperuiuere poſſit, relegatur.

Exil. perpetuum iterum eſt vel expreſſum vel implicitum.

Expreſſum eſt, cum expreſſè additur, facinoroſum relegari in perpetuum.

Implicitum eſt, cum verbis quidem aliquis non relegatur in perpetuum, ſed ipſo ſenſu, vt eſt relegatio ad annos centum, quibus nemo ſuperuiuit.

Apud Rom. exilii genus erat deportatio: cum nempe in certum aliquem locum, qui reo admodum moleſtus futurus erat, aliquis iubebatur ire; vt cum Milo iuberetur ire in inſulam Melitam; Ouidius deportaretur ad Scythas. Hodie quidem magiſtratus eiuſmodi exilia expreſsè nõ indicit, ſed permittit tamen clam aliquid ſimile fieri; vt cum immorigeri qui coerceri non poſſunt, coguntur nauigare in Indiam & ibi relinquuntur. Pœna etiam exilii vſitatè proſcriptio dicitur.

Pœna famæ eſt, cum quis publicâ infamiâ notatur.

Pœna corporis eſt vel mitior vel grauior.

Mitior eſt, quâ mors rei non intenditur; qualis eſt hodiè virgarum cæſio, olim erat fuſtigatio: de qua pœna Canon noteturs:

Quia virgarum cæſioni eſt adiuncta cauteriorum inuſtio; ideò cautè adminiſtranda eſt, præſertim in leuioribus furtis, ne nempe duplici pœna reus puniatur; nempe in corpore & in fama; quia cauterium infamiam importat.

Grauior, ſiue capitalis pœna eſt, qua facinoroſus neci traditur.

De hac pœna Canon eſt:

Princeps omnibus modis auertat, ne ſupplicia, capitalia ſint in ſuo principatu frequentia.

Quod præclarè monet Seneca Neronem 1, De clement. *Non minus*, inquit, *turpia principi ſunt multa ſupplicia, quam Medico multa funera.*

In ſuppliciis capitalibus conſideranda ſunt hæc: 1, Diſtinctio; 2, proceſſus; 3, inſtrumentalis cauſa, & denique circumſtantia loci.

Quod diſtinctionem attinet, ſupplicium cap. eſt vel minus graue, vel grauius.

Minus graue eſt, vel inuſitatum vel vſitatius.

Inuſitatum eſt cicuta, ſiue præbitio veneni; 2, ſectio omnium venarum corporis; 3, lapidatio.

De præbitione veneni quærunt Politici: *an talis pœna in vſum ſit reuocanda*; & exiſtimāt quidem nōnulli id faciendum eſſe, præſertim ſi perſonę facinoroſæ ſint è magna familia & in ſumma dignitate conſtitutæ; ſic enim iuſtitiæ executionem clam poſſe adminiſtrari & nemine animaduertente. Sed alii negant hanc conſuetudinem reuocandam eſſe, idque ex eo fundamento, quod ſupra diximus, *iudiciorum forenſium adminiſtrationem publicam eſſe debere & omnibus manifeſtā.* Lapidationem multi putant eſſe horribile genus ſupplicii, cum tamen alii, & præſertim Theologi, inter quos Zepperus in lib. de Politia Moſaica, probent fuiſſe genus ſupplicii mite, & non vſque adeò acerbum, & inde velint probare, quod Deo non placeat iſta exaſperatio pœnarum capitalium, quæ hodie eſt vſitata.

Vſitatum ſupplicium eſt percuſſio gladii, ſiue ſecuris; ſed gladii inprimis, vtpote quo multi iudicant ſupplicium minus terribilius adminiſtrari quam ſecuri.

Acerbius ſupplicium eſt, quo reus vitâ priuatur ingenti cruciatu.

De hoc Canon eſt:

Princeps non facilè procedat ad ſupplicia acerba, cum experientia præſertim teſtetur, iſtis in locis creſcere ſcelera, vbi homines nimis crudelibus ſuppliciis afficiuntur.

Domi-

Dominicus Sotus de iuſt.& iure lib.1.quæſt.5. art.3.tãquam homo Hiſpanus exprobrat Germanis crudelitatem ſuppliciorum. *Sunt*, inquit, *Germani minus mortis timidi, ferique magis & truces, ideo inter illos nonnulla ſcelerum genera atrociſſimis ſuppliciis vindicantur, quæ Hiſpanis non ſunt præ nimio eorum horrore congruentia.*

Acerba illa ſupplicia ſunt crux, ſiue patibulum; 2, ſuffocatio in aquis; 3, rota; 4, forcipes igniti; 5, concrematio præſertim lentior, &c. vt in partes diſſectio, linguæ exſectio, &c.

Sequitur proceſſus ſupplicii capitalis, de quo ſunt Canones:

1 *Magiſtratus nullum capitale ſupplicium exerceat ſine cauto & circumſpecto proceſſu, eoq́ publico, vbi reus ſufficienter fuit auditus, & confeſſus facinus.*

2 *Miniſtris publicis Magiſtratus iſtum proceſſum dirigat & muniat.*

Inſtrumentalis cauſa iudicii capitalis, eſt executor ſententiæ capitalis, quem hodie *carnificem* vocant. de quo notentur hi Canones.

1 *Per ſe executio ſententiæ capitalis neminem infamat; quod autem malè audiant iſti executores, id ex moribus ipſorum peſſimis accidit, & quod magiſtratus mala conſuetudine permittat, vt fœdiſſima quæuis operæ ab iſtis executoribus peragantur.*

Vide Bodinum lib.3.De repub.cap.8.vbi probat officium executoris publici per ſe non eſſe inhoneſtum, etiam hac ratione, quod in gente Iſ-

raelitica quiuis ciuium tale officium adminiſtraret iuſſu Dei, & omnes ſimul gregatim facinoroſum lapidarent. Vide inter alios Zepperum de legibus forenſibus Moſaicis.

2 *Magiſtratus executorem ſententiæ capitalis iuſto patrocinio defendat aduerſus peſſimam iſtam conſuetudinem, quæ hodie multis in locis inualuit; vt nempe ſi erret in officio executor, promiſcua turba in eum irruat certiſſimo vitæ exitio.*

Reſtat circumſtantia loci, ſiue area illa, in qua exercentur ſupplicia publica; Germanis, die Wahlſtatt, de qua Canon eſt:

Etſi certo loco debeat eſſe & fieri executio ſententiæ capitalis, & quidem loco tuto; tamen cauendum eſt, ne ille locus horribili multorum cadauerum ſpectaculo impleatur, quod hodie multis in locis fit contra Dei mandatum.

Denique iudicium eſt vel inferius vel ſuperius.

Inferius iudicium forenſe eſt, quod adminiſtratur ab inferioribus perſonis.

De hoc Canones ſunt:

1 *Princeps in iuſtitiæ adminiſtratione conſtituat inferiores iudices tales, qualis ipſe eſſe tenetur, alioquin culpa in conſtituentem reiicietur.*

Exodi 18. cap. v. 19. Deut. 1. v. 17.

2 *Conſtituat etiam iudices inferiores partim in ſingulis pagis, vicis & oppidis, partim in ſingulis diſtrictibus & prouinciis ditionis ſuæ.*

Exem-

Exemplo Dei & Moſis, Deut. 16.

A iudicibus inferiorib. ſit libera appellatio, ſiue prouocatio ad iudices ſuperiores; quia defenſionis quædam ſpecies eſt Prouocationis beneficium, quo licet illi qui ab inferiore, ſiue ab intermedio quodam magiſtratu vel potentiore membro reipub. prætextu iuris læſus eſt, ad tribunal ſummum prouocare.

Vide Bod. lib. 1. c. 10.

Iudex inferior eſt vel Regius vel Municipalis.

Regius eſt, qui immediatè ab ipſo rege, ſiue principe conſtituitur.

Municipalis eſt, qui ex permiſſione principis à municipibus vel aliis intermediis magiſtratibus conſtituitur.

Superius iudicium eſt, quod ipſe princeps magis immediatè exercet, ita vt ab eo nulla ſit appellatio ad aliud aliquod ſuperius.

De hoc iudicio Canones ſunt:

1 *Princeps in ſuo principatu habeat vnum aliquod tribunal ſummum, à quo ad alia tribunalia nulla poſſit fieri prouocatio.*

Sic in imperio Romano eſt Camera imperialis; in Gallia eſt Parlamentum ſummum Pariſienſe. In aliis principatibus inferioribus, ſummum tribunal principis, vocatur das Hoffgericht.

2 *Tribunal ſummũ habeat ſuũ præſidem & ſuos aſſeſſores, horũq; adminiſtros, Aduocatos & Procuratores & Notarios exquiſitè ordinatos velut in tẽplo*

quodam iuſtitiæ, & in Conſiſtorio appellationum ſummarum.

3 *Non ſit leuis appellatio, ſiue prouocatio ad hoc ſummum tribunal; ſed conſtituatur certus valor cauſarum, quæ ad hoc tribunal referri poſſint.*

Sic in imperio Rom. nullæ cauſæ recipiuntur in tribunali ſummo, ſiue Camera, niſi ſub æſtimatione 500. florenorum Vngaricorum, ſiue Imperialium.

4 *Tribunal ſummum conſtituatur in regni medio, atque adeo in ipſa metropoli & regia principis.*

Vide Hotom. lib. 1. de antiquo iure regni Galliæ, Stephan. Brutum quæ. 3. Vindiciarum contra Tyran. Vide & c. 7. lib. 1. Regum.

CAP. XVIII.
De iudicio cenſorio.

FVit iudicium forenſe: reſtat Cenſorium, quod eſt iudicium de moribus externis, qui legib. expreſſis non arcentur, quiq; in litem forenſem non cadunt.

Diſtinctio illa iudicii in Forenſe & Cenſorium, manat tum ab ipſa experientia rerumpubl. quæ teſtatur in multa eſſe animaduertendum, in quæ nō animaduertitur iudicio forenſi, tum etiam ab exemplo reipub. Rom. & aliarum, in quibus cenſores erant diſtincti à Iudicibus forenſibus, & ſunt adhuc hodiè: tum denique ab autoritate ſummorum Politicorum, vt Bodini lib. 6. c. 1. & aliis multis in locis, vbi valdè commendat omnibus Rebuſp. Cenſuræ exercitium. Toloſan. lib.

lib.4.c.12.Patricium, Danęũ lib.6. c 4.Lipſ.lib.4. c.9.& ex his Althuſ.cap.20. Polit. illud autem fatendum eſt, apud Romanos Cenſoribus multas curas fuiſſe impoſitas, quæ propriè ad Iudicium non pertinebant, id eſt, quę non continebant exercitia iuſtitiæ diſtributiuæ, ſicut apparet ex conſtitutioné Cenſorum, quæ apud Feneſtell.&alios extat his verbis: Cenſores populi ſoboles familiasque cenſento, pecunias vrbis, templa, vias, æraria, vectigalia tuentor, populi partes in tribus diſtribuunto, pecunias in ciuitatis ordines partiuntor, equitum peditumq; prolem diſtribuũto, cœlibes eſſe prohibẽto, mores populi regunto, probrum in Senatu ne relinquunto, bini ſunto, magiſtratum quinquennem habento.

Canon generalis de Cenſura eſt:

Cenſura corrigit illa, quæ pœna quidem forenſi vulgò digna non cenſentur, neglecta tamen aut contemptui habita, multorum malorũ cauſam in repub. præbent.

Ita Lipſius ex Dione, vbi & Cicer. ſententiam citat in Piſonem: *Cenſura eſt magiſtra pudoris & modeſtiæ.*

Circa iudicium Cenſorium notetur 1. *obiectum*; 2, *cauſæ, & deniq; partes ſiue proceſſus.*

Obiectum cenſuræ eſt tum perſona, tum peccatum perſonæ.

Cognationũ cum cenſura habet iudicium in ciuitatibus quibuſdam, vt Dantiſci das Wettgericht. *Eſt autem vocabulum illud antiquum Flandricum;* Wetten *enim idẽ eſt, quod iudicio agere.*

Canon de perſona cenſenda eſt;

Sub cenſuram cadit omnis perſona cuiuſcunque ſit ſtatus, excepto tamen ipſo principe; qui aliis modis quàm ordinario iudicio corrigendus eſt.

Peccatum quod ſub cenſuram cadit, eſt vel Ethicum, vel Oeconomicum, vel Politicum.

Ethicum peccatum, eſt intemperantia & luxus in victu & conuiuiis, in veſtitu, inque diuitiis.

Oeconomicum peccatum eſt, quod coniugia ſpectat; vt ſunt lites coniugum, itemq; inobedientia liberorum aduerſus parentes, & famulorum aduerſus dominos.

Politicum peccatum eſt lis & diſcordia inter ſubditos, &c.

Cauſæ adminiſtrantes iudicium cenſorium; ſunt vel principes, vel minus principes.

Principes cauſæ & partes adminiſtrantes cēſuram ſunt tum ipſe præſes, tum eius aſſeſſores; qui olim dicebantur ζητηταὶ καὶ νομοφύλακες, *id eſt;* Quæſitores & cuſtodes legum.

De quibus ſunt hi Canones;

1 *Cenſores immediatè ab ipſo principe conſtituantur, vt tantò maiorem autoritatem & reuerentiam habeant; & conſtituantur viri ſanctitate morum & prudentia ſpectatiſſimi.*

Sicut apud Roman. neminem reſpub. hoc honore dignabatur, niſi & ſanctitate & vitæ autoritate clariſſimum, vt fuerunt Cato Cenſorinus & alii.

2 *In arbitrio principis ſit quam diuturnum eſſe debeat hoc officium; & vtrum aliquem perpetuò eſſe velit, an verò ad certum tantum tempus.*

Cauſæ minus principales ſunt vel digniores, vel indigniores.

Digniores ſunt Scribæ & Notarii cenſorii.

Indigniores adminiſtri ſunt vel manifeſti, vel occulti.

Manifeſti miniſtri, ſunt apparitores cenſorum, die Wettknecht.

Occulti adminiſtri ſunt, exploratores, qui clam dicta factaque aliorum cenſoribus patefaciunt..

Apud nos vocantur *Inſtigatores.*

De his Canon eſt:

Eiuſmodi proditio omninò licita eſt, quando nempe proditor ſcit, certò ſe bonam cauſam promouere, & facere id iuſtitiæ & honoris cauſa, & quando alia media non adſunt; & denique, quando mendacium nullum miſcetur.

Vide latius probantem hoc Althuſ. ſub finem cit. c. 20.

Reſtat Proceſſus ſiue partes iudicii Cenſorii, quæ ſunt duæ: nempe Inquiſitio & Notatio.

De Inquiſitione ſunt hi Canones:

1 *Princeps certo ordine curet iudicia Cenſorum inſtitui, ita ut quædam ſint inferiora, prout & forenſia erant; [illegible] in urbibus & diſtrictibus: quoddam autem iudicium Cenſorium ſupremum in toto principatu, quod adminiſtretur per viros graues ac potentes in certo quodam principaliori loco, nempe vel in metropoli, vel alia urbe nobiliori.*

2 Cenſores habeant deſignatas familias, & certũ numerum populi, quem cenſere debent; vt tanto accuratior poſſit fieri inquiſitio.

3 Conſultum eſt, vt non omnia ſimul conentur emendare cenſores; ſed paulatim ſingula corrigant; quia homines nõ poſſunt ſubitò fingi, nec poteſt repentè eorum natura conuerti, aut vita mutari.

Rationem Can. Cic. ſuppeditat, cuius iſta ſunt ,, verba: Nemo noſtrum poteſt ſubitò fingi, nec cu- ,, iuſque vita repentè mutari, aut natura conuerti: ,, Tempore opus eſt. Vide latius Lipſ. cit. lo. & Tol. lib 4. c. 12.

Sequitur notatio, quæ eſt animaduerſio, quam exercent cenſores.

Eaque duplex eſt, nempe vel pudefactio vel mulcta.

Pudefactio, eſt notatio cenſoria, quâ graui increpatione & aliqua ignominiæ notâ coercetur is, qui in iudicio cenſorio condemnatur.

Cic. 4. De rep. *Cenſorium iudicium*, inquit, *nihil ferè affert damnato, niſi ruborem*. Vide Toloſ. dicto l. Bod. lib. 6. c. 1.

Mulcta eſt notatio cenſoria, quâ priuatione bonorum fortunæ affligitur is, qui aliter coerceri nequit.

De hac Canon eſt:

Mulcta à cenſoribus non ſtatuitur niſi in eos; qui pertinaciter pergunt in malis moribus, nec ignominiam curant, ſed dedere dedicerunt.

Vide Valerium Max. lib. 6. c. 9. Gell. l. 5. c. 20.

CAP.

CAP. XIX.

De cura principis prima minus principali, & in ſpecie quidem de cura rerum animatarum, & rerum inanimatarum immobilium.

ET ita expediuimus doctrinam de cura principis prima & primaria: ſequitur cura principis ſecundaria, ſiue minus principalis; quæ eſt vel circa res extra hominem, vel circa circumſtantias rerum extra hominem, nempe circa loca & tempora.

Res extra hominem quam princeps curare debet, eſt vel animata, vel inanimata.

Rem animatam vocamus hîc anima ſentiente præditam; quæ eſt vel terreſtris, vel aeria, vel aquatilis.

Terreſtris eſt vel manſueta vel fera.

Inter animalia terreſtria manſueta curandi ſunt equi, canes & ſimiles beſtiæ, de quibus ſunt hi Canones;

1 *Det operam princeps, ne immodica equorum & Canum multitudine ſubditi grauentur.*

2 *Quia equi tempore pacis ad ornatum & ſplendorem, tempore belli ad neceßarium vſum reip. pertinent, ideo generoſis equis ſtudendum eſt.*

De cura equorum in rep. video aliquot Politicos diligenter præcepiſſe, & inter hos Caſum lib. 4. cap. 4: Caſtell. lib. 2. de offic. regis, c. 38. & 39. vbi monet principem duo ſpectare debere: 1, vt equi

generoſi deligantur; 2, vt qui delecti ſunt, rectè curentur, præſertim cum belli tempore plus effici poſſit vno equite, in locis præſertim planis, quam multis peditibus. Vnde & Xenophon de equorum cura & tractatione multa paſſim monet in ſcriptis ſuis Politicis.

3 *Habeat princeps peritos equiſones, qui equos condocefaciant & parent ad omnes vſus, præſertim ad bellicos, eorumq; curam ſic habeant per certos administros, ne temerè negligantur aut morbis corripiantur.*

4 *Stabula & equilia curet rectè inſtrui.*

5 *Priuatos homines, quorum opes non ſunt amplæ, quiq; ad neceſſitates domeſticas equis non egent, ne patiatur equis alendis multos ſumptus facere.*

Caſus cit lib. & cap. aliquot conditiones enumerat, quibus ii debeant eſſe præditi in repu. qui equos multos alunt, atq; oſtendit abuſus, qui ex hoc monito politico neglecto poſſint in rempu. irrepere.

Ferarum beſtiarum cura habet hunc Canonem:

Princeps venationibus ferarum eatenus deditus eſſe debet, quatenus grauiores reip. occupationes permittunt, & quatenus etiam ſubditis nimia ferarum copia damnum parit.

Cura animalium volatilium habet hũc Canonem:

Quia aues copioſam alimoniam præbent ſubditis, idcirco princeps operam det, ne intempeſtiuè, id eſt, tempore fœtificationis aues capiantur; neve etiã ſubditi ciconias, quæ olim habebantur pro inuiolabilib. & alias eiuſmodi aues, animalia noxia è medio tol-

lentes, temerè interficiant.

Aquatilium cura habet hos Canones;

1 *Quia magnæ diuitiæ ſitæ ſunt in lacub. ſtagnis, piſcinis, ideo princeps curet, vt per ditionem ſuam aquæ viſcoſæ diligenter & accuratè ſeruentur, aut ſi non ſint, vt artificio parentur.*

2 *Nec permittat temerè cuiuis piſcium capturã, præſertim eam, quæ fit naſſa vel reti, alteram autem quæ hamo fit, poterit indulgere.*

Tantum de cura rerum animatarũ; Res inanimatæ quas princeps curare debet, ſunt vel immobiles vel mobiles.

Res immobiles ſunt vel naturales vel artificiales.

Naturales res in genere habent hunc Canonem;

Etſi princeps operam dare debeat, vt res naturales in ſuo principatu meliores reddantur, tamen non temere id audeat, vt rerum naturas mutet.

Monitum eſt hoc Pauſaniæ libr. 2. *Difficile eſt,* inquit, *diuinitus attributam certis rebus naturam humana arte ſuperare.* Exemplum paulò poſt ſequetur de curſu fluminum.

Res naturalis eſt vel ſimplex, vel mixta.

Res ſimplex quæ curæ principis ſubiecta eſt, eſt tum aqua, tum terra.

Aqua eſt vel maior vel minor.

Maior aqua eſt Mare, de cuius cura ſunt hi Canones;

1 *In magna felicitate princeps ducat, ſi maris do-*

minium poſſit retinere; atq; hoc omnibus modis tueatur, & quantum fieri poteſt, augeat.

Videatur Contarenus de repub. Veneta, & Camerarius in Horis ſubciſ.

Veneti hunc Can. intelligunt, qui ſingulis annis feſto Aſcenſionis Chriſti Maris dominium ſibi deſpondent annulo in mare deiecto; ridicula quidem ceremonia, ſed tamen prudenti inſtituto inuenta.

2 *Piſcaturam in mari princeps etiam commendatam habeat; vtpote vnde magni prouentus colligi poſſunt.*

Ita Rex Daniæ olim maximos ꝓuentus habuit ex captura halecum circa Sconiam; vbi id memorabile eſt, quod intra annos aliquot haleces inde migrarint Hollandiam verſus, ita vt iam iſti prouentus regni Daniæ magna parte ceſſauerint.

3 *Rem nauticam princeps omnibus modis foueat, & augeat, atq; adeò etiam naufragorum curam diligentem ſuſcipiat.*

4 *Ea quoq; curet magiſtratus, quæ è mari eiiciuntur, vt in Pruſſiæ locis ſuccinum, in aliis conchylia & margaritarum matrices.*

Minor aqua, eſt vel recentior ac perennis; vel minus perennis.

Recentior ac perennis aqua, eſt fluminum, riuorum, fontium. de quibus ſunt hi Canones:

1 *Deriuationes fluminũ rariſſimè feliciter tẽtãtur.*

Hoc axioma polit. ponitur propter eos principes, qui tentant flumina [a] perfodere, eaq; deriuare de loco in locum, quales quidem omnib. temporib. multi fuerunt. Hos paulò antè admonuit Pauſanias, quod fruſta tentent naturã certis reb.

diuini.

diuinitus tributam ſuperare. In ſpecie verò idem autor cit. li. de Iſthmi perfoſſione ſic monet: Quicunq; inſulam Peloponneſum facere conatus eſt, morte oppreſſus opus imperfectum reliquit, vt Demetrius rex, Iul. Cæſar. Caligula, Nero & quicunq; Iſthmum Corinthiacum voluerunt perfodere. Vide varia alia exempla in axiomatibus Politicis Richteri, ax. 306.

a *Carolus Magnus etiam Danubium, tanquam regem magnis ſumptibus in Rhenum deducere, tanquam reginam conatus fuit in loco quodam, vt videbatur commodiſſimo, nim. apud Wiſſenburg inter Noribergam & Auguſtam Vindelicorum: ſed cum ſtrenuè laborarent opifices, & operarii dieſq; noctesq;, tam multa horrenda ſpectra viſa fuerunt, vt operarii eorum incurſus tolerare non poſſent, & opus imperfectum relinquere fuerint coacti. foſſas enim omnes ſpectra illa iterum impleuerunt.*

2 *Fōtium, atq; adeo aquæ ductuum curam, tanquam inprimis neceſſariam reipu. princeps ſingularē ſuſcipiat, ita vt quo loco fontes recentes non ſunt, ſint putei, ſint ciſternæ.*

Plato lib. 6. De legib. curam aquarum, inquit, ędiles habeant, vt in fontes quam lympidiſſimæ ſufficienteſq; ducantur, & ciuitates iuuent pariter & ornēt. Ariſt. 7. Pol. c. 11. Quod verò ad aquas, inquit, & fontes attinet, primum eſt, vt aquarum ſuppetat copia; quod ſi ea non contingat, ciſternæ fiant multarum aquarum capaces, quæ nunquam oppidanos deficiant, ſi bello intra oppidū incluſi, agri vſu prohibeantur, & eæ aquæ, quæ potui aptæ ſunt, ab aliis ſeparentur. Et Plato lib. 6. De leg. ait curandum eſſe, vt aquæ ex montibus defluentes in vallibus excipiantur, ita vt inde agri ſicci irrigari poſſint. Vide Lælium Zechum de principe lib. 3. c. 2.

3 *Thermas quoq; ſiue balnea naturalia princeps magni faciat, & foueat propter curam infirmorum.*

Plat.cit.loco inquit, *Balnea mineralia, pro infirmorum ſanitate, vbi fieri poteſt, habeantur & conſeruentur.*

Minus recentes aquę ſunt ſtagna, lacus, eluuiones maris & fluminũ: de quib. eſt hic Canon:

Stagna, foſſas, lacus, eluuiones paludesq;, quæ vapores exhalant, hominibus noxiũ princeps quantum fieri poteſt, obſtruat & impediat ne augeantur.

Sic de cura aquæ. Terra eſt vel vicina aquæ; vel ab aqua remotior.

Terra vicina aquæ eſt tum littus, tum ripa.

De cura littorum ſunt hi Canones:

1 *Habeat princeps certos homines, qui circa littora obuerſentur, & attendant quidnam in ea eiiciatur, quidq; circa illa geratur.*

2 *Inprimis verò eam partem littoris exquiſitiſſimè curet, quâ ſe flumina in mare exonerant, & quâ ex mari naues appellunt, quæ pars* Portus *dicitur,*

3 *Contra ius gentium eſt, quod naufragi eorumq; bona in littus eiecta, principis eſſe dicantur; atq; adeò quæ ex naufragio ſeruata ſunt, in fiſcum principis pertrahantur, aut à priuatis hominibus ſupplentur.*

Terra ab aqua remotior, eſt ager, pratum,

pratum, vallis, mons, *&c.* de quibus ſunt hi Canones;

1 *Princeps curet, vt iuſta internalla camporum, ſeruentur, & quædam pars colatur tanquam ager; quædam v. pars maneat pratum, pecoribus paſcendis accommodatum.*

Senſus Canonis eſt, principem permittere nõ debere, vt cuilibet promiſcuè liceat ex prato agrum, aut ex agro pratũ facere: Inde enim multa incommoda prouenire poſſunt; ſicuti quidẽ illi, quibus Angliæ regnum notum eſt, improbant inſtitutum nobilitatis Anglicanæ, quæ intelligẽs maius lucrum poſſe ex ouium lana capi, quàm ex frugibus agrorũ, plurimos agros mutauit in prata, ita vt multi metuant, ne aliquando Anglia neceſſariis frugibus deſtituatur, ſi iſta conſuetudo poſthac duret.

2 *Limites & terminos agrorum curet immotos ſeruari princeps.*

Plato lib. 8. De legib. *Nemo*, inquit, *fines atque terminos agri moueat*. Et in iure impoſita eſt pœna illis qui limites mouent, *l.* 1. *&* 2. *ff. de termino moto.*

Sequitur cura rerum naturalium mixtarũ, quæ ſunt vel ſuper terram, vel in terra.

Super terram ſunt ſyluæ, vineæ, horti, viridaria; de quibus ſunt hi Canones;

1 *Syluarum accuratam curam princeps habeat; ſiquidem eæ omnibus in reb. humanã vitam ita adiuuant, vt poſt ſegetes maximè ſint optandæ ſyluæ.*

Canon eſt Patric. libr. 7. de rep. tit. 5. vbi de ſylua tractat.

2 Sylua quadrifariam diſtributa eſſe debet; in ſaltus; in nemora; in ſyluam caduam; & denique in ſyluam materiariam.

3 Saltus ſunt, in quibus frutices, virgulta & arbuſcula ad vſum pecoris inter herbas paſſim naſcuntur; ita vt horum quoque ratio inprimis ducenda ſit.

4 Nemora ſunt ſyluæ iucundiores, & inprimis tales, vbi arbores glandiferæ naſcuntur, ſuillo pecori vtiles; atque adeo etiam, vbi venationes amœnæ inſtitui poſſunt, ita vt propter ornamentum ditionis ſuæ, & propter recreationẽ princeps nemora curare debeat.

5 Sylua cædua eſt, in qua cæduntur ligna ad comburendum, atque adeo ad inſtruendum focum: idcircò tantò diligentius has ſyluas curabit magiſtratus, quantò maior eſt miſeria, ſi aliqua ditio lignis careat; & ideo non quoſuis & quouis tempore ſinat ligna cædere, ſed ſeruet in eo certum modum & ordinem.

6 Nec in arboribus tantum cædendis, ſed in parando etiam cinere & carbonibus certas leges præſcribat, ne ſyluæ immoderatius cædantur.

7 Sylua materiaria eſt, in qua arbores cæduntur eæ, quæ ad ſtructuras & ædificia accommodatæ ſunt: Et harum cura tantò debet eſſe exactior, quantò maior eſt neceſſitas materiæ ligneæ ad ædificandum.

Hos Can. ordine ſumpſimus ex Patricio, citato loco, de quibus ſimilia etiam monet Lælius Zechus lib. 3. de princ. c. 2. *Cura*, inquit, *ſit principi, ne montes & ſyluæ ſuis prouinciis excidantur & extirpentur, cum materiam præbeant ædificiis &*

naui-

nauigiis. Quod idem Ariſtoteles monet 6. Polit. cap. 8.

8 *Ordinet princeps certos præfectos ſyluarũ, qui tanquam custodes obequitent, ne quid detrimenti ſyluæ patiantur; quales in Germania vocantur* die Forſter/oder Waldmeiſter.

9 *Vinearum curam, (ſi eas in ſua ditione habeat princeps) diligentem ſuſcipiat, vt & hortorum ac viridariorum.*

Subterraneæ res, vocantur omnia foſſilia: itaque huc pertinent lapicidinæ, ſalinæ & fodinæ metallicæ, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Quia arena, calx, lapides magnum vſum præſtant reip. idcircò princeps harum etiam rationem ducat.*

Vide Patricium d. lib. 7. titul. 6. vbi de lapicidinis agit, titul. 7. vbi de calce, & titulo 8. vbi de arena.

2 *Ex ſalinis, ſiue ſalis fodinis maximi reditus reipub. proueniunt. ita vt magni facere eas princeps debeat, & accuratè conſeruare ac fouere.*

De ſumma vtilitate ſalinarum, vide Bodinum lib. 6. c. 2. In regno Poloniæ notum eſt, maiorem partem redituum regis Salinis, ſiue ſalis fodinis deberi.

3 *Fodinæ metallicæ & quæri debent à principe, & vbi inuentæ ſunt, diligenter curari ordinatis ad eam rem peritis hominibus, & diſtributis in certos ordines metallariis, ſiue metallorum foſſoribus.*

Hactenus cura rerum immobilium naturalium: ſequitur cura rerum immobilium artificialium, quæ ſunt vel machinæ & ſtructuræ, vel etiam ædificia & domicilia.

Machinæ & ſtructuræ, ſiue ſubſtructiones, vel ſunt ad mare & flumina, vel remotius à mari & fluminibus.

Inter machinas & ſubſtructiones ad mare & flumina præcipuè eminent illæ, quæ portum firmant & muniunt. quarum tantò maior cura eſſe debet, quantò maius eſt periculum totius reip. ſi portus collabatur aut obſtruatur.

A mari remotiores ſunt aquæductus, molendina & ſimilia, quibus ſtruendis & in ſarto tectoque ſeruandis peritos atque idoneos homines princeps debet præficere.

Sequuntur ædificia, de quibus ſunt hi generales Canones:

1 *Ædificia debent reſpicere publicam vtilitatem, commoditatem, ſplendorem, atque adeò decus & pulchritudinem reip.*

Vide Toloſ. lib. 2. c 9.

2 *Ut fundamenta ædificiorum rectè ponantur, & quæ ad condenda ædificia pertinent idoneè adminiſtrentur, idcircò princeps excellentiſſimos architectos etiam magnis ſtipendiis accerſere & fouere in principatu debet.*

Vide Patricium lib. 8. tit. 1.

3 *Non tantùm condenda ſunt ædificia, ſed & ſarta tecta ſeruanda & reſtauranda.*

4 *Mu-*

4 *Munienda etiam ſunt contra incendium & ignem.*

Vide Toloſan. lib. 2. cap. 14. & Iunium parte 2. quæſt. Politic. quæſt. 66. vbi 14. requiſita enumerat, quæ obſeruanda ſunt in ædib. condendis.

Porrò ædificia vel ſeparatim conſiderantur, vel collectim.

Ædificia ſeparatim, ſiue ſigillatim conſiderata, ſunt vel publica, vel priuata.

Publica ædificia ſunt vel gubernationis, vt templa, ſcholæ, gymnaſia, curia ſenatoria, granaria publica, ærarium; vel iudicationis, ſiue iudicii, vt curia iudiciaria, carceres, &c. vel denique defenſionis; vt armamentaria: de quibus omnibus Canon eſt;

Ædificia publica cautè à principe conſtruantur; ne error in iis commiſſus atque omnibus hominum oculis expoſitus, contemptum ei pariat, ſintque adeò comparata ad aſpectum pulchrum, & ad magnificentiam.

Priuata ædificia ſunt, quę ad vſum priuatorum hominum pertinent, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps ne permittat cuique priuato ædes pro ſuo arbitrio conſtruere, ſed iubeat in eo obſeruari publicam vtilitatem & publicum decus.*

2 *Det etiam operam princeps, ne vicinus vicini*

luminibus obſtruat, aut ædes ſuas in viā publicam nimis extendat.

Collectim conſiderata ædificia ſunt vel maiora vel minora.

Minora ſunt vici, pagi, oppida. quæ quantum fieri poteſt, curet princeps aptis, commodis & pulchris ædificiis conſtrui.

Supra conſiderauimus vicos, pagos, oppida, vrbes, diſtrictus, non materialiter, ſiue non ratione ædificiorum, ſed formaliter quatenus erant communitates ſubditorum, atque adeò diſtinctæ ſocietates ruſticorum & ciuium.

Ædificia collectim conſiderata maiora, ſunt vel vrbium vel diſtrictuum integrorum.

De vrbibus earumq; ſtructura, ſunt hi Canones:

1 *Vrbes fundentur locis ſalubribus & oportunis, & quantum fieri poteſt, naturâ munitis.*

2 *Det operam princeps, vt ædificia in vrbibus apto ordine diſponantur, ſic vt concinna ſit diſpoſitio & forma ſingularum partium vrbis, vtq; plateæ, ſiue viæ vrbis ordinem ſuum certum habeant & iuſtam quantitatem, ſiue latitudinem.*

3 *Ædificia vrbium publica, vt ſunt templa, curia, ſuis turribus magnificè exornentur, propter decus vrbis.*

De turribus earumque forma, deq; pinnis turrium vide pulchrè diſſerentem Patric. libr. 8. De rep. tit. 5. & 6.

4 *Det operam princeps, vt frequentes ſint vrbes in*

in ditione ſua, ita tamen ne nimia vicinitate altera alteri poſſit eſſe impedimento.

De vrbibus earumq; ſtructura, vt & de ſtructura omnium ædificiorum, peculiaris diſciplina tractat, quæ vocatur *Architectonica*; quæq; adeò non Mathematicæ tantum, ſed & Politicæ diſciplinæ ſubornatur, ſic vt valdè neceſſarium ſit Politicæ ſtudioſis, vt aliquam huius quoque diſciplinæ peritiam habeant, cum magiſtratus ſit de architectorum operis iudicare, easq; ad reip. vtilitatem, & decus dirigere. Poſſunt autem videri de vrbium ſtructura præter Toloſ. quem ſupra citauimus, Hippolytus à Collibus peculiari libro, de vrbibus, earumq; ſtructura & incremẽto, Patricius 8. de rep. & Caſtel. lib. 2. c. 42. de off. regis.

Ædificia conſiderata ratione integrorum diſtrictuum, habent hos Canones:

1 *Det operam ſedulam princeps, vt omnes partes & diſtrictus ſui regni ſint exculti frequentibus ædificiis pagorum, vicorum & vrbium; quo enim frequentior eſt iſtorum ædificiorum in aliquo regno copia, eò omnia itinera ſunt in regno tutiora, & tamen pro incolis quam pro exteris commodiora.*

2 *Vt autem frequentia ſint in ſingulis regni partibus ædificia, laborabit princeps, vt numerus ſubditorum ipſius magis ac magis augeatur; hominibus enim auctis, etiam ædificia augentur, & reliqua regni commoda; vt rectè dicatur* : In multitudine populi eſt gloria regis, & cum non eſt populus, eſt attritio principis.

Verba poſtrema canonis ſunt deſumpta ex cap.28.Prouerbio. & ex 1.Reg.cap.3. De qua re vide præclara multa apud Danæum libr.2.Polit. cap.2.

3 *Princeps omnibus modis in pectora ſuorum ſubditorum implantet amorem condendorum ædificiorum: nam hac ratione ſubditi inuitabuntur, vt libenter eo in loco quo aliquid condiderunt, maneant, ac ſeſe augeant & multiplicent, atq; adeò etiam locum iſtum in quo ædificarunt, laborioſè excolant.*

Conſilium eſt Politicum, quo poſſit regnum populoſum reddi, ſi nempe *ſubditi alliciantur ad ædificia ſibi condenda in omnibus regni partibus.* Eſt.n. mira efficacia proprii foci, pro quo homo pugnat, tanquam pro vita; ſic quidem vt mirificè etiam amet iſtum locum, eumq; pro virib. excolat, in quo commodus focus & habitatio ei contigit. Quæ ratio eſt, quod ditiones Turcæ plurimæ maneant vaſtæ & incultæ; quia Turcarum ingenia ſunt aliena ab ædificiis, eaq; nec libenter conſtruunt, nec ſi ab aliis benè conſtructa inueniant, ſarta tecta cupiant ſeruari. Quin & experientia teſtatur, omnia alia regna in quibus incolarum ingenia ſunt aliena ab ædificiis commodis conſtruendis, multis partibus inculta manere ad principis attritionem. Contra vero videmus Italiam, Galliam, Germaniam inferiorem & ſuperiorem cultiſſimam eſſe propterea, quod harum gentium ingenia delectentur ſtructuris & per naturam ſint architectonica.

4 *Quod ſi ſuos ſubditos ad amorem ædificiorum*

con-

conſtruendorum non poſſit pertrahere, aduocet aliunde colonias velut quaſdam, ex iis nempe gentibus, quarum ingenia per naturam feruntur ad ædificia commoda conſtruenda.

5 *Vt que tam ſubditos ſuos, quam exteros magis ad eam rem poſſit allicere, prabeat è publico ligna, calcem & eiuſmodi alia, quæ ædificiis conſtruendis ſeruiunt.*

CAPVT XX.

De bonis, ſeu rebus mobilibus; & primò quidem de illis rebus, quæ inſtrumentariæ vocantur.

SIc fuit cura rerum immobilium: Res mobiles ſequuntur, quas diſtinguendi cauſſa diuido in Inſtrumenta & Reditus; inſtrumenta vocans ea, quæ immediatè non pertinent ad rem pecuniariam & diuitias principis.

Iſta a. inſtrumenta vel magis ad corpus pertinent, vel magis ad mentem.

Inſtrumenta magis pertinentia ad corpus; ſunt vel omnium temporum, vel ſaltem temporis bellici.

Omnium temporum inſtrumenta vel commoditati & vtilitati ſeruiunt, vel delectationi.

Inſtrumenta ſeruientia vtilitati & cõmoditati, ſunt currus, naues & quæcunque ad rem curulem & nauticam pertinent: de quibus eſt Canon:

Si princeps ſit mediterraneus, magno curruum apparatu: ſi v. maritimus, magna nauium claſſe inſtructus eſſe debet.

Quid poſſit nauium copia in rebuſpub. teſtatur exemplum Hollandorum & Venetorũ: quãtum a. currus proſint, teſtatur hiſtoria Regum in ſacr. literis, vbi curruum apparatus inter magnæ potentiæ partes frequentiſſimè connumerãtur.

Inſtrumenta ad delectationem & ornamentum comparata, ſunt theatrica illa, vt tapetes, aulæa & his ſimilia, quibus princeps ad magnificentiam & decus inſtructus eſſe debet.

Bellici temporis inſtrumenta ſunt arma omnis generis; de quib. ſunt hi Can.

1 *Det operam princeps, vt arma omnis generis intra fines ditionis ſuæ parentur, & quidem ex materia optima, & maximè durabili.*

2 *Curet arma aptè diſponi in peculiaribus ad eam rem conditis armamentariis.*

De armamentar. vide pulchrè diſſerentem Caſtell. lib. 2. c. 38. & Toloſ. lib. 9. c. 1.

Et ſic quidem de inſtrumentis magis ad corpus pertinentibus: Inſtrumenta magis ad mentem pertinentia, ſunt tum libri, tum aliæ res eruditionem alentes.

Libri ſunt vel proprii, vel communes.

Proprii libri vocantur, in quib. aliquid perſcribitur, quod ad principatus adminiſtrationem & curam pertinet; vt ſunt annales regni, epiſtolæ ad principẽ ſcriptæ.

ptæ: acta iudiciaria; item, libri acceptorū & expenſorum, ſiue Rationaria, de quib. omnib. ſunt hi Canones:

1 *Princeps curet in libros referri etiam minima queq;, qua ad emolumentum reip. poſſunt conducere.*

2 *Princeps rerum annotationem curet diſtingui peculiaribus voluminibus.*

3 *Præficiat voluminibus diſtinctos Notarios & Scribas, qui omnia mundè & fideliter referant in acta.*

4 *Et quia magna voluminum copia oritur in tanta rerum varietate; ideò conſtituat peculiares Digeſtores, qui indices faciant tum voluminum, tum contentorum in voluminibus, quales quidem* Regeſtores *& barbarè* Regiſtratores *vocantur.*

5 *Volumina & acta regni accurate conſeruari curet peculiari ad eam rem, & contra incendia optimè munito domicilio, quod* Archiuum *vocamus.*

Communes libri ſunt illi, qui non pertinent ad res regni, ſed ab aliis autoribus de variis reb. ad ſapientiam & prudentiam pertinentibus, ſcripti ſunt.

De his ſunt hi Canones:

1 *Princeps in metropoli ſua inſtruat eximiam Bibliothecam, & non tantum in metropoli, ſed & per alias vrbes præcipuas, pro circumſtantia hominum & locorum.*

Cum libri ſint inſtrumenta proxima & diuinitus data ad ſapientiam prudentiamq; in genere humano propagandam & cōſeruandam, & v. per prudentiam regna ſtent; idcircò inter curas

principis, eaſque non poſtremas debet eſſe cura inſtructiſſimæ Bibliothecæ, quam curam maximi reges & principes ab omni æuo ſuſceperunt, ſicuti fideliter monet Franc. Patricius libr. 8. De rep. tit. 15. vbi inquit: *Non eſt permittendum, vt ciues noſtri tanto munere, nempe Bibliotheca fraudentur.*

2 *Colligat autem princeps libros ſelectiores in omni diſciplina, eosq; tam typis excuſos, quam manu ſcriptos.*

3 *Certos reditus annuos in eam rem ordinet, vt noui libri poſſint coëmi.*

Bibliothecæ extructæ eſſe debent ad Orientem, propterea quod lectio oculorum aciem hebetet, & propterea multum lucis requirat.

4 *Locum etiam eligat bibliothecæ talem, qui aëri recenti pateat, & conſtituat bibliothecarium, qui omnia rectè diſponat.*

De loco bibliothecæ, deque aliis ad eam rem pertinentibus, videatur Patric. dict. loc. Caſtell. lib. 3. parte 2. c. 15. Toloſ. lib. 16. c. 7. 8. 9.

Tantum de libris: Res aliæ ſapientiam humanam alentes, ſunt tũ naturales, tum artificiales.

Naturales res ſunt mira illa, præſertim exotica, quę reperiuntur in reb. naturalibus, nempe in foſſilibus, lapidib. gemmis, plantis, animalibus, de quib. Canon eſt:

Valdè hoc ornat principem ſi ſtudioſus ſit rerum in natura mirabilium, & curet ſibi ex Indiis & aliis locis remotiſſimis eiuſmodi naturæ miracula aduehi, eaq; peculiari domicilio diſponi, quod θαυματοταμεῖον, vel ἐξωτικοταμεῖον, poteſt appellari.

Vocant Archiua [a] antiquitatum, non q. tantũ antiqua ibi aſſeruantur, ſed omnis generis exotica;

ca; quale Exoticotameîon habet inprimis celebre magnus dux Florentiæ.

a *Habet etiam archiua antiquitatum*, ſolch eine antiquitet Kammer Landtgrauius Haſſiæ Mauritius, *item Baſileæ Medicus quidam & Philoſophus doctiſſimus & ditiſſimus*, Felix Platerus. *Item Dantiſci, magnificus Conſul* Bartholomæus Schachmannus; *de quo ſcripſit* Georgius Duſa *egregius iuuenis (qui ante paucos annos obiit ingenti cum dolore multorum doctiſſimorum virorum) in itinerario, quod ſcripſit de itinere ſuo ex Belgio Conſtantinopolin, & Cõſtantinopoli Dantiſcum; in quo refert, quod in toto itinere ſuo nihil viderit mirabilius quam huius Domini Schachmanni* ἐξωτικοταμεῖον.

Rerum mirarum artificialium aſſeruatio habet hunc Canonem:

Opera mira & excellentia artificum, inter quæ inprimis eminent picturæ, tabulæ Geographicæ, ſculpturæ & machinæ paruæ ſingulares, eaq; tam antiqua quam noua, princeps etiam peculiari loco condat, non tantum vt ſe poſſit iis oblectare, ſed etiam vt artifices in regno ſuo inde poſſint exemplaria capere.

Ita multum iuuant Phyſica ſtudioſos, ſi ea quæ in Phyſicis legunt & audiunt, corám poſſint intueri & contemplari

---

CAPVT XXI.

De reditibus principis.

FVerunt res mobiles inſtrumentariæ, quas ita diſtinctionis cauſſa vocauimus: ſequitur res pecuniaria, ſiue reditus principis; de quibus ſunt ſpectandi hi Canones generales:

1 *Redituum regni cura vſq; adeò ad principem pertinet, vt eam Politici numerent inter iura Maieſtatis.*

2 *Quia regnum ſine reditibus eſt velut corpus humanum ſine brachiis; ideo omnibus modis laborandum eſt, vt princeps ſit inſtructus omni neceſſario ſumptu, qui pertineat ad regendum, ad iudicandum, ad defendendum, ad exornandum & amplificandum, atq; adeò qui non publicis tantum, ſed priuatis etiam vſibus principis ſufficiat.*

De hac ardua quæſtione, cuius ſupra etiã meminimus, *An publicum principis ærarium debeat eſſe valdè inſtructum*, videatur autor Antimach. libro 3. theor. 32. Nos breuiter controuerſiam in Canone determinamus; quod omninò oporteat eſſe proportionem inter reditus principis, & inter eius curas, atque adeò quod tam ſufficientes reditus eius eſſe oporteat, quam variæ & multiplices ſunt eius curæ; cum reditus ſint nihil aliud, quã inſtrumenta regiminis, iudiciorum, defenſionis, exornationis & amplificationis, quæ omnis cura principi incumbit.

Cura redituum principis diſtinguitur in duas partes; quarum prior eſt collectio, ſiue acquiſitio redituum; poſterior, eſt diſpenſatio eorundem.

Circa collectionem & acquiſitionem redituum conſideranda nobis ſunt iſta 4: 1, modus & media redituum colligendorum; 2, redituum aſſeruatio; 3, redituum diſtinctio in diuerſos vſus; & deniq; 4, adminiſtri, per quos iſta poſſint rectè adminiſtrari.

Quod ergò ad modũ, ſiue ad media attinet, dupli-

dupliciter reditus acquiruntur, nempe vel naturaliter vel ciuiliter.

Naturalis modus colligendorum redituum eſt, qui fit per eas res, quas natura producit, ſiue ſint res ſupra terram, vt ex agris, ex vineis, ex ſyluis; ſiue res intra terram, vt ſunt reditus ex aurifodinis, argenti, ferri, æris fodinis, &c. item ex ſalinis.

Ciuilis modus eſt, qui fit per media ciuilia & artificialia.

Hic modus conſideratur vel in genere, vel in ſpecie.

In genere conſideratus modus ciuilis eſt, qui verſatur circa curam monetæ, ſiue numiſmatis.

Cura monetæ pertinet vel ad monetam procudendam; vel ad ſignandam; vel deniq; ad eius integritatem conſeruandam.

De cura cudendæ monetæ, ſunt hi Canones:

1 *Ius cudendæ monetæ nemini permitti debet, niſi ſoli principi; quia eſt ſpecies iuris maieſtatis.*

Bodinus & alii politici omnes, inter iura maieſtatis numerant Ius cudendæ monetæ. Cum ergo ius maieſtatis nulli ſubditorum competat, etiam ius monetæ cudendæ ſubdito nulli permittendum eſt: Et ſi permittatur, multa incommoda inde ſequuntur, quod hodierna experientia teſtatur. Et ſanè nulla in re tanta populi Rom.

aut ſolertia extitit, aut in propaganda ad omnem poſteritatem memoria ambitio, quanta in ſola re nummaria, inquit clariſſ. *Marquardus Freherus* lib. 1. de re monetaria, c. 1. Melanchthonis ſapientiſſimum monitum ac vaticiniũ memini aliquando me recitare, quo dixit, *Tria mundo defutura aliquando*; nempe, *ligna, bonam monetam & bonos amicos*. Illud de bona moneta ſatis ſuperque experimur, & iudicant ſic prudentiſſimi quiq; viri magnarum mutationum in rebuſp. præſagia eſſe inſolitam iſtam monetę mutationem & augmentationem, quæ hodie animaduertitur.

2 *Materia monetæ autoritate publicâ principis eligi debet, cum certo pondere.*

3 *Ratio miſcendæ materiæ, & taxandæ etiam à principe pendere debet.*

Quia varia eſt ratio miſcendorum metallorum, ideo princeps certos homines conſtituere debet, qui rei metallicæ periti ſint, & materiam aptè poſſint miſcere. Non negligendum eſt quod commemoratur in libello quodam, continente hiſtorias tranſmutationis metallicæ, Venetos ſecretos modos habere metallorum ad rẽ metallariam præparandorum, ita vt ſub grauiſſima pœna prohibitum ſit, ne monetarius, ſiue curſor numiſmatis quęrat vndę veniat metallũ quod in officinam eius à Senatu affertur. Cæterum de miſcenda materia monetæ, deq; eius taxa, inprimis legi debent cõſtitutiones imperii Rom. quas alii populi in hac re imitantur.

Habet etiam aliquid de moneta Molinæus in tract. de vſuris

4 *Monetarium princeps habeat peritum & fidelem, eiusq; officinam curet frequenter viſitari.*

5 *Probatio & æſtimatio monetæ non ſit penes ſub-
ditos*

ditos, ſed penes ſolum principem; nam ſi monetæ certa & conſtans ratio inter vicinos populos non eſt, vſus commerciorum retineri non poteſt, & incertum monetæ publicæ precium omnia perturbat, difficilemque cum aliis communicationem reddit.

De ſignatione monetæ Canon eſt:

Princeps certis characteribus & inſcriptione ac imagine ſua monetam ſignet.

De ſignatione monetæ vide Toloſ. lib 36. ſyntagma. iur. c. 2. & lib. 2. & lib. 9. de rep. c. 1. Bod. lib. 1. de rep. c. vlt.

De integritate monetæ, ſunt hi Canones:

1 *Mutatio valoris in moneta, vt à ſolo principe pendet, ita non ad priuatum aliquod lucrum, ſed ſolummodo ad ſalutem & neceſſitatem reip. referri debet.*

Vide Toloſ. d. lib. 9. c. 1. Gabriel Biel ſcripſit librum de monetis, in quo proponit dubium; *An princeps poſſit habere lucrum ex moneta, conſtituendo maiorem valorem monetæ quam reuera valeat eius materia:* & reſpondet, *quod in vno tantum caſu princeps poſſit quærere lucrum ex moneta;* nempe *quando princeps eget ſubſidio pro defenſione reipu.* Vide latius pag. 40. dicti libelli.

2 *Adulteratores monetæ grauiſſimis pœnis coerceat princeps, vt & eos qui deſcalpendo, rodendo, vel in orbem attondendo numiſma publicè ſignatum violant.*

Moneta publica probata fit etiam mentio Gen. 23. v. 16.

Vide Freherum d. lib. pag. 33.

3 *Peregrinam monetam princeps non facilè permittat valere in ſua ditione, niſi adſit aliqua*

neceſſitas; nam alias cum peregrinæ monetæ valore etiam peregrini mores & peregrini domini in ditiones attrahuntur.

Atque hæc quidem de moneta ſufficiant hoc loco. Legant Polit. ſtudioſi in hac tam neceſſaria materia, eum, quem citaui præſtantem libr. *Freheri*, cui additus eſt liber Nicolai Oreſinii de origine & iure, deque mutationibus monetarum. Illud tantum pro concluſione moneo, quod exiſtimē peculiarē diſciplinam hîc ſubordinari diſciplinæ Politicæ, quę *Monetaria* poteſt vocari, in qua nempe plena & larga methodo tractandum fuerit de materia, deq; forma monetæ, atq; adeo de operis monetariorum.

Oreſinius fuit Epiſcopus, Philoſophus & Theolog. inſignis Caroli V. Præceptor.

Reditus in ſpecie conſiderati, ſunt vel directi vel indirecti.

Directi reditus ſunt, quos colligit princeps modis directis.

Directus reditus iterum eſt vel ordinarius, vel extraordinarius.

Ordinarius iterum eſt vel maior vel minor.

Maior reditus, eſt vel vectigal, vel exactio.

Vectigal eſt vel à mercibus, vel ab iis quæ ſunt circa merces, nempe hominibus, equis, curribus, nauibus.

Eſt ergo vectigal vel nauticum vel vectorium.

Vectigal nauticum eſt, quod ex re nautica capitur, ſiue ex iis mercibus quæ aquâ aduehūtur.

Vecti-

Vectigal vectorium eſt, quod capitur ex iis, quæ terra vel curru aduehuntur.

Eſt & vectigal aliud intraneum, aliud extraneum.

Intraneum eſt, quod exigitur à ciuibus ipſis.

Extraneum, ſiue peregrinum eſt, quod à peregrinis exigitur.

De his omnibus vectigalium, ſiue teloniorum ſpeciebus, ſunt hi Canones:

1 *Magiſtratus ſit æquus in exigendis vectigalibus, ne negotiatores à ſua ditione abſterreat iniqua teloniorum impoſitione.*

2 *Præfectos teloniorum pro ſingulis eorum ſpeciebus diſtinctos ordinet; & conſtituat inſpectorem teloniorum generalem, qui reliquos exactores & publicanos in officio contineat.*

3 *Pœnas præteruecti ac violati telonii ſtrictas quidem conſtituat, ſed non nimis acerbas.*

4 *Locum pro exigendis teloniis proque pecunia vectigali aſſeruanda, oportunum & idoneum ordinet.*

Sic de vectigalibus; ſequitur Exactio, ſiue tributum, quod eſt reale munus præſtitum patrimonii collatione, ita vt ſubditi ex poſſeſſionibus ſuis aliquid in reipubl. vſus conuertant & conferant: vnde & Collatio *Latinis dicitur.*

Munus diſtinguitur Politicis & Iuriſconſultis in perſonale & reale. Perſonale munus, ſiue onus vocatur labor, ſiue opera, quam ſubditi præſtant principi ſuo. de quo munere infra agetur, in do-

ctrina de ſubditorum officio. Reale autē munus appellatur vel pecunia, vel alia aliqua res, quam ſubditus principi contribuit in vſum reip. de quo munere hoc loco tractatur.

Canones de exactione ſunt hi ſequentes:

1 *Vt ſubditi non debent principi exactionem recuſare propter reip. vſum; ita princeps in exigendis tributis non debet eſſe nimius; ſiquidem per nimias exactiones prouinciæ redduntur deſertæ, & princeps ſe odioſum atque inuiſum reddit.*

Vide Dan.3.Pol c.3. Tol.lib.3.c.9. Lipſ.libr.4. c.11. Althuſ. c.8. Pol.

2 *Illa exactio habetur pro leui, quæ iuſtum habet modum æſtimationis: nam princeps ſuo quidem arbitrio poteſt tributa ſubditis imponere, ſed arbitrio duobus modis metiendo; quorum prior eſt facultas ſubditorum; 2, vſus, ſiue neceſſitas reipublicæ.*

3 *Leuis cenſetur illa collatio, quâ quis annuatim confert tantum, quantum vno die in victum ſuum & familiæ ſuæ impendere ſolet, quæque fit paulatim & per partes diſtinctis temporum interuallis; quæ diſtinctio valdè releuat tenuiores: & denique quæ exigitur ab æquis & moderatis exactoribus.*

4 *Collatio exigenda & facienda eſt ex illis rebus, quæ minus nocere poſſunt pauperibus, id eſt, non ex iis, quæ ad victum quotidianum ac facilem pertinent, ſed quæ ſeruiunt voluptati, deliciis, ſplendori & magnificentiæ, vt ſunt horti, porticus, xyſti, pocula aurea, & argentea, veſtes ſplendidæ, conuiuia*

& nu-

& nuptiæ luxurioſæ, acquiſitio nobilitatis, atque alia eiuſmodi, quæ titulo lucratiuo acquiruntur.

Vide Toloſ.lib.3. de rep.c.6.&Althuſium dicto cap.8.Polit.

Partes collationis ſunt tres: Profeſſio, Deſcriptio & Adæratio.

Profeſſio eſt, quâ poſſeſſionum, ſiue patrimonii, & inde nominis noſtri fit denuntiatio & teſtificatio; ad quam etiam pertinet indicatio familiæ, ſi ea à magiſtratu poſtuletur.

Sic Luc.2.Ioſephus & Maria faciunt profeſſionem nominis ac familiæ ſuæ.

Deſcriptio eſt, quâ ſingularum perſonarum, quæ aliquid conferunt, & rei etiam quam conferunt nomen, modus & forma ſecundum factam adærationem in tabulis publicis deſcribitur.

Vide Toloſan. lib.3.c.4. Bodin.lib.6.c.1.

Canon de deſcriptione eſt:

In deſcriptionibus non tantùm nomina, ſed & ætas, ordo & conditio ac numerus ſubditorum, atque adeo reip. potentia cognoſci poteſt a magiſtratu; idcircò in ſecreto tabulæ deſcriptionis ſeruari debent; ne innoteſcat extraneis iſta reipublicæ deſcriptio.

Vide Toloſ.& Bod.dictis locis.

Adæratio eſt taxatio, ſiue æſtimatio patrimonii, & poſſeſſionũ, quas ii habent, qui aliquid

conferunt; æſtimatio, inquam, facta pro ratione, portione & quantitate ea, qua quis bona tenet.

Canon de adæratione eſt:

Quia princeps per adærationem vires & opes ſuas poteſt cognoſcere, & ſecundum eas ſe metiri, ideo in hanc rem maximâ curâ incumbat, vt ordinet peritos ac fideles inſpectores, ſiue Peræquatores, qui poſſeſſiones ſubdiotrum accuratè deſcriptas & æſtimatas habeant in tabulis publicis.

Vide Bod. dict. c. 1. lib. 6.

Porrò collatio eſt vel ex immobilibus, vel mobilibus.

Collatio ex immobilibus eſt, quando aliquid principi datur ex fundis, prædiis, agris, ædificiis.

De hac ſunt Canones:

1 *Qui fundos habent fertiles, opimos ac quæſtuoſos, ſupplere debent defectum eorum, qui poſſident fundos ſteriles; atque ideo tantum non poſſunt conferre, quantum illi.*

Huius defectus ſupplementum Græci vocant ἐπιβολήν. de qua vide Nouellam 128. & 168.

2 *Habeat princeps certos ac peritos viros, qui ſingulorum ſubditorum bona immobilia, præſertim vero fundos & prædia in tabulis deſcripta habeant, nō tantū quo ad nomen & ad ſitū, ſed in primis quoad qualitatem, ſiue quoad fertilitatem & ſterilitatem, vt poſſit recta fieri ἐπιβολή. ſiue adæquatio; & ſi opus ſit, taxa, emendentur & releuentur illi, quorum fundis grauior eſt aſcripta collatio; contra grauentur*

tur ii, quorum bona, ſiue fundi fertiliores, leuius ſunt cenſita & adærata.

Fuit hoc prudens inſtitutum Roman. de quo vide Liu. lib. 4. Plutarch. in Cat. Mai. & Bod. dict. lib. 6. cap. 1.

3 *Penſio quæ ex frumentis magiſtratui datur, appellatur* Canon frumentarius, *qui deferendus eſt in horrea reipub. & plerunque eſt pars decima prouentuum, ſiue frugum; ſi vero ex metallis penſio fiat, vocatur Canon metallicus, & defertur in officinam monetariam reip.*

4 *Hodie receptum eſt, vt ſubditi ratione territorii, magiſtratui aliquid ex bonis, quæ in territorio vendunt, ſiue alienant, ad reipub. vſus contribuant, nempe decimam precii, quod inde capiunt, partem; Germani vocant* die Nachſteure.

In quibuſdam region. etiam peregrinorũ hæreditates & legata, ſiue bona publico fiſco cedũt, vel in totum, vel ex parte; de cuius inſtituti æquitate diſputatur à Bod. lib. 6. c. 1.

5 *Ab ædificiis aut partibus ædificiorũ, quod magiſtratui penditur, id ea ratione optimè exigetur; ſi in albo publico fiat deſcriptio omnium & ſingulorum ædificiorum, in omnibus vrbib. & pagis; quæ deſcriptio etiam alios multos vſus reip. præſtare poteſt. Germani talem librum vocant* das Erbbuch.

6 *Exactio, ſiue tributum, quod ab iis qui in reip. fundo ædificarunt, quotannis ſoluitur, peculiari voce Latinis dicitur* Salariũ; *Germanis,* Grundzinſe.

Vide *tit. C.* 70. *lib.* 11. *de diuerſitate prædiorũ vrb. & ruſt.*

7 *Ex molendinis, furnis, clibanis peculiariter pendi etiam aliquid ſolet.*

Vide Toloſ.lib.2.c.2.& 6.

Collatio, ſiue tributum ex bonis mobilibus eſt, quando annuatim pro æſtimatione patrimonii & bonorum ſuorum principi aliquid penditur in numerata pecunia, aut aliis rebus mobilibus.

De hac collatione Canon eſt:

Hæc collatio vocatur propriè cenſus & æſtimatio patrimonii, *quæ non niſi ciuibus & regnicolis in territorio regni imponi poteſt, aut augeri vel minui, pro quantitate ac qualitate patrimonii ac bonorum.*

Vide Bod.lib.6.c.2.Tol.lib.3 c.9.

Et ſic de maiori reditu: Minor reditus eſt vel reſpectu viuentium; vel reſpectu mortuorum.

Reſpectu viuentium reditus eſt 1, ex mulctis, 2, ex bonis confiſcatis, ſiue publicatis; 3, ex bonis ereptitiis.

Reſpectu mortuorum reditus ſunt; 1, ex vacantiis; 2, ex bonis caducis, id eſt, ex hæreditate eorum, qui ſine heredibus obierunt; talis enim hereditas principi cedit; 3, ex legatis reipubl. factis.

Tantum de ordinariis reditibus: Extraordinarii reditus ſunt, quos capit princeps extraordinariis & rarioribus viis.

Extraordinar. reditus eſt vel magis ex parte

tæ principis; vel magis ex parte ſubdito-rum.

Extraordinarius reditus ex parte principis eſt, vel ex accretione; vel ex matrimonio; vel ex hæreditate; vel ex donatione; vel denique ex iure belli.

Extraordinarius reditus ex accretione eſt, quando vel alluuione aquarum, vel aliis modis per naturam contingentibus aliquid principi accreſcit.

Reditus extraordinarius per matrimonium eſt, quando iure dotis aliquid ad reditus & potentiam principis accedit.

De hoc reditu Canon eſt:

Princeps operam det, vt in matrimonio contrahendo eiuſmodi dotem acquirat, quæ poſſit ſuo regno prodeſſe, & idcirco etiam coniugi ſuæ tale viduatus legatum conſtituat, ex quo non euidens detrimentum ſentiat vniuerſum regnum. Germani vocant, ein Leibgedinge.

Extraordinar. reditus per hæreditatem eſt, quando princeps auget reditus ſui regni, adeundo hæreditatem, vel vt naturalis heres, vel vt adoptiuus.

Extraordin. reditus per donationem & largitionem, quãdo augetur principis ærarium largitate aliorum principum, vel etiam ſociorum & confœderatorum.

Extr. red. ex iure belli eſt, cum princeps legitimo bello ſuos reditus amplificat.

Extraord. red. reſpectu ſubditorum dicitur *Collatio*, ſiue *Contributio extraordinaria*; De qua ſunt hi Canones;

1 *Extraordinaria contributio non niſi in præſente neceſſitate regni imponenda eſt ſubditis.*

2 *Extraordinaria contributio tantum ſit ex iis bonis, quæ quis in ſuo regno poſſidet, non vero ex iis, quæ habet extra regnum.*

Vide cap. 23. 2. Regum, & cap. 9. Althuſ.

3 *Extraordinar. contributio non debet extendi vltra duplicationem cenſus annui, niſi forte ſumma & extrema neceſſitas reip. vrgeat.*

Vide Althuſium ſub finem cap. 10. ex Menochio.

4 *Extraordinariarũ contributionum varii modi, & obiecta pro varietate circumſtantiarum excogitari poſſunt.*

Quam varia & multiplex apud Roman. fuerit extraordinariarum contributionum ratio, vide apud Toloſan. lib. 3. c. 5. & 6. apud Bod. lib. 6. c. 2. & ex his apud Althuſ. c. 9.

Extraordinaria contributio præcipuè triplex eſt: nempe Iugatio, Capitatio & Hoſpitatio.

Iugatio eſt contributio extraordinaria pro magnitudine, numero, & qualitate poſſeſſionum & iugerum agri (vnde & nomen habet) impoſita & indicta, vt nempe qui plura prædia & agros

poſſidet,

poſſidet, plus etiam conferat ad publicas neceſſitates.

Vide Tol. dict. lib. 3. cap. 5. & Bod. proximè cit. libro & cap.

Capitatio Græcis ἐπικεφαλία *eſt, contributio extraordinaria, quæ viritim in ſingula perſonarum capita conſtituitur, ita vt capita, ſiue perſonæ numerentur non inſpecta patrimonii quantitate, quæ &* capitalis illatio *dicitur.*

Vide Gell. lib. 16. c. 10. Bod. lib. 6. c. 7.

De hac capitatione Canon eſt;

Hodie eiuſmodi capitatio vſitata eſt, qua non tantum hominum capita, nec tantum marium, ſed & fœminarum; nec tantum herorum, ſed etiam ſeruorum; deniq; non tantum hominum, ſed etiam ſingula beſtiarum cenſentur certa proportione, ita vt ſi mas duos groſſos pendat, fœmina pendat vnum, ſeruus ſi minus, beſtia adhuc minus.

Vide de tali capitatione hodie vſitata Toloſan. lib. 3. c. 5.

Hoſpitatio, eſt exactio extraordinaria, cum ſubditi hoſpitium præbere coguntur militibus vel aliis perſonis, ad principem pertinentibus.

De hac ſunt Canones;

1 *Princeps ne crebris hoſpitiis grauet ſubditos ſuos.*

2 *Nomen hoſpitaturi poſtibus vel foribus domus aſcribitur, per perſonam publicam, nempe metato-*

rem den Furierer; *quod nomen ſub pœna falſi non eſt delendum.*

Vide *tit. C. de metatione.*

3 *Precia quib. ſe ciues interdum rediment ab onere hoſpitum recipiendorum, vocantur* Epidemica.

Vide *Nouel.* 129.

Nomen Paraſangarum eſt Perſicum.

4 *Ad hoſpitationem pertinent Paraſangæ, id eſt, curſorum & equorum, quibus illi vtuntur, ſtationes, certis locis noctu diuq; diſpoſitæ, item Angariæ & Parangariæ, id eſt, ea onera, quæ ſubditi ſuſtinent propter veredarios, & curſores publicos. Germanicè* die Poſt.

Vide *l. 2. C. de præpoſitis ſacri cubiculi lib.* 12.

Sortilegia illa non ſunt concedenda perſonis priuatis, vt nẽpe illi diteſcãt nonnullorum hominum detrimento; ſed à publicis perſonis omninò à magiſtratu conſtitui, vt lucrum illud cedat in cõmodum noſodochiorũ.

5 *Quia valdè neceſſarium eſt principem ſuos habere veloces curſores & veredarios, ſiue* Poſtas, *vt vocant hodiè; & quia id inſtitutum coniunctũ eſt cum publica regni ſalute, ideo ſubditi libenter illud onus & iſtud genus hoſpitationis etiam perpetuo ſuſtinere debent.*

Tantum de modo collectionis redituum directo: Indirectus modus eſt, quando magiſtratus non expreſsè exigit aliquid à ſubditis, ſed indirecta quadam arte aliquid accipit, durch zugelaſſene rencke.

De hoc modo indirecto Canon eſt:

Sæpè ſunt ea circumſtantiæ temporum & perſonarum, vt pro vſu publico colligi aliquid poſſit modo potius indirecto, quam directo. Ad quem modum indirectum pertinet is, quo Belgæ vtuntur, quando nempe ad colligendos reditus pro pauperibus inſtituunt

unt publicas ſortes, ſiue ſortilegia, offentliche lotterey, *& lucrum quod ex illis ſortilegiis capiunt, conferunt ad noſodochia ædificanda, eorumque reditus inſtituendos.*

Et tantum etiam de variis mediis & modis colligendorum redituum publicorum: Diſtinctio redituum ratione vſus habet hunc Canonem:

Vtile & neceßarium eſt, vt non tantum colligantur reditus, ſed collecti etiam diſtinguantur, & ordinentur quidem alii ad vſus pacis, alii ad vſus belli, alii ad alios: ita vt diſtincta pecunia ſumma diſtinctos habeat fines in republica.

Talis diſtinctio redituum fuit apud Roman. qui tria genera redituum, atque adeo tria æraria habebant; vnum commune; alterum ſanctius; tertium bellicum; in quo cum initio tantum aſſeruaretur pecunia belli Gallici, poſtea ab Auguſto latius fuit extenſum, & *ærarium militare* dictum. Vide Toloſ. lib. 3. c. 3. Hodie eiuſmodi diſtinctionem retineri adhuc in Galliis & apud Venetos teſtatur Danæus lib. 3. c. 3. vbi hoc inſtitutum planè laudat.

Sequitur aſſeruatio redituum collectorum & diſtinctorum: in qua aßeruatione duo ſunt ſpectanda: Fides & Locus.

De fide aſſeruationis hic eſt Canon:

Princeps ipſe aſſeruet publicos reditus, & homines fideles conſtituat, qui iſtius cuſtodiæ curam gerant; atque adeo ſuam curam principis cura adiungant.

De loco aſſeruationis ſunt hi Canones;

1 *Locus & inſtrumenta quibus aſſeruantur publici reditus, debent eſſe ad ipſam regiam principis, atq; adeo in metropoli principatus.*

2 *Locus in quo aſſeruantur reditus vnà cum ipſis reditibus, vocatur* Fiſcus, *item* Ærarium, *item* Theſaurus reipub.

De reip. Theſauro & ærario, vide Toloſ. lib. 3. c. 3. c. 8. c. 9. vt & lib. 2. c. 8.

3 *Conſultum eſt, quo aurum & argentum reipu. tutius poſſit aſſeruari, præſertim ſi non ita citò ſit erogandum, vt illud aurum vel argentum liquefactum & confuſum confletur in lateres, vel laminas potius, quàm vt ſeruetur moneta cuſa.*

Rationes huius polit. conſilii vide apud Toloſ. d. c. 3. l. 3.

Sequuntur Adminiſtri redituum publicorũ, qui ſunt vel Primarii vel ſecundarii.

Primarius miniſter eſt vel ſuperior vel inferior.

Superior eſt Theſaurarius regni, ſiue principatus.

Inferior eſt tum collector, tum quæſtor & rationarius, qui Diſcuſſor *in iure Rom. vocatur. Græcis* λογοθέτης *dicitur.*

Vide *l. vlt. C. de diſcuſſoribus.*

Secundarius adminiſter eſt vel vniuerſalior, vel particularior.

Vniuerſalior eſt omnis is, quo Theſaurarius & Quæſtor vtitur in reditu͂u collectione & ratione, ſiue calculis. Par-

Particularis dicitur Fiſcalis, *quo princeps vtitur in colligendis mulctis, in bonis caducis & ſimilibus.*

Supereſt Diſpenſatio redituum collectorum, de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps non temerè aliquid eroget ex ærario publico.*

2 *Non parcat tamen ærario princeps, quoties vſus reip. poſtulat; ſiquidem eo fine colliguntur reditus, vt reſp. gubernetur, defendatur, amplificetur, ornetur.*

3 *Cum ſtipendia publica ſunt ſoluenda vel militibus, vel Conſiliariis, vel viris doctis, vel excellētibus artificibus, qui publicam operam præſtant, non parcat ærario princeps.*

Vide Toloſ. lib. 18. cap. 4. vbi docet principem honeſtiſſima honoraria, inprimis viris doctis perſoluere debere ex ærario publico.

Et huc vſque de rebus extra hominem: ſequuntur circumſtantiæ rerum extra hominem, quas princeps obſeruare tenetur, vt ſunt loca & tempora.

Loca ſunt vel naturalia vel artificialia.

Loca naturalia ſunt vel vniuerſalia, vel particularia.

Loca vniuerſalia ſunt viæ publicæ, de quib. eſt Canon:

Princeps curet refici & reparari vias publicas, vt itinera in ipſius ditione ſint plana, peruia, commoda, quibus equis & curribus importari & ex-

portari quæuis poſſint. Vt etiam qualibet itinera & viæ ſunt nota, ſtatuat Mercuriales quaſdam ſtatuas, ſiue brachia, vt hodiè in vſu eſt, atq; hos indices itinerum iubeat eſſe inuiolatos.

Particularia loca naturalia ſunt limites regni, ſiue ditionis, quorum curam etiam habere debet, ne quid contra reip. vſum in iis fiat, vtq; limites rectè ſint diſtincti à vicinorum principum limitibus.

Diligentiſſimam curam limitum habendam eſſe, ipſa ratio ſuadet, cum nempe & exitus & introitus regni, atq; adeò ipſa regni definitio, ſiue circumſcriptio ab ipſis pendeat. Quod cum intelligerent Rom. Imper. conſtituerunt peculiaré dignitatem & magiſtratum Marchionum [a] ſiue Comitum limitaneorum, qui limitum quos olim Germani Marck/ vocabant, regundorũ curã gererent, atq; adeò ad quos etiam ſubditorum, vt quidem iudico, de priuatis limitibus controuerſiæ deferri poſſent, ſicut hodiè in regno Poloniæ *Subcamerariorum* hoc eſt munus, vt iudicent de controuerſiis finium ſiue limitum.

[a] *Fortè Marchiones dicti ſunt illi ab Imperatore Rom. cõſtituti principes, non propterea tantum quod curam ſaltem limitum agerent, eosq; à vicinarum gentium incurſionibus defenderent; verum etiam, quia de omnib. limitum controuerſiis iudicarent, ſiue ius dicerent. Grave. n. idẽ eſt, quod* iudex, *à Grâven, quod idẽ ſignificat quod iudicare, apud antiquos Germ. Diſtinguuntur autẽ ita* Marchio *&* Landgrauius, *q hic ſit generalis iudex terreſtris, qui de omnibus regni controuerſiis iudicet. Ille v. iudex particularis, qui ſaltem de regni limitibus & terminis.*

Loca artificialia ſunt vel viæ ſtratæ, vel pontes.

Viæ

Viæ ſtratæ ſunt, vel in vrbibus, vel extra vrbes.

Viæ [b] *ſtratæ in vrbib. vſitatè vocantur* Plateæ, *quas integras & mundas magiſtratus eſſe curet, & per idoneos homines ſubinde refici.*

b *Romani olim fuerunt ſtudioſiſſimi viarum publicarum, id quod apparet ex via Appia, quæ aliquot dierum itinere protenditur, cuius veſtigia adhuc viſuntur in Italia; quæ via ita eſt plana, & ita arctè compacta vt q. luto conficta eſſe videatur. Et faciunt quidem bonæ viæ & ſtratæ non ſaltem ad vtilitatem reip. vt ſc. commodè importari exportarique neceſſaria poſſint, ſed etiã ad ornatum ciuitatis. Cur v. hic Dantiſci plateæ non ita mundæ poſſint ſeruari, vt Lipſiæ, Vratislauiæ & Noribergæ atque Argentinæ, hoc fit propter copiam ingentium curruum molarium, & aliorum, &c.*

Extra vrbem viæ ſtratæ eo loco eſſe debent, qui eſt vicinus vrbi; vbi nempe magna eſt frequentia vecturarum, & ſitus alioquin humilis & paluſtris, ita vt via ſi non ſternatur, nimis corrumpi poſſit.

Pontes [c] *magiſtratus etiam curet, tanquam ſine quibus iter inſtitui commodè, & ſine periculo non poteſt.*

Apud Rom. tam accurata cura pontium habebatur, vt iis conſtruendis ac reparandis, ſanctiſſima quæ Romæ erat perſona, præficeretur, & inde etiam nomẽ adipiſceretur, quod *Pontifex* diceretur. Quod alii magiſtratus imitari debent, cũ certum ſit, multos homines & equos perire in ea ditione, vbi pontes non curantur.

c *Cedit etiam in ignominiam principis & reip. ſi pontes non benè curentur; vnde etiam Lithuania malè audit, quod ibidem hæc cura negligatur. vnde etiam in prouerbium*

abiit, Pons Lithuanicus: *nam* Pons Lithuanicus, Ieiunij Germanicum, & Deuotio Italica, *tria hæc nihil valent.*

Et ſic de cura Locorum: ſequitur cura temporum, quæ eſt vel maiorum temporum, vel minorum.

Cura maiorum temporum habet hos Canones:

1 *Summa boni principis cura eſſe debet, vt anni & menſes in anno, ſecundum motum Solis & Lunæ, & aliorum corporum cœleſtium rectè deſcribantur.*

2 *Ad eum vſum princeps alere debet peritos artifices & Aſtronomos, qui temporum diſtinguendorum curam habeant, & Calendaria, ſiue faſtos temporum iuſtos condant, & in publicum edant, vt ſubditi ſcire poſſint annorum menſiumq; ac dierum vera initia, progreſſus ac fines; hoc.n.ſi non fiat, ſumma orietur confuſio omnium actionum & omnium iudiciorum in rep.*

Idcircò inter ſummas virtutes politicas iſta quoq; in I. Cæſare celebratur, quod primum ac princeps factus eſt reip. Rom. temporis diſtinguendi curam ſuſceperit, & ad Calendarium reformandum ſummos ex Ægypto Aſtronomos Romam magno ſumptu aduocauerit.

Videatur in Syſtemate Aſtronomico.

3 *Princeps diſtingui curet dies feſtos à profeſtis.*

Cura minoris temporis, eſt cura horarum, ad quam pertinet cura publicorum horologiorum; de qua ſunt hi Canones;

1 *Prin-*

1 *Princeps peritum hominem præficiat horologiis publicis; ſiquidem omnes actiones hominum in rep. componuntur ad publicum horologium; quod niſi benè gubernetur, magna actionum confuſio oritur.*

Si ſtultus ſit ille qui regit horologium, ſtultè omnes hunc ſtultũ in actionib. ſuis ſequuntur.

Prouerbium eſt apud Germanos, quo Carolus V. vti ſolitus eſt, Wie der Seger gehet/ſo gehet das regiment; q.d. ex recta horologiorum gubernatione, æſtimari quoq; gubernationem reip.

Ein Narr regiert die gantze Stadt.

2 *Campanas, tubas & reliqua temporum indicia, ac proclamationes princeps accuratè curet obſeruari; ſiquidem periculoſus eſſe poteſt in rep. campanarum & tubarum ad ſeditionem abuſus.*

Turcarum Imper. propterea nullam tolerat campanam in ſua ditione, atque adeò nullum horologium publicum, quod exiſtimet campanas eſſe ſeditionum inſtrumenta. Sed non opus foret hac ſollicitudine Turcica, ſi res illæ alioquin vtiliſſimæ rectè à magiſtratu curentur.

Porrò tam res quam circumſtantiæ rerum ſunt vel publicæ, vel priuatæ.

Res, ſiue bona publica, ſunt, quæ ad vſus publicos referuntur.

Canones de publicis reb. ſunt:

1 *Publicorum bonorum tantò maior cura gerenda eſt, quantò ſe latius extendit eorum vſus.*

2 *Publicæ res vel immobiles ſunt, vel mobiles; Immobiles ſunt viæ, portus, littora, ripæ, mare, flumina.*

3 *In rebus immobilibus publicis tantum permittat magiſtratus ſubditis, quantum vſus reip. permittit, atque adeò ſinat* [a] *venari, piſcari, aucupari*

in bonis publicis tam diu, quam diu nihil decedit reip.

a *Ponitur hic Canon propter controuerſiam eam, quæ ſolet moueri à Politicis:* Vtrum etiã liceat cuilibet in publicis bonis piſcari, venari, aucupari; *& cum nonnulli dicant id omninò licere omnibus; propterea nempe quod ſint naturalia, quæ ſunt omnibus communia, reſpondetur in Canone id licere* quamdiu reip. nihil decedit, & propterea quod ſint naturalia maxime amare ordinem; *ordinem a. iſtum eſſe bonam inſtitutionem & cõceſſionem quoad, ſiue quouſq; licebit perſonis priuatis ex publico lucrari.*

4 *Bona fiſcalia vocantur ea, quæ ratione dignitatis ac poteſtatis principi ad commodiorem reip. vel regni gubernationem à ſubditis, ſiue regnicolis ſunt data.*

Vide Tol. lib. 3. c. 8. & Hottom. in quæſt. illuſt. quæſt. 1.

Priuatæ res ſunt, quæ priuatis vſibus ſeruiunt.

Sunt etiam res & rerum circumſtantiæ in regno vel ſacræ vel profanæ.

Res ſacræ ſunt vel ratione vſus, vel ratione priuilegii ſpecialis.

Res ſacræ ratione vſus ſunt, quæ ad cultum diuinum, vel cultui diuino vicinos conſecratæ ſunt, vt ſunt res deſtinatæ templis, ſcholis, item miſerabilibus perſonis.

De his Canon eſt:

Princeps iure non poteſt res ſacras & bona cultui diuino etiam in genere deſtinata, etiam ea quæ ſuperſtitioſo cultui ſeruiunt, in vſum profanum transferre.

Vide

Vide de hac graui quæſtione, *Utrum princeps poſſit bona uſibus ſacris* [a] *legata & deſtinata, in uſus ciuiles transferre*, Dan. lib.3. c.2.& P.Martyrem ſuper 1.Reg.c.21.

a *Res ſacræ pertinent ad ſtatum & ſcopum reip.eminentiorem & perfectiorem; ideò ad inferiorem retrahi non debent; media.n. perfectiorem finem reſpicientia, non debent abuſiue ad imperfectiorem applicari.*

Res ſacræ propter priuilegia, ſunt res, quæ ob certa iura & ſpecialia priuilegia redditæ ſunt inuiolabiles; quomodo cœmeteria, item mœnia vrbium, dicuntur ſacra & inuiolabilia.

Cur mœnia ſacroſancta olim habita fuerint, vide varias cauſſas in notis Henrici Salmuth ad tractatum Pancirollæ de Pyramidibus.

Res profanæ dicuntur eæ quæ ſacris vſibus non ſunt deſtinatæ, nec priuilegiis ſpecialib. munitæ.

CAPVT XXII.
De cura defenſionis, amplificationis & exornationis.

ABſoluimus magnam doctrinæ Politicæ partem, quæ eſt de cura principis prima, tam principali, quā minus principali. Sequitur cura principis orta, id eſt, talis, quæ primam curam præſupponit.

Cura principis orta etiam eſt vel primaria, vel ſecundaria.

Cura orta primaria, eſt cura Defēſionis

& cuſtodiæ, de qua ſunt hi Canones generales:

1 *Fruſtra ſubditos regni ſui princeps gubernaret & iudicaret; fruſtra etiam de rebus regni diſpenſaret, niſi ſubditos & res regni ſui defenderet & cuſtodiret. Itaq; cum hominum moderatione & diuitiis, cumq; rerum acquiſitione & diſpenſatione defenſio ac cuſtodia debet eſſe coniuncta.*

2 *In eo præcipuè conſiſtit ſimilitudo, & imago boni principis cum Deo; quod ſicut Deus mundum non tantum gubernat, ſed etiam conſeruat & defendit; nec tantum hominibus bona largitur, ſed & mala ab iis auertit, ita quoq; princeps non tantum benè regere ſuos ſubditos cupiat, ſed etiam eos defendere & mala quæq; ab iis auertere.*

In ſumma: Boni principis duo ſunt munia: *Regere* & *Defendere*. Cum ergò de cura regiminis hactenus egerimus, ſequitur vt de altero principis munere, nempe de defenſione & tutela ſubditorum, rerumque omnium in regno pertractemus.

Defenſio & tutela eſt vel vniuerſalis, vel particularis.

Vniuerſalis defenſio & tutela eſt, quæ vniuerſaliter & in genere ſpectat totum regnum, id eſt, tam homines, quam res in regno.

Defenſio vniuerſalis eſt vel contra res inanimatas, vel contra res animatas.

Defenſio contra res inanimatas iterum eſt vel contra res ſubſtantiales, vel contra res accidentales.

Defenſio

Defenſio contra res inanimatas ſubſtantiales, habet hos Canones:

1 *Sunt quædam res naturales, contra quas princeps ſubditos ſuos nullo modo poteſt defendere, ſed quas oportet ſoli Deo & naturæ permittere, vt ſunt imbres, fulmina, impetuoſi venti, grandines, nimii calores, nimia frigora; in quibus caſibus princeps ſubditos ſuos monere debet ad diuinum numen placandum.*

Itaq; valdè ridiculum eſt, quod in hiſtoriis Indicis annotatur & à Lipſ. quoq; in Notis Politic. perſcriptum de rege Iaponiæ, qui ſuis ſubditis iurare cogitur, ſe effecturum vt iuſto tempore pluat, & iuſto iterum tempore ſit ſerenitas, neve imbres, grandines & eiuſmodi alia noceant frugibus.

2 *Sunt v. & aliæ res naturales, à quibus princeps ſubditos ſuos ſi non per omnia, ſaltem aliquatenus ſuâ vigilantiâ & circumſpectione cuſtodire poteſt, vt eſt inundatio aquarum & incendia.*

3 *Contra inundationem aquarum, princeps tēpeſtiuè curet conſtrui aggeres, & alia eiuſmodi munimenta iis in locis, vbi aquarum inundatio metuenda eſt.*

Exemplo ſint Hollandi, qui dudū omnes ſubmerſi eſſent, ni magiſtratus in eam curam vigilantiſſimè incumberet, vt aggeribus & foſſis oportunis maris exundationes auertantur.

4 *Curam defenſionis & cuſtodiæ ab igne & incendio accuratiſſimam gerat; eamque duplicem, quarum prior ſit de incendio præcauendo, altera de reſtinguendo.*

5 *Ad incendia præcauenda inprimis conducit lex de ædificiis non ſtramine, vel aſſeribus, ſed tegulis lateritiis tegendis. Conducunt etiam vigiles nocturni, qui tempeſtiuè moneant de foco, & candelis extinguendis.*

6 *Ad incendia reſtinguenda opus eſt certis conſtitutionibus in rep. & deinde certo apparatu inſtrumentorum, nempe ſcalarum, vrceorum, &c,*

Valdè neceſſaria eſt in Politicis materia de cõſtitutionib. incendiariis, von feuwerordnung/ quales conſtitutiones omni laude digniſſimæ aliquot reſpub. in lucem ediderunt, inprimis Noribergenſis Lipſenſis, & Dantiſcana.

7 *Incendiarios acerbiſſimis pœnis magiſtratus coerceat.*

Cuſtodia contra res inanimatas accidentales eſt defenſio à peſte, à fame, &c. quæ cum etiam ad curam vitæ & valetudinis ſubditorum pertinent, ideò ſupra de ea actum eſt.

Cuſtodia à rebus animatis iterum eſt vel à beſtiis, vel ab hominibus.

Cuſtodia à beſtiis habet hos Canones:

1 *Contra feras, vt ſunt lupi, vrſi, apri, princeps ſubditos ſuos tenetur defendere, tum venatione harum beſtiarum, tum etiam munimentis ædificiorum.*

2 *Sunt etiam quædam beſtiæ, à quibus ſubditos eorumve agros & hortos princeps nulla induſtria poteſt defendere, vt ſunt inſecta, bruchi & id genus alia.*

Cuſto-

Cuſtodia ab hominibus eſt vel interna, vel externa.

Interna cuſtodia eſt à ſeditioſis, à latronibus, à prædonibus, à piratis; contra quos omnes princeps regnum ſuum munire, & vias publicas ſecuras reddere debet.

Externa cuſtodia eſt ab hoſtibus regnum inuadentibus; de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps arces munitas condat, præſertim ad limites regni, & ad portus etiam regni præcipuos, ſi regnum ſit maritimum.*

De arcib. in genere, vtrum nim. aliquæ cōdendæ ſint, diſputat Machiau. prolixè lib. 2. diſcurſ. c. 24. & exiſtimat quidē ille arces plus obeſſe, quam prodeſſe regnis, ſed nulla tamen ratio eius eſt tam efficax, vt diſſuadere debeat id, quod reliqui politici ſuadent; nempe arces ad limites, & ad portus regni munitiſſimas condendas eſſe; ſiquidem ibi ſubditi hoſtium incurſionib. ſint expoſiti, & ſi regio aliqua careat propugnaculis, non poteſt ingreſſu prohibere exteros. nec etiam obſiſtere inſidiis eorum, qui clam principatum inuadunt, & hac ratione facilè omnia vincere poſſunt, & in regno graſſari, ſi aditus regni liber ſit. Qua de re vide Toloſ. lib. 2. c. 5. & Bodin. lib. 5. c. 5. Althuſ. c. 28. Pol.

2 *Nec idcircò tantum propugnacula & arces ad regni limites habendæ ſunt, vt hoſtium incurſiones auertantur; ſed etiam ne ex regno quiuis poſſit effugere, aut ea quæ exportanda non ſunt, exportare.*

Quo nomine felix eſt Anglicana Monarchia, quod nempe ex Anglia tanquam vndique mari cincta,& portub. benè munita,nemo poſſit effugere,nemo pecuniæ ſummam notabilem & alia exportare, quæ rex exportari non vult. Quæ cauſſa eſt, quod præ aliis multis regnis optimâ monetâ etiam id regnum abundet, cum contra ex aliis regnis bona moneta impunè exportetur, & peſſima quæq; importetur, ſicut fit in hoc regno Poloniæ.

Accidit hoc in regno Poloniæ propterea, quia nullæ arces ibidem ſunt ad regni limites, ita vt cuique liberũ ſit quælibet exportare.

3 *Conſultum etiam eſt, vt ciuitates aliquot in regno præclarè munitas, princeps habeat.*

In vtramque partem hæc etiam quæſtio diſceptatur à Politicis. Nonnulli .n. ſentiunt ciuitates vallis, mœnib. foſſis propugnaculis, arcib. nõ eſſe muniendas, propterea,quod hac ratione effœminentur ciuium animi: & afferunt exemplum Spartanæ ciuitatis, quæ ſine muris fuit, & tamẽ fortiſſimè ſeſe defendit. Afferunt etiam auctoritates nonnullorum præſtantium virorum, vt Ageſilai, qui cuidam muros alicuius oppidi validos oſtendenti & roganti: *an pulchri viderentur: Pulchri*, inquit, *per Iouem, ſed in quibus mulieres habitent, non viri.* Et Lycurgus interroganti cuidam: *Cur Sparta expugnari non poßet*; reſpondit, *quia non lateribus, ſed viris cincta eſt.* Phantoides legatus in Aſiam miſſus, oſtendentib. ipſi murũ probè munitum, dixit: *Per Deos, ô hoſpites quam bellum eſt hoc conclaue mulierum*! Sed contrà, rationes ſunt non leues & autoritates dictis autoritatibus firmiores. Nam primò conſiderandum eſt quod Ariſtot. monet 7. Polit. c. 11. reipſa conſutatas eſſe vrbes illas, quæ hanc nuditatem ſibi gloriæ

gloriæ duxerunt, cum tandem confugerint ad præſidium munitionis, vel in hoſtium poteſtaté venerint. Et fit ſanè ſæpè vt maior hoſtium copia irruat, quam vt paucorum oppidanorum virtute reprimi poſſit, vt monet Patric. lib. 8. De repub. tit. 4. 3, Ipſa natura docuit munitiones, vtpote quæ beſtiis ſua luſtra & loca tuta, & auibus nidos ſuos in arborib. altis & ſcopulis dedit, ſicut rectè ratiocinatur Veget. li. 3. de re mil. c. 1. & Toloſan. lib. 2. De rep. c. 1. Vnde & antiquiſſimas vrbes muris cinctas fuiſſe in ſacris literis legimus. 4, Quando vrbes muris ſunt ſeptæ, parci poteſt ſanguini ciuium, & ſi corpora clypeis & ſcutis tegimus, cur non muris integras hominum ſocietates? & quod per lateres ac calcem effici poteſt, id non debet effici obiectum humanorum corporum, vt rectè ratiocinatur Antimach. lib. 3. theor. 33. Deniq; etiam mœnia faciunt ad ornatum & magnificentiam vrbium, vt Ariſtot. monet d. lib. 7. Pol. c. 11. Cæterum de hac re, nempe de arcib. & munitis vrbibus videatur lata diſputatio Toloſan. libr. 2. c. 1. 2. 3. 4. & ſeqq. item Iunii parte 2. quæſt. Pol. quæſt. 64. Bodin. lib. 5. de rep. cap. 5.

4 *Conſultum etiam eſt, ut princeps propter defenſionem limitum & portuum habeat ſua præſidia perpetua, ſiue militem præſidiarium.*

Tantum de cuſtodia & defenſione regni vniuerſaliter ſpectata: Cuſtodia ſpectata particulariter, ſiue in ſpecie, eſt vel hominum vel rerum.

Cuſtodia hominum iterum conſideratur vel abſolutè; vel reſpectu certarum circumſtantiarum.

Cuſtodia hominum abſolutè ſpectata, habet hunc Canonem generalem:

Princeps ſubditos ſuos de malis, afflictionibus & grauaminibus ſuis querentes libenter & patienter audiat, & iis quæ proponuntur reſpondeat; vt nempe ſubditi intelligant principem affici publicis malis & afflictionibus, & id vnicè cupere, vt auertantur.

Defendenda a. eſt ſubditorum vita, fama & fortuna.

De cuſtodia & defenſione vitæ, ſunt hi Canones:

1 *Princeps præſtet toti regno ſuo, & omnib. ſuis incolis publicam ſecuritatem contra vitæ humanæ hoſtes, exploratores, proditores, ſicarios, prædones, latrones.*

2 *Prohibeat etiam ne ſubdola arma gerantur, vt ſunt ſicæ & eiuſmodi alia; item ne bombardæ & ſclopeta temerè explodantur in hominum præſertim cœtu, vbi illa exploſio poſſit eſſe periculoſa.*

3 *Gladiatorias artes, palæſtras pugilum, non temerè permittat princeps, niſi exercitii cauſſa; non v. cauſa lucri & quæſtus, vbi alterius vita & valetudini temerè nocetur.*

4 *Monomachias*[a] *princeps non permittat, niſi tempore belli, vbi duorum pugna dirimi & auerti poteſt pugna multorum. Idcirco & ſeueriſſimis edi-*

ctis

ſtus prohibeat prouocationes ad eiuſmodi monomachias temerarias tanquam Diaboli inuenta, ad multas in genere humano cædes, etiam in altiſſima pace prouocantes.

a Præter Aretium & P. Martyrem, vide de Monomachiis & earum origine Bodin. lib. 4. c. 7. inprimis v. videatur Camerarius parte 2. meditat. hiſtor. c. 19. vbi prolixè probat Monomachias non eſſe licitas.

5 *Spectacula periculoſa, & per quæ poſſit noceri vitæ ſpectatorum, vt ſunt congreſſus leonum, vrſorum, aprorum, luporum, item pyrobolidum ſpectacula, & eiuſmodi alia, magiſtratus aut non permittat, aut iubeat cautiſſimè exhiberi.*

De cuſtodia honoris & famæ ſubditorum, ſunt hi Canones:

1 *Princeps tueatur honorem & exiſtimationem ſuorum ſubditorum, & eos, qui alios iniurioſè infamant grauiſſimis pœnis puniat, atque ad palinodiã, ſiue reuocationem adigat.*

2 *Libellos famoſos, ſiue paſquillos* [b] *ſpargi prohibeat, eorumque autores & diſſeminatores grauiter coherceat.*

b *De origine vocis* Paſquilli, *apud autores controuerſia eſt; plures tamen verius ſentiunt etymologiam hanc eſſe à ſtatua quadam cuiuſdam militis Alexandri M. qui miles fuit dictus* Paſquinus. *Cum v ſtatua illa eſſet loco valdè oportuno, in medio ſc. vrbis Romæ collocata, ibidem tum chartæ famoſæ quotidiè fuerunt affixæ; vnde & nomen chartæ iſtæ acceperunt, vt dicerentur* Paſquilli, N. *in duplex* LL. *mutato. Videatur Bartholomæus Marlianus, vbi egregiam hiſtoriam de deliberatione abrogandæ huius ſtatuæ affert: nimirum quod Papa hanc ſtatuam in Tiberim proiicere voluerit, ſed conſilio alicuius Cardinalis id facere ſit prohibitus; qui dixit*

illam ſtatuam ex aquis vociferaturam eſſe, ſi iam muta non relinqueretur in foro: *ſignificans nempe, Italorum ingenia eſſe ita feruida & vindictæ cupida, vt niſi iram ſuam eiuſmodi chartis proditam ſignificarent, reipſa eſſe aliquando vltura: itaq; in hodiernum vſq; diem iſta ſtatua ibi relinquitur. Verum hoc aliis principibus non ita eſt imitandum, qui ſubditos habent non ita vindictæ cupidos, iræq; impotentes: illi enim quàm acerrimè & ſeueriſſimè hæc ex ſubditorum cœtu tollant,*

Cuſtodia bonorum fortunæ, habet hos Canones:

1 *Princeps ſinat quemlibet bonis ſuis priuatis frui, neq; ea adimat cuiquam, niſi ſumma reip. neceſſitas interdum poſtulet, vt princeps priuatis bonis ſubditorum etiam inuito ſubdito vtatur.*

Sen. libro 6. De benefic. c. 4. *Iure ciuili*, inquit, *omnia regis ſunt, & tamen illa quorum ad regem pertinet vniuerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcribitur, & vnaquæq; res habet poſſeſſorem ſuum.* Et capite 6. *Regio more princeps cuncta poſſidet; dominia vero ſunt ſingulorum.* Et Politici habent hoc axioma: *Neceſſitas & ſalus reip. nonnunquam permittit ſummo magiſtratui de reb. ſubditorum ſuorum diſpenſare, eaſq; vel alienare, vel ſibi vſurpare, etiam domino illarum inuito.* Quando a. & quib. caſib. hoc tam durum valeat, determinarũt IC. & inter hos inprimis Geil. lib. 1. obſeru. 55. Vide latius Toloſ. lib. 7. c. 20. & lib. 9. cap. 1. item Stephanum Brutum in vindic. contra tyr. quæſt. 3. Bodin. lib. 1. c. 8.

2 *Impoſtores, Stelliones, & quicunq; ſubditos per fraudẽ emungunt, inter quos ſunt inprimis fœneratores Iudæi, princeps, tanquam cuſtos etiam priuatorum bonorum, non toleret.*

3 *Sortiarios*[b] *certis legibus princeps coerceat, nec permittat facile priuati commodi cauſa & propter vnius quæſtum inſtitui ſortilegia, quæ Germani vocant*, Lotterey.

b *De ſorte & ſortilegio, vide Danæum peculiari libello. Scripſit etiam peculiarem tractatum Germanicum* vom Glückstopff *Sigismundus Sueuus, anno 1581, in quo variis rationibus probatur illicitum hoc eſſe ſortilegii genus, & peccare tam eos qui talia inſtituunt, quam eos qui fortunam ſuam in talibus periclitantur. Explicatur ibid. etiam quomodo intelligatur illud in prouerb.* Sortes in manu Iehouæ. *nim. illæ ſortis, quæ ſunt legitimæ, & fiunt in & de reb. illis. q̃ aliàs nullo modo determinari poſſunt; vt ſunt 1, ſortes in eligendis magiſtratibus; 2, in eligendis verbi miniſtris, & 3, in hæreditate hercíſcunda.*

Contra eiuſmodi Sortiarios, ſiue ſortilegos rationes non leues afferri poſſunt: nam 1, non videtur eſſe conſultum aut æquum, vt propter vnius priuati hominis quæſtum, multi damnum patiantur; ſiquidem certum eſt, naturâ ſortilegii id etiam poſtulante, plures damnum ex ea re ſentire, pauciſſimos commodum. 2, ratio, quia iſte modus acquirendi non videtur eſſe conſentaneus diuinæ voluntati & legibus, vt nempe homo priuatus ordinariâ ſuâ vocatione deſertâ eiuſmodi extraordinariis modis victum quærat, cũ quilibet iubeatur manere in ſua vocatione, & victum quærere in ſudore vultus. 3, quia homines ſimplices & ſtolidi hac ratione alliciuntur, vt nummos perdant, quas occaſiones prodigendæ[c] pecuniæ princeps debebat præcidere ſimplicibus & ſtolidis hominibus; vtpote qui ſibi imaginantur ob id fortunam ſibi fore propitiam, quia ſint ſimplices & pauperes. Accedit & hoc, quod multi hac ratione vbi pecuniam perdiderunt ſortilegio, ſeſe

conuertant ad furta,& alias malas artes. Deniq; abſtrahuntur etiam homines plebei ab emendis rebus domi neceſſariis,ſic vt hoc pacto etiā mercatores, qui res iſtas vendunt, damnum patiantur, dum nempe non tam multos emptores reperiūt, quam reperturi fuiſſent,ſi abſque ſortilegio manſiſſent. Vt taceam inexplicabiles fraudes & technas, quas iſti Sortiarii norunt, quos certè Germani maiores noſtri,non ſine cauſa indigitarunt die Lotterbuben.

c *Non multi debent damnum pati, vt vnus lucretur; iam vero vt conſtat, in ſortilegiis multi damnum patiuntur; nam ſi vnus vel alter priuatus aliquid lucretur, octo vel 9. damnū patiuntur: quæ vero proportio 8. vel 9. ad vnum?*

4 *Alchymiam* [d] *non ſinat princeps facilè exerceri à priuato; ſiquidem & perículoſiſſima illa eſt artium omnium, & ſimul ſumptuoſiſſima; ad quam non priuatæ vnius hominis opes, ſed principum & rerumpubl. diuitiæ requiruntur; cumq; experientia teſtetur, infinitos ad paupertatem per hanc artem redactos eſſe, ditatum autem priuatum hominem adhuc fuiſſe neminem.*

d *Quid de Alchymia ſtatuamus, ex Phyſicis notum eſt: non enim negamus poſſe metallum in metallum transmutari; verum hoc ſaltem inficiamur, non tale quid hominibus priuatis tentandum; ſiquidem Deus ſuas poteſt habere cauſas, propter quas id vlum fieri nolit; quod inde apparet, quod Alchymiſtis permiſſu diuino diabolus multas & varias (quando ſe aurum accepturos putant) obtrudat monſtroſas figuras ac ſpectra.*

Sapiens omnino eſt lex, quæ lata fuit in regno Angliæ, *ne quis priuatus ſine conſenſu regis Alchymiam exerceat*: quam quidem legem ipſa aliquādo neceſſitas iubebit promulgari in Germania & alibi, vbi Alchymiſtarum numerus prodigioſè creſcit.

5 *De-*

5 *Decoctores princeps ſeueris legibus coerceat, præſertim tales, qui ſuâ culpâ foro cedunt: nam reliqui, qui vel ex naufragio, vel alio caſu neceſſario ceſſionem bonorum faciunt, inter miſerabiles perſonas connumerantur.*

6 *Prodigis, & qui modum rerum ſuarum habere non poſſunt, princeps conſtituat curatores.*

7 *Illis qui ſubitaneâ aliquâ neceſſitate vrgentur, vt præſenti pecuniâ indigeant; nec alias in bonis mobilibus habeant vnde ſoluant, princeps prudenti aliquâ ratione conſulat, illisque ex publico ærario mutuò det; modo ſupellectilem auream, argenteam aut aliud quidpiam pignori opponant, & penſionem annuam mediocrem ſoluant. hac enim ratione multi, qui ad diſtractionem bonorum ſuorum mobilium adigerentur, ſe ſuaque ſaluare, & interea temporis pignora commodè luere poßunt.*

Eiuſmodi inſtitutum Venetorum & aliarum rerump. Italiæ valde commendat Iacobus Bornitius in diſcurſu Polit. & alii præcipui Politici.

8 *Venditionem ſubauctionum, tanquam vtile inſtitutum in rep. magiſtratus bonis legibus foueat, & abuſus qui facile irrepere poſſunt, auertat.*

9 *Si princeps nullo modo poſſit prohibere quo minus ſubditi bona ſua in vſus minus vtiles & neceſſarios erogent, ſaltem quærat aliquod compendiũ, quo ex inutilib. eiuſmodi ſumptibus aliquid poſſit decidi in vſum publicum, e. g. in vſum pauperum.*

Quid velit hic Canon, declarari poteſt exemplo Belgarum, qui interdũ permittunt comœdias & eiuſmodi ſpectacula publicè exhiberi; ſed ita, vt cum quæſtor Comœdorum ſtans ab vna parte pecuniam pro Comœdis recipit, alius aliquis nomine reipublic. ſtet ab altera parte, qui ab

iiſdem ſpectatoribus pecuniam accipiat pro pauperibus, vt ſimul hac ratione curioſis hominibus indulgeatur, & publicæ rei conſulatur.

Et ſic de defenſione abſoluta: Defenſio certo reſpectu conſiderata, eſt vel reſpectu certarũ perſonarũ, vel reſpectu locorum; vel deniq; reſpectu temporis.

Defenſio reſpectu certarum perſonarum, habet duos Canones:

1 *Princeps defendat exiſtimationem & honorem perſonarum publicarum, ſiue eorum, qui in officiis dignioribus ſunt cõſtituti: horum enim exiſtimatione labefactata, ipſa autoritas principis labefactatur.*

2 *Miniſtros & apparitores publicos, quorum officia odioſa ſunt, & idcircò facile in periculum venire poſſunt, princeps ſtrictè defendat; ſiquidem ſine talibus reſpublica adminiſtrari non poteſt: ideo in quibuſdam rebuſpub. miniſtri & apparitores eiuſmodi ſunt inuiolabiles.*

Defenſio & cuſtodia reſpectu certorum locorum habet hos Canones:

1 *Princeps operam det, vt quilibet domi ſuæ maxime ſecurus ſit; cum nemo debeat commodius & tutius viuere, quàm vbi vitæ ſuæ veluti nidum conſtruxit. Et idcirco grauiſſimis pœnis vlciſcatur eos, qui aliorum domos violenter perfringunt aut inuadunt.*

2 *Viarum publicarum ſecuritatem princeps omnibus peregrinantibus præſtet; atq; idcirco omnia latrocinia & deprædationes grauiſſimis pœnis vindicet, & loca periculoſa in ſyluis & mõtibus faciat tuta,*

[..]uta, ne qua ſint latronum ac prædonum receptacu-[..], ſiue latebræ.

3 *Quod ſi natura locorum ita ſit comparata, vt mu[..] non poſſint, & auerti, quin ibi prædones delite[ſcant], tum princeps certos miniſtros, velut præſidiarios viarum alere debet, qui peregrinantibus & præſertim mercatoribus ſecuritatem præſtent.*

4 *Princeps ſubditis ſuis etiam ad extera loca proficiſcentibus procuret ſecuritatem per literas* commeatus, *ſiue* paſſus, *vt vocant, ſiue* ſalui conductus.

Vt ſit à principe Haſſiæ & aliis viciniis tempore præſertim nūdinarum Francofurtenſium.

5 *Non ſit facilis princeps in dandis literis ſalui conductus, atque adeo in communicando iure commeatus & recommeatus, ne nempe facinoroſi & ſcelerati homines tales etiam literas impetrent, ſed boni atque innocentes.*

Politici inter iura maieſtatis referunt poteſtatem dandæ ſecuritatis publicæ, ſiue ſalui conductus, de qua materia vide Toloſ. lib. 9. c. 1.

Defenſio reſpectu certi temporis, habet hunc Canonem:

Quia nox nihil moderabile ſuadet, & variis periculis eo tempore ſubditi exponuntur, ideo princeps per omnia oppida & pagos etiam frequentiores, vigiles nocturnos conſtituat, eosq; per certos præfectos ſtrictè regat in officio.

Guerinus Piſo in lib. de magiſtratu Venetorum, allegat prudens inſtitutum reipub. Venetæ, quæ certos magiſtratus & præfectos conſtituit vigilum nocturnorum; vtpote in quibus plurimum ſitum eſt ad ſecuritatem & defenſionem ſubditorum.

Et ſic de defenſione hominũ, ſiue ſubditorum: ſequitur cuſtodia ipſarum rerũ in regno. de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps non ſimpliciter eſt proprietarius, ſed potius fidelis cuſtos ac diſpenſator bonorum in regno.*

Vide de hac grauiſſima materia: *An princeps ſit ſimpliciter proprietarius bonorum & rerum in regno*, prolixè diſputantem Toloſan. lib. 3. cap. 8. & lib. 7. cap. 20. item libr. 9. cap. 2. Et Danæum lib. 1. cap. 3. itemq; Iunium Brutum in vind. contra tyrann. & Boſſium de principe, ac priuilegiis princ. Itemque Althuſium cap. 19. Polit.

2 *Princeps non poteſt bona & res regni vendere aut donationibus aut alio modo abalienare, vel etiam teſtamento de iis diſponere, niſi tantum tribus in caſibus; 1, quando habet liberos; tum enim iis poteſt partes aliquas poſſeſſionum publicarum diſtribuere; 2, ob redemptionem ſui ex captiuitate: deniq; ob extremam neceſſitatem defendendæ reipub. cum ſcil. aliter reip. conſulere non poteſt, quã venditione certorum bonorum.*

Vide Toloſan. lib. 3. cap. 8. Albericum Gentilem de iure belli, c. 22. Iun. Brutum quæſt. 3. vind. contra tyran. Althuſ. c. 30. Pol.

Et ſic de cura defenſionis, ſiue cuſtodiæ: ſequitur cura amplificationis; de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps principaliter curare debet, vt regat & defendat. Minus autem principaliter*

id agat, vt regnum ſuum dilatet atque amplificet.

Prudentiſſimum eſt monitum Politicorum, & inter hos Lælii Zechi, lib. 2 de princ. cap. 1. pag. 317. vbi inquit: *Princeps non curet* (ſcil. principaliter) *dilatare imperium, ſed benè regere & conſeruare*, &c. Vide rationes ibid. & exempla.

2 *Quod ſi amplum & dilatatum regnum princeps nactus ſit, cautè & ſollicitè in eo verſari debet; quia immoderata potentia non diu manet intra iuſtas metas.*

Vide Richterum in axiom. Politic. axiom. 257. & ſeqq.

Reſtat cura exornationis, ſiue ſplendoris; de qua eſt hic Canon:

Magis ſtudere princeps debet, vt regnum ſuum etiam paruum magis exornet, quam vt amplificet; quia exornatio & cultura minus habet periculi, & plus ſæpè commodi, quam amplificatio.

CAPVT XXIII.

De cura principis interna magis reſtricta & priuata; atq; adeo de gubernatione aulæ Principis.

E*Xpediuimus ergò curam principis internam publicam & communem: ſequitur cura principis interna, reſtrictior & magis priuata, quæ vocatur* cura aulica.

Cura aulica eſt, vel perſonarum vel rerum.

Cura aulica perſonarum eſt, vel ſuiipſius vel alterius.

De cura, quam ſui ipſius princeps gerere debeat, ſunt hi Canones:

1 *Princeps conſideret ſe eſſe caput totius reipubl. atque idcirco in corporis ſui cuſtodia & defenſione ſalutem totius reip. ſitam eſſe.*

2 *Cuſtodes ſui corporis & ſatellites habeat fideles.*

3 *Cuſtodes ſui corporis aſciſcat ex ea gente, cui praeeſt, ne ſi ſubditis ſuis ipſe diffidat, ſubditi ei etiam diffidant, eumq; odiſſe incipiant.*

Plurimum poſitum eſt in eo, quales cuſtodes corporis ſui princeps habeat, vſque adeo, vt inter tyranni notas nonnulli Politici numerent, reiectis regni incolis, aſciſcere ſatellites & cuſtodes ſui corporis extraneos; ſicut diſertè Buchananus lib. 18. hiſt. Scot. inquit, Mariam Scotiæ reginam, repudiatis Scotis, cuſtodiam ſui corporis commiſiſſe Italis; & hæc, inquit, certa via eſt ad tyrannidem, ſi princeps peregrino ſatellitio ſe muniat. Vide de cuſtodia & ſatellitio principis, inter alios etiam Lælium Zecchium lib. 2. de princ. cap. 1. num. 7.

4 *Quia principibus magnæ inſidiæ paſſim struuntur per venena; ideo aduerſus hæc etiam ſe muniat princeps, & attendat quales habeat cocos, carptores & prægustatores.*

Sequitur cura principis circa perſonas à ſe diuerſas, atq; adeo etiam circa cœtum aulicum; cuius ſpectanda eſt 1, diuiſio; 2, regimen, 3, alimonia.

Diui-

Diuiduntur ergò perſonæ aulicæ, quod ſint vel neceſſariæ; vel officiariæ.

Neceßarias perſonas voco, quæ neceſſitudine principem attingunt.

Et hæ perſonæ iterum ſunt vel arctioris neceſſitudinis, vel minus arctæ.

Arctioris neceſſitudinis perſona primo eſt coniux principis; deinde ſoboles principis.

De coniuge principis ſunt hi Canones;

1 *Princeps in ducenda coniuge ſit cautiſſimus, nec facile aliquam ducat ex familia vel obſcura, vel etiam ſubditis ſuſpecta.*

2 *In celebrandis nuptiarum ſolennitatibus, ſit moderatus.*

3 *Coniugi dotem aſſignet eam, quæ regno non ſit detrimentoſa.*

4 *Vxorem ſciat rectè regere, nec eam facilè adhibeat ad conſilia ſecretiora, aut vllam partem regiminis ei permittat; non enim fœminæ, ſed viro committuntur gubernacula regni.*

5 *Non ſinat coniugem nimis eſſe ſumptuoſam.*

6 *Gynæceum ſic gubernari curet, ne vlla in eo extent inhoneſtatis & inſolentiæ exempla.*

De ſobole principis ſunt hi Canones;

1 *Conſultiſſimum & magnum ad imitationem patris adminiculum eſt, ſi princeps ſobolem curet lactari à matre; aut ſi hoc fieri non poſſit, ab alia aliqua fœmina illuſtri & ſpectatæ virtutis.*

2 *Maſculæ ſobolis ipſe princeps curam exactam gerat; talesque præfectos ac morum magiſtros & præceptores conſtituat, qui generoſam plantam generosè educent.*

3 *Fœmellæ curam coniugi ſic permittat, vt tamē ipſe etiam huic educationi attendat.*

4 *In elocanda ſobole, & inprimis in elocandis filiabus, princeps ſpectet ſalutem reip. vt nempe tales affines ſibi paret, qui reipublic. non obſint, ſed proſint.*

Minus arctæ neceſſitudinis perſonæ ſunt tum fratres, & ſorores principis, tum reliqui agnati & cognati.

De fratribus & ſororibus principis ſunt hi Canones:

1 *Non debet quidem princeps fratribus ſuis permittere gubernacula principatus, ſed interim tamē honeſtam, & ſuâ familiâ dignam ſuſtentationem eis præbere; &, ſi ita ſint comparati vt iis tuto fidere poſſit, certa officia ac præfecturas eis committere.*

Nam quod primogenitus frater apud Turcas eo ipſo die, quo Imperator proclamatur, reliquos omnes fratres ſtrangulari curet, id penitus eſt contra omne ius naturæ, nec cuiquam principi imitandum.

2 *Sororibus ſuis princeps etiam proſpiciat, vt honorificè elocentur.*

De agnatis & cognatis principis hic eſt Canon:

Princeps agnatis & cognatis ſuis eum honorem exhi-

exhibeat, quem ius ſanguinis requirit; ſed interim tamen non patiatur, vt ocioſè in ipſius aula verſentur, ſed officia iis certa vel domi, vel foris aſſignet.

Sequuntur officiarii principis, de quibus ſunt hi Canones in genere:

1 *Princeps neminem ferat in ſua aula ocioſum, etſi non habeat certum aliquod officium.*

2 *Non multiplicet facilè princeps numerum ſuorum officiariorum, ſed operam det, vt habeat paucos, idoneos & fideles; atque adeo aulam alat non prolixam, & copioſam, ſed quam fieri poteſt contractiſſimam.*

In huius Càn. praxi valdè à Politicis laudatur magnus HetruriæDux, ſiue Dux Florentinus, qui cum ſit potentiſſimus & opulentiſſimus, aulam tamen interim habet contractā & parcam. Quod ſi alii principes omnes imitarentur, multa ingentia damna tam priuata ſiue aulica, quam publica vitarent; ſiquidem ex aula principis in ipſam rempublic. vel virtutes, vel vitia, vel commoda, vel incommoda & copioſè & velociter manare ſolent. Immo, qualis eſt aula principis, talis eſt reipublicæ adminiſtratio, vt paulò pòſt dicetur.

Officiarii principis ſunt vel primarii, ſiue ſuperiores; vel ſecundarii, ſiue inferiores.

De officiariis primariis Canon eſt:

Officia primaria princeps non facilè det exteris, ſi poſſit habere inter ſubditos ſuos,

qui ea idoneè adminiſtrent: quod præceptum ſi non obſeruet, in magna odia ſubditorum ſe conuciet.

Porrò officia primaria iſta ſunt, & hi officiarii ſuperiores; 1, præfectus aulæ, ſiue magnus aulæ magiſter: 2, Mareſcallus ſuperior; 3, Præfectus ſtabuli; 4, Mareſcallus inferior; 5, Cubicularii principis; 6, Burggrauius aulæ, qui regit inferiores aulicos; 7, præfectus commeatus aulici, vulgo Kůchenmeiſter.

Inferiores officiarii ſunt, 1, miniſtri cubicularii, die Kammerjungen; *2, Carptor* der Vorſchneider vnd Kredentzer; *3, Coquus; 4, Cellarius, & horum adminiſtri.*

Tantum de diſtinctione officiorum: ſequitur Regimen aulicum; de quo ſunt hi Canones;

1 *A regimine aulico pendere ſolet regimen publicum; & quales ſunt aulici, talis eſſe ſolet ipſe princeps; cum aulici perpetuo circa principem obuerſentur, eumque informent de rebus ad publicum regimen pertinentibus. Ideo ſapientis principis eſt ſummam curam habere aulæ ſuæ.*

2 *Princeps ſit ſeuerus in aulicos ſuos, ſiquidem optimus ille magiſtratus præſumitur, qui famulitium & ſatellitium ſanctum habet: Et, quia etiā mores aulæ ſolent propagari in reliquos omnes ſubditos.*

Vide prouerb. 29. & 2. Sam. 6.

3 *Quia aulici ſunt verſatiles, & ad omnem fraudem compoſiti; ideo princeps totam aulā ſuam componat ad modeſtiam & grauitatem.*

4 *Quia*

4 *Quia in aulis plus ſolet eſſe parergων, quam ἔργων plura ſuperuacanea quam neceſſaria, ideo princeps iſta πάρεργα præcidat.*

5 *Aulici plerunq; ad factiones propendent; ideo princeps omnem materiam eiuſmodi factionum aulicarum auertat.*

6 *Aulici ex rerum mutationibus pendent, ac proinde in proprios dominos, quos ante pro diis coluerunt, mutata dominorũ ſuorũ conditione, fiunt maximè crudeles: ideo princeps norit diſcernere inter ingenia ſuorum aulicorum, & habeat in numerato eos quos exiſtimat ſibi & in aduerſis caſibus fore maximè fideles.*

Vide de hoc axiom. & exemplis hiſtoricis huc quadrantibus Richterum in axiom. Polit. axiom. 186. Nec placet prolixius diſſerere de aula & eius proprietatibus, vtpote quæ tã variæ ſunt & multiplices, vt nonnulli velut peculiarem diſciplinã de aula & regimine aulico cõſtituerint, atq; integros libros de hoc argumento perſcripſerint; inter quos inprimis eminet libellus, qui titulum habet *Speculi Aulici*, item liber Antonii Gueuaræ de aula, itemque Balthaſaris Caſtilionis libri quatuor, de aulicis, item Hippolyti à Collibus palatinus, ſiue aulicus. Item liber iſte minimè ſanè negligendus, cui titulus eſt *Vulpecula*, der Reinicke Fuchs. Item Althuſ. c. 18.

Sequitur alimonia aulica, de qua ſunt hi Canones:

1 *Princeps in alimonia aulica ne ſit effuſus.*

2 *Sæpè pro ratione circumſtantiarum præſtat officiariis aulæ certum penſum & pecuniam ſepti-*

manatim pro victu diſtribuere, quam victum iis in aula præbere.

Reſtat cura rerum aulicarum: Res autem aulica eſt vel continens, vel contenta.

Res continens eſt ipſum domicilinm; ſiue palatium principis.

Res contentæ ſunt tum ærarium principis aulicum, quod debet eſſe ab ærario publico diſtinctum; tum reditus alii ad aulam peculiariter deſtinati, tum denique ſupellex varia aulica.

CAP. XXIV.

De cura principis externa.

V*Idimus hucuſq; curam principis Internam, tam Publicam quam Aulicam: Sequitur cura externa; ea nempe, quam princeps gerit erga exteros.*

Cura exterorum duplex eſt, nempe vel eorum, qui ſunt in regno, vel eorum qui ſunt extra regnum.

Cura exterorum in regno iterum eſt vel peregrinantium ſolummodò, vel habitantium.

Peregrinantes vel in genere conſiderantur, vel in ſpecie.

De

De peregrinantibus in genere ſunt hi Canones:

1 *Conſtituat princeps certos præfectos, qui attendant ad peregrinos in regnum venientes, eoſque obſeruent, præſertim vero ad regni limites, & in locis regni munitioribus, præſertim in ipſa regia principis.*

2 *Curet etiam vt peregrini tutò, & ſecurè poſſint in regno iter facere, atque adeò vt habeant ſaluos conductus, & literas ſecuritatis publicæ, ſi ſit opus.*

3 *Curet etiam vt commoda ſint peregrinis hoſpitia. & diuerſoria, neque emungantur & exhauriantur ab incolis.*

4 *Peregrinos errones, ſtelliones, Nubianos & Cygaros, tanquam proditores & exploratores & chiromanticis artibus deditos, in ditione ſua non ferat.*

Huius loci eſt doctrina Politica de Nubianis & Cygaris, von den Zygänern, nempe quale ſit iſtud hominum genus, & deinde an ſit tolerandum in rebuſp. ſiue rerump. & principum ditionibus. Ac de Nubianis quidem ſcribit clariſſ. Philip. Camerarius centur. 2. Meditat. hiſtor. cap. 75. quod ſint errones orti ex partibus inferioribus Ægypti, qui tamen in noſtris his partibus non ita amplius conſpiciuntur. De Zygaris vel Cygaris annotat idem Camerarius cent. 1. Med hiſt. c. 17. quod non ſint oriundi ex Ægypto, vel Æthiopia, vel etiam ex Aſſyria & Perſia, vt quidem vel ipſi falſo venditant, vel quidam etiam autores ſcripſerunt. *Sunt*, inquit, *nihil aliud quam manipulus furum, & colluuies ocioſorum &*

fraudulentorum hominum ex variis nationib. non ita remotis, ſed vicinis collecta,&c. Non autem eſſe ferendum hoc genus erronum, grauiter oſtendit Camerarius cent.2.c.75, vbi allegat decretum comitiorum Imperialium, quod tale eſt: *Cigari vt proditores & exploratores hoſtium* (*ſc. Turcarum*) *in Imperio locum non habeant.*

5 *Linguam fictitiam, tanquam impoſturarũ adminiſtram, ne ſinat princeps in regnum introduci à peregrinis.*

Qualis eſt illa erronum & ſtellionum lingua, quam vocant Rotwelſch, de qua extat peculiaris libellus.

Sequuntur peregrinantes in ſpecie, nempe perſonæ eminentiores & magnates, qui in ditionem principis veniunt, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Princeps perſonas eminentes in ditionem ſuam venientes, debito honore excipiat, iisve honoraria & munera certa mittat, teſtandæ beneuolentiæ cauſa.*

2 *Si aduena ſit princeps, eo principe, ad quem venit eminentior, aut etiam illi par, vtique non tantum obuiam ei mittere, qui honorificè excipiant, ſed ipſe etiam procedere obuiam princeps debet & corã excipere.*

3 *Rem ita moderabitur princeps, ne copia aut diuturna manſione exterorum magnatum viſitantium ipſe aut ſubditi eius grauentur.*

4 *Abeuntes honorificè curet deduci eô vſq; quô vſq; habet ius conductus, ſiue deductionis. Germani vocant*, das Geleit oder Geleitsrecht.

Tantum de peregrinis peregrinantibus per regnum, ſiue ditionem principis: Sequitur de peregrinis cupientibus habitare in ditione principis, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Peregrinis, ſi boni viri ſint, ſi præter meritum miſeri, atq; adeò ſi ob religionem exules, hoſpitium debetur tamdiu, quamdiu ipſorum neceſſitas poſtulat.*

2 *Ius ciuitatis peregrinis tum demum dandum eſt, cum id manifeſta reip. vtilitas, amplificatio, cultura, & exornatio admittit & requirit.*

Quæſtio anxia agitatur à Pol. *An peregrini iure ciuitatis donandi ſint*: Qui negant, adducunt autoritates reip. Spartanæ, de qua Xenophon teſtatur, quod nulli peregrino ius ciuitatis dederint. Item, reip. Athenienſis, de qua Plutarch. in Pericle idem ſcribit. Et apud Suetonium Auguſtus Imperator in vita Auguſti laudatur, quod magnum exiſtimans, ſincerum, & ab omni colluuie peregrini ſanguinis incorruptum ſeruare populum, Romanam ciuitatem parciſſimè dederit. Item, Iſocratis autoritatem in orat. de pace, vbi inquit: *Beata reſp. iudicanda non eſt, quæ ex promiſcua hominum colluuie ciues multos temerè colligit, ſed quæ primas & antiquiſſimas familias maximè conſeruare ſtudet.* Allegant quoq; pericula, quæ ex receptione peregrinorum oriri poſſint, nempe corruptelam morum & ſeditionem ciuium. Deniq; & periculum allegant, quod ex ipſorum peregrinorum ſeditione reip. imminere poteſt, cum hiſtoriæ teſtentur peregrinos in

remp. admiſſos, ipſos reip.iſtius incolas per ſeditionem oppreſſiſſe. Sed reſpondet his omnib. Canon, peregrinos in remp. eatenus eſſe admittendos, quatenus id cum publico bono coniunctum eſt, id eſt, ſi certò conſtet & probari poſſit peregrinos in ius reip.admiſſos, euidentem ei vtilitatem afferre, eamq; amplificare, excolere & exornare.

3 *Et quia publica bona ſemper priuatis anteponenda ſunt, ideo princeps moueri non debet, ſi fortè hi vel illi ſubditi de peregrinorum receptione conquerantur.*

Et ita his Canonib. concludimus quæſtionem de admiſſione peregrinorum, de qua quæſtione plura videri poſſunt apud Bodin. libr. 4. c. 1. Machiau. lib. 1. diſcurſ. de rep. c. 26. Toloſ. libr. 4. c. 4. Caſum lib. 5. Sph. ciu. c. 3. vbi hanc quæſtionem ex profeſſo tractat.

4 *Sicut non facilè nec ſine euidenti reip. emolumento peregrinis ius ciuitatis dandum eſt; ita quoq; non facilè iis permittendum eſt, vt prædia & bona immobilia poſſideant; quia prædiorum poſſeſſio inter maxima reip. commoda, & iura numeratur.*

Quod peregrinis non ſit permittendum facilè vt prædia poſſideant, prudenter ſuadet Bodin. lib. 5. c. 2. Addimus a. in Canone, *quod in hac parte peregrinis annumerari debeant etiã illi qui reip. præiudicare poſſunt ſi bona immobilia poſſideant*; quo in numero cenſemus ſpirituales, ſiue Clericos, de quib. ante annos centum reſp. hæc Danticana ſapientiſſimum edictum promulgauit, quod nulli Monachi debeant bona immobilia emere, aut legata ab aliis poſſidere. Simile edictũ

edidit reſpub. Veneta, quam ob cauſſam hoc ipſo etiam tempore à Papa Rom. infeſtatur. Ieſuitarũ potentiam ſanè id mirificè auxit in Poloniæ regno, quod bona nobilium vel emerint vel legata poſſederint; id quod in aliis regnis & prouinciis non facilè iis licuit.

5 *Coërcendi ſunt peregrini, qui in regno habitare cupiunt certis legibus, ne nouos mores introducant, & aliis ciuibus præiudicent.*

6 *Honores, magiſtratus, inſignia nobilitatis peregrinis non facile ſunt contribuenda; &, etiamſi peregrinus domi ſuæ nobilis ſit, tamen inter nobiles ſub ditione principis ſine peculiari indulto recipi non debet.*

Quod ad honores & magiſtratus peregrini nõ ſint facilè admittendi, ſupra monuimus. Et videri poteſt de eo monito Politic. Bodinus libro 1. cap. 6.

7 *Nullo modo permittendum eſt peregrinis, vt iurisdictionem quandam peculiarem exerceant, aut aliam reip. formam inter ſe habeant, quam quæ eſt ſub regimine principis. Imò omnes illi qui iurisdictionem à iurisdictione principis ac magiſtratus diſtinctam introducere volunt, & formam reip. ſpirant aduerſantem iſti formæ, quam princeps habet, pro extraneis habendi ſunt, & in rep. non tolerandi.*

8 *Eos extraneos, quos alia reſp. eiecerunt, & propter iuſtas cauſſas extorres reddiderunt, princeps in ſua rep. non ferat.*

9 *Iudæi non facilè quidem ſunt admittendi; & ſi admittantur, conſtringendi ſunt ſtatutis quibuſdam & legib. tum generalib. tũ ſpecialib. Generalis*

lex eſt, vt ſecundum ius in iſta rep. vſitatum, pacificè, tranquillè & ſine ſcandalo Chriſtianorum viuant. Speciales leges ſunt, ne cum Chriſtianis matrimonium contrahant, ne immoderatas vſuras, aliosq́ illicitos contractus exerceant; vt cauſſæ eorum coram magiſtratu iſtius loci diſceptentur, ne ad publica officia admittantur; vt certo & euidenti ſigno in veſtibus conſtituto, a Chriſtianis diſcernãtur; ne ſynagogas ſine permiſſione magiſtratus extruant; ne Chriſtum maledictis proſcindant; ne homines noſtros ad ſuam religionem trahere audeant; ne Iudæum ad Chriſtianos tranſire volentem prohibeant.

Inde vſq; ab vltima deſtructione Hieroſ. grauis quæſtio à Politicis viris agitata fuit: *Vtrum Iudæi ſint in noſtris rebusp. tolerandi.* Quam quæſtionem iſto Canone ſic decidimus, vt ſtatuamus primò non facilè eſſe admittendos, neq; ſtudioſè in aliquam remp. eſſe aduocandos, multo minus offerendum eſſe illis hoſpitium lucri cauſſa, prout à magiſtratibus hodiè fit. 2, ſi omninò inſtanter petant Iudæi receptionem, & miſeriam ſuam prætendant; aut ſi princeps eos in rep. reperiat, tolerandos eſſe, ſed non niſi certis illis cautelis, tam generalibus quam ſpecialibus, quas Canon ordine recenſuit. Quæ quidem cautelæ ſi obſeruentur, non fuerit denegandum Iudæis hoſpitium; ſiquidem video præcipuos Theologos ſimul & Politicos Iudaicæ gentis patrocinium ſuſcipere, vt eſt Auguſtin. ſuper Pſal. 59. Bernhard. epiſtolâ 322. Plerìq; interpretes ſuper cap. 11. ad Rom. Vide etiã Decretalia lib. 5. tit. 6. de Iudæis. Inter Politicos pro Iudæis diſputat Cuiacius lib.

7. Ob-

7. Obſer.c.30. item Receſſus imperii Comitiorũ Auguſtanorum, anno 1530. item 38. & 53. Camerar. centur. 1. Med. hiſt. cap. 89. vbi inter alia hanc grauiſſimam rationem allegat, *quod Iudæi ſi nullum hoſpitium inueniant apud Chriſtianos, cateruatim confluant ad Turcas*; *ſicut*, inquit, *fama eſt olim ad centum millia Iudæorum ad Turcam migraſſe*. Et addit; *Memoria traditum eſt, Turcicum Imperatorem dicere, ſolitum ſe mirari Chriſtianorum regum ſtoliditatem, quod tantam multitudinem potius in propriam perniciem expellere, quam ad ſuum emolumentum retinere maluerint; vtpote quam ſi interficere non voluiſſent, tamen mancipiorum loco ad varia ſeruitia præſtanda ſeruare potuiſſent*. Et ſanè memorabile eſt quod ibidem Camerarius annotat, *Iudæos illos qui a Chriſtianis expulſi fuerunt, primò omnium ad Turcas attuliſſe varia artificia, & perfectiorem vſum machinarum bellicarum, aliarumq; multarum rerum, quib. antea barbara Turcarum gens deſtituta fuit: Id quod incredibili damno Chriſtianæ reip. accidit*. Etſi ergò ſæuiendum in Iudæos non eſt, tamen nec probanda eſt conſuetudo illorum magiſtratuum, qui quæſtus cauſſà Iudæos eiuſmodi priuilegiis donant, quæ ipſis Chriſtianis ſubditis poſſint eſſe præiudicio & nocumento; ſicuti quidem talia priuilegia habent Pragæ, item in regno Poloniæ, in quo quantæ ſint Iudæorum immunitates, vide ſtatuta Scheluiii, lib. 1. c. 21.

Et ſic de peregrinis in regno: ſequitur de peregrinis extra regnum; qui quidem conſiderantur vel in genere, vel in ſpecie.

In genere conſiderati peregrini extra regnū, dicuntur illi, qui abſolutè ſe habent ad principem; ita vt nulla ſpecialis vnio inter eos intercedat, ſed generalis tantum tractatio.

In iſta a. generali tractatione duo ſunt ſpectanda; 1, ſcopus: 2, media.

De ſcopo ſunt hi Canones:

1 *Princeps inprimis operam det, vt habeat pacem, &, vt loquimur, bonam correſpondentiam cū exteris principibus; ſiquidē diuturna pax cum exteris magna eſt pars felicitatis imperiorum.*

Vide 1. Reg. 16. 2. Chron. c. 1.

2 *Princeps ſtudeat vt ſuum & gentis ſuæ honorem & decus apud exteros tueatur.*

3 *Si facinoroſi ex ditione principis profugiant, legitimè petat eos ab exteris principibus ſibi tradi; & contra, ſi facinoroſi ex principum peregrinorum ditione in ipſius ditionem confugiant, ipſe ſub certa cautione eos tradat.*

Et ſic de ſcopo: ſequuntur media, ſiue inſtrumenta, quæ ſunt vel muta, vel viua.

Muta inſtrumenta per quæ princeps cum exteris tractat, ſunt literæ, ſiue epiſtolæ; de quib. ſunt hi Canon. generales:

1 *Quod per epiſtolas efficere Princeps poteſt apud exteros, ne faciat per Legatos.*

2 *Habeat homines peritos & fidos, quibus rem epiſtolicam commendet, quiq; ſint Principi ab epiſtolis conſcribendis.*

3 *Habeat certas formulas, & cuique Principi debitos titulos in epiſtolis tribuat.*

4 *Ta-*

4 *Tabellarios habeat & fidos & veloces.*

Eſt autem Epiſtola vel manifeſtior, vel ſecretior.

Manifeſtior eſt, quæ expreſſis literis ſcribitur.

Secretior eſt, quæ occultis literarum notis, ita requirente interceptionis periculo, ſcribitur.

De his ſecretis epiſtolis ſunt Can. 2.

1 *Valdè vtile eſt, vt Princeps habeat in ſua aula virum peritum occultarum ſcribendi notarum.*

Multus olim fuit, & hodiè adhuc eſt inter Politicos viros ſermo de occultis literarum notis. Et ſanè habet ea res ſuum vſum, ita vt referat principem, cui multa ſunt cum exteris ſecreta tractanda, hoc præſertim inſidioſo tempore, aliquem habere in ſua aula eius rei peritum virum. Seruient autem ad hoc inſtitutum hi libri: 1. *Steganographia Trithemii*, quæ nuper edita eſt cum ſua claue, item *Polygraphia Trithemii*, item *Johannis Baptiſtæ Porta* de occultis literarum notis.

2 *Quod ſi occultas literarum notas vel non calleat, vel vſurpare nolit, ſaltem ſtudeat tabellarios habere ſecretos, qui literas ſine periculo deferant.*

Sic olim in hiſtoriis legimus de columbis aſſuefactis ad literas deferendas. Sic in hiſtoria Neapolitana legimus literas ex arce Neapolitana fuiſſe delatas à quodam vrinatore ſub aqua.

Viua inſtrumenta tractationis ſunt tum cõmunes agendarii, tum legati.

Communes agendarii dicuntur, qui ad exteros mittuntur ſine peculiari Legatorum titulo.

Et hi ſunt vel manifeſti, vel occulti.

Manifeſti ſunt, quibus princeps apertè vtitur.

Occulti ſunt, quib. occultè vtitur, ita vt per eos exploret res exterorum ad vſum ſui regiminis accommodatas.

De talibus Canon eſt:

Conſultum omnino eſt & vtile, vt princeps in exteris nationibus habeat certos quoſdam à quibus informetur de rebus nouis, quæ ibi geruntur.

Vtriq; tam manifeſti, quam occulti iterum ſunt vel perpetui vel temporarii.

Perpetui ſunt, quos continuò princeps apud exteros vſurpat.

Temporarii ſunt, quibus ad tempus vtitur.

Et ſic de nunciis communibus ſiue Agendariis: Sequuntur Nuncii ſolenniores, nempe Legati: qui vel ſunt emiſſi, vel admiſſi.

Legati emiſſi ſunt, quos ipſe princeps ad exteros mittit.

De his ſunt generales Canones:

1 *Princeps accuratum habeat delectum earum perſonarum, quas aliò cupit legare; vt nempe ſint fideles & peritæ, atq; adeò tales, quæ eſſe poſſint reipub.*

tum

tum emolumento, tum honori; nec facilè hoc munus legati in ſe recipiat quiſquam, niſi variâ prudentiâ, experientiâ, linguarum peritiâ, & gratiâ apud magnates polleat.

2 *Detur Legato certa inſtructio, & præſcribatur ei certa forma legationis, vltra quod præſcriptum agere non poſſit; atq; adeò rarò Legatus permittatur plenipotentia, ſine ſcitu principis negocia pertractandi, quæ apud exteros ei proponuntur.*

De inſtructionibus Legatorum & certa earum forma, quam oporteat eos ſtrictè ſeruare, vide Alexand. ab Alexand. libr. 6. genial. dier. cap. 3. & Albericum Gentilem libr. 3. de legato & legatione, c. 16.

3 *Det etiam legato certa documenta legationis, quæ vulgo* Literæ Credentiæ, *ſiue* literæ fideï, *appellantur.*

4 *Adiungat Legatus comites pro magnificentia reip.*

5 *Non ſinat legatum accipere munera talia, quibus eius fides poſſit attentari vel corrumpi.*

Quæſtionem agitant Politici: *An legato liceat accipere munera*; Veneti certè ſuis legatis ſeuerè interdicunt, ne munera capiant: nec res caret ratione, inquit Gentilis dicto lib. 3. c. 13. quia nempe cum ſit ſacra vis munerum, facilè fieri poteſt, vt propter ea legatus aliquid concedat exteris quod coniunctum ſit cum damno delegantis. Addit tamen ibid. Gentilis, quod diſtinguendum ſit inter ea lautia, ſiue munera legatorum, quæ honeſtatis gratia ſiue honoris ergò dantur, & inter ea, quæ corruptelæ cauſa.

6 *A Legato domum reuerſo, Princeps exigat tum relationes actorum; tum rationes expenſarum. & relationes quidem diligenter curet conſignari; vtpote è quibus varia rerumpublic. experimenta diſci poſſint.*

Bornitius in diſcurſu de viro Politico, & alii ſcriptores Politici vehementer commendant cõſuetudinem Venetorum, qui id Legatis ſuis mandant, vt accuratiſſimè notent ſitum & qualitatem regionis, ſubditorum & principis; itemque reditus potentiam, mores aulicos, formam reipublicæ & alia, quæ in legatione ſua obſeruarunt, & iſta deinde Senatui Veneto exhibeant in ſcripta: Quas relationes Legatorum à multis ſeculis conſignatas Senat⁹ Venetus in archiuis ſuis pro quodam velut theſauro politico conſeruat. Et quæcunque Boterus & alii Itali de exteris rebuſpubl. ſcripſerunt, ea præcipuè ex talibus legatorum relationibus contexta ſunt.

Eſt autem legatus etiam vel perpetuus, vel temporarius.

Legatus perpetuus eſt, cuius legatio continuo, vel ſaltem diuturniore tempore durare debeat.

Temporarius legatus eſt, cuius legatio breui tempore debeat durare, dum nempe negocium commiſſum perficiat.

Et hæc quidem de legato emiſſo; de quo qui plura volet, legat Alberici Gentil. libros de legatione: item egregios duos libros de Legato ante

bien-

biennium editos ab Hermanno Kirchnero; quibus libris addita eſt oratio Chriſtoph. Varſauicii, de Legationib.

Sequitur de Legatis admiſſis ſiue de legatis, qui ad principem mittuntur; de quibus ſunt hi Canones:

1 *Legatum admiſſum Princeps diligenter exploret, & literas fidei ab ipſo poſtulet.*

2 *Legatum iure gentium ſanctum habeat atque inuiolabilem, eiq; honorem conuenientem illi à quo miſſus eſt, exhibeat; ita tamen ut etiam grauiter eum coërceat & puniat, ſi aduerſus Principem, ad quem mittitur, vel rempubl. legationem ſuam dirigat.*

Grauis eſt quæſtio: *An legatum aduerſus principem, vel rempu. delinquentem iure gentium liceat capere & punire*; quam quæſtionem peculiari libello hoc ipſo tempore Argentinæ edito prolixè tractatam legere licet.

3 *Legatos Princeps ipſe audiat; &, ſi intelligere non poſſit, interprete vtatur fideli.*

Et ſic de tractatione cum exteris conſideratâ in genere: ſequitur tractatio cum exteris in ſpecie conſideranda.

Conſideratur autem iſta ſpecialis tractatio vel ratione vicinitatis; vel ratione confœderationis.

De vicinitate ſunt hi Canones:

1 *A bona vicinitate pendet ſalus regnorum, & mali vicini à DEO cuilibet regno opponun-*

tur, vt vitia eius reprimantur; & vt in officio contineatur.

Vide Ioſuæ 15. Iudicum 3. 4. & 10. Sic hodiè Vngarorum & Germanorum vitia coercet Deus vicinitate Turcarum; Polonorum vitia vicinitate Tartarorũ: Gallorum peccata coercebat olim vicinitate Anglorum, vt inter alios prudenter annotat Cominæus parte 1. hiſtor.

2 *Periculoſiſſima eſt vicinitas gentis bellicoſæ; & talis quæ in regione ſua duriter viuit: Hæc enim ſi vicinam regionem fertilem inuadat; difficilimè ex ea pellitur.*

Vide 2. Reg. 16. Et docent id exempla Gothorum, Longobardorum; quia Italiam & Hiſpaniam inuadentes ne hodie quidem adhuc ex iis regionib. pelli potuerunt.

3 *Princeps norit ingenium & mores vicinæ gentis, vt nempe tantò prudentius eam poſſit tractare.*

4 *Omnibus modis princeps quærat pacem & concordiam cum vicina gente; aut, ſi eam non poſſit obtinere, muniat terminos ſui principatus eiuſmodi arcibus ac munimentis atq; præſidiis, vt vicinis ſit terrori.*

5 *Limites & terminos ſollicitè regat, ne à vicinis moueantur. Et ſi controuerſia de limitibus oriatur, curet, eam quamprimum componi; atque adeo certas notas, ſiue lapides limitares ſtatuat, qui nunquam poſſint loco moueri.*

6 *Ineat cum vicinis pactum quoddam, quo facinoroſi, qui ex ditione ſua pelluntur & proſcribuntur, etiam proſcribantur ex ditione vicini.*

Sic

Sic Marchiones Miſniæ & Landgrauii Haſſiæ, tanquam vicini principes habent commune pactum, Germanicè die gemeine Vorweiſung, vt qui proſcribuntur ex ditione Marchionis Miſniæ, etiam proſcripti intelligantur ex ditione Landgrauii Haſſiæ.

Sic de vicinitate: ſequitur confœderatio, ſiue Fœdus, quod eſt vel propriè, vel impropriè dictum.

Propriè dictum Fœdus, eſt pactum, quo diuerſi principes ſaluo vtrinque maieſtatis iure ſeſe mutuò ſolenniter obligant ad amicitiam colendam, fidem præſtandam, auxilia mutua mittenda, hoſtes communes habendos.

De hoc fœdere ſunt Canones:

1 *Princeps non facilè debet contrahere fœdera; ſiquidem facilè fieri poteſt, vt per fœdera fiat particeps alienorum peccatorum, atque adeò etiam alienarum pœnarum.*

Vide axiomata Polit. Richteri, axiom. 277. & ſeqq.

2 *Cum manifeſtè impiis dubia ſunt & periculoſa fœdera.*

Sic 1. Sam. 28. 29. & 30.

3 *Periculoſa quoque & dubia fœdera ſunt cum iis, qui in diuerſa Politiæ forma viuunt.*

Vide Iunium parte 2. quæſt. Polit. quæſt. 79.

4 *Periculoſum etiam eſt impotentis potentem iungi: quia nempe facilè occaſione & prætextu fœderis impotens poterit à nimis potenti penitus opprimi.*

5 *Non ineunda ſunt fœdera cum nimis remotis, nec cum nimis miſeris & afflictis, aut valdè periclitantibus.*

Porrò fœdus eſt vel defenſionis, vel commerciorum, vel vtriuſque ſimul.

Fœdus defenſionis eſt, quod contrahitur propter mutua auxilia præſtanda.

Eſtque vel par, vel impar.

Par fœdus vocatur, cum fœderati ſunt æquè pares, vel penè æquales.

Impar fœdus eſt, quo altera pars confœderatorum eſt ſuperior, altera inferior.

Vide Toloſ.lib.11.c.11.item Sigon.libr.1.de antiq.iure Ital.c.1.Alth.c.7.Pol.

Fœdus commerciorum eſt, quando ſanciuntur fœdera propter commercia, vt nempe confœderati habeant ius commerciorum vltro citroque.

Sic fœdus commerciorum eſt inter vrbes Boruſſiæ, Torunium, Dantiſcum, *&c.*

Fœdus defenſionis & commerciorum ſimul eſt, quod ſancitur tum ad præſtanda mutua auxilia, tum etiam ad commercia liberè exercenda inter confœderatos.

Quale eſt fœdus *Anſaticum*, der henſe ſtädtel de quo fœdere Politici & Hiſtorici teſtantur, quod ſit inter maximè nobilia & terribilia, vſque adeò vt Ludouicus ab Auila in hiſtoria belli Germanici non obſcurè profiteatur, potentiſſimũ illum

lum Carolum V. Imperatorem robur ciuitatum Anſaticarum valdè reformidaſſe. Dubitant verò hiſtorici de anno initi iſtius fœderis. Plerique tamen exiſtimant, inſtitutum fuiſſe circa annum Chriſti 1270. Qui ſcripſit meditamenta pro fœderibus, ſub nomine *Waremundi de Erenberg.* autor ſanè magnæ eruditionis & variæ lectionis, is pag. 150. de hoc fœdere ſic inquit: Quamuis immenſa fuerit initio huius fœderis vtilitas, & ſanctio honeſtiſſima contra Danos & Suecos, qui in Holſatiæ & Saxoniȩ regiones ac ciuitates irruebant, tamen poſtea vehementer debilitatum eſt, dum nempe Anſatici domeſticis inſidiis & priuato commodo faſcinati, neſciunt vti hac ingenti potentiâ, cum homines alant aliis regibus principibuſque obligatos, & concionatores ad quælibet vulgus incitantes. Cæterum de iure hoc & fœdere Anſatico bene nos ſperare iubent proxima iſta Anſatica comitia, Iunio menſe huius anni celebrata; quibus id fœdus de nouo velut inſtauratum & confirmatum fuit.

Impropriè dictum fœdus iterum eſt vel laxius vel arctius.

Laxius eſt inter principem patronũ, ſiue defenſorem, den Schutzherrn; *& eos qui ſunt ſub eius defenſione: item, inter principem & eius tributarios, vel ſimplices vel etiam magis ſtrictos; eos nẽpe qui à potentiorib. victi pacẽ acceperunt; ſic tamẽ vt iura maieſtatis retineãt, & interim,*

victoris nomen comiter obſeruent, eique tributum annuum ſoluant.

De talib. vide Bodin. lib. 1. c. 9.

Arctius autẽ fœdus impropriè dictũ, eſt dedititiorum; id eſt, eorum, qui cũ antea liberiores eſſent, planè ſeſe dedere poſtea coacti fuerunt, certo inito fœdere ac pacto.

Tales *Dedititios* propriè confœderatos dici non poſſe, rectè concludit Althuſ. ſub finem c. 7. Vide etiam de his Antimach. libr. 3. theor. 18. Sigonium de ant. iure. Item, lib. 1. cap. 1. Atque hæc quidem etiam de fœderibus, de quibus, vt dixi, extat præclarus tractatus Pol. abundè hanc materiam explicans, ſcriptus à quodam ſub nomine *Varemundi ab Erenberg*. Videatur etiam de hac materia Toloſ. lib. 11. de repub. Item Bodin. lib. 5. c. 6. item libr. 1. c. 9. vbi octo genera fœderum recenſet, quibus ſe tenuiores aduerſus potentiores munire poſſunt. Videatur etiam Lipſ. lib. 4. cap. 9. Iunius parte 2. quæſt. Pol. quæſt. 79. vbi de fœderibus pro & contra diſputat. Deniq; Althuſ. c. 7. & 20. Polit. De ruptionibus verò fœderum, deq; fœdifragis & eorum certiſſima pœna vide axiomata Oeconom. Richt. axiom. 74. & axiom. politica axiom. 275.

Hucuſq; de cura principis, quam gerere debet in vita. Supereſt cura quam gerere debet circa mortem.

De hac generalis Canon eſt:

Bono principi non minori curæ eſſe debet, qualis reſp.

reſp. poſt mortem ſuam futura ſit, quam qualis nunc eſt, dum viuit.

Iſta autem cura eſt vel publica vel magis priuata.

Publica cura eſt, qua angitur de corpore vniuerſæ reipub. de qua cura ſunt hi Canones:

1 *Princeps maturè taſtamento ſuo diſponat de rebus omnibus, atque id teſtamentum arcanum ac ſecretum habeat.*

2 *Teſtamenti ſui certos executores conſtituat, eoſq; potentes.*

3 *Succeſſorem, ſi dubius ſit, nullum quidem palam nominet, ſed nominet tamen expreſſè in teſtamento, additis grauibus argumentis cur nominet.*

Si certus ſit & hæreditarius ſucceſſor, iam huic Canoni non eſt locus; vtpote in quo agitur de ſucceſſore dubio & incerto, quem princeps palam nominare ſubditis non debet, ne in tanta voluntatum humanarũ mutabilitate præbeat occaſionem nouis motibus. Homines enim ita ſunt ingeniati, vt ſucceſſorem nouum magis reſpiciant quam decedentem anteceſſorẽ; prout omnes res creatæ magis obſeruant ſolem orientem, quã occidentem. In quo monito Politico ſeruando ſumma extitit prudentia Reginæ Angliæ Eliſabethæ; quæ etſi *Iacobum VI. Scotorum regem* vellet omninò eſſe ſucceſſorem ſuum, idque etiam teſtamento prouidiſſet, tamen nunquam id palam profeſſa eſt vel Iacobo regi, vel etiam ſubditis ſuis.

4 *Si certus ſit ſucceſſor, monebit eum princeps de his omnibus; quæ ad regni ſalutem maximè iudicet pertinere, & quibuſnā rebus putet maximè eſſe medendum, vt regnum conſeruetur.*

Vide 1. Reg. 2. exemplo Dauidis.

Cura principis circa mortem magis reſtricta eſt, qua agitur de aula ſua, atque adeo de perſonis vel neceſſariis vel officiariis in aula.

De cura circa perſonas neceſſarias, sũt hi Canones;

1 *Coniugi ſuæ poſt mortem ſuam reſtè prouideat, vt ei tantum tribuat, vnde cum honore vitam ſuam traducere poſſit.*

2 *Filios & filias morti vicinus princeps aduocet, atque hortetur ad virtutem ac decus familiæ ſuæ tuendum; inprimis autem filium primogenitum, cui ſceptrum imperii eſt relicturus.*

De officiariis eſt hic Canon:

Præcipuos etiam & inſignes maximè Conſiliarios princeps aduocet, & præclarè meritis præmia; ſi quæ nondum dedit, conſtituat; eoſque hortetur ad fidelitatem poſthac quoque præſtandam cum toti reipubl. tum in ſpecie & inprimis coniugi & liberis relictis.

Atque hæc etiam de cura principis circa mortem. de qua multa egregia legi poſſunt ſub perſona & exemplo M. Aurelii Imperatoris, in libro inſigniter politico, cui tit. eſt *Horologium Principis*, lib. 3. c. 57. vſque ad finem.

CAP XXV.

De officio ſubditorum Principis.

Vidimus ordine varias ac multiplices curas, atq; adeo officium principis; ſequitur officium ſubditorum.

De officio & cura ſubditorum ſunt hi Canones generales:

1 *Ex natura vnius relati, facile intelligitur alterum: idcircò expedita erit & facilis doctrina de officio ſubditorum, poſtquam de officio principis actum eſt; ſiquidem curæ principis debent ſubſeruire curæ & officia ſubditorum.*

2 *Sicut pater filio eſt obligatus iure naturæ, ita quoque princeps eſt obligatus ſubditis iure Politico. Verum vt filius patri tanquam ſuperiori magis eſt obligatus quàm pater filio: Ita quoque ſubditi ſunt magis obligati principi, tanquam ſuperiori, quàm princeps ſubditis.*

Hic Canon ſeruit ad multas difficiles controuerſias expediendas de iure magiſtratus in ſubditos, itemque de obedientia, quam debent ſubditi magiſtratui etiam difficili, etiam tali, à quo premuntur. Sed id tamen annotandum eſt, quod hîc loquamur de magiſtratu monarchico, quæ eſt perfectiſſima magiſtratus ſpecies, vt ſupra monuimus. Quamuis ad omnem quoque magiſtratum iſta accommodari poſſint, quatenus de omnibus magiſtratibus dictum eſt, *Ego dico, vos Dii eſtis.*

Porrò officium ſubditi refertur vel ad prin-

cipem; vel ad ipſum ſubditum; vel ad alium ab ipſo diuerſum.

Officium relatum ad principem pertinet vel ad ipſum principem immediatè; vel ad principis adiunctos.

In officio ſubditi pertinente ad principem, duo ſunt ſpectanda, nempe fundamentum iſtius officii, & deinde ſpecies.

Fundamentum officii, eſt obligatio, quæ vel abſolutè ſpectatur, vel cum addito iuramento fidelitatis, quod vocatur *Homagium*; de quo iuramento ſunt hi Canones:

1 *Ad præſtandum Homagium omnis fidelis ſubditus paratus eſſe debet, & operam dare, vt ſolennitas Homagii decorè peragatur.*

2 *Homagium præſtitum à marito intelligitur etiam præſtitum eſſe à coniuge; & homagium præſtitum à patre, intelligitur præſtitum à filio; & denique præſtitum à domino, intelligitur etiã præſtitum eſſe à ſeruo ac famulo.*

Species officii ſequitur, quæ eſt vel virtus vel munus.

Virtus quam debet ſuo principi ſubditus, eſt; 1, amor & fidelitas; 2, obedientia; 3, honor.

De amore & fidelitate ſubditorum erga principem, ſunt hi Canones:

1 *Inter omnes virtutes, quas ſubditus ſuo princi-*

pi

pi debet, prima ac principalis eſt amor ac fidelitas; quæ ſi abſint, reliqua abſunt: ſi adſint, reliqua ſponte ſequuntur.

2 *Pertinet ad amorem & fidelitatem, vt ſubditus defendat vitam ſui principis, & abhorreat ab omni proditione & molitione ſicaria.*

3 *Etiam hic eſt affectus amoris erga principem; quod vitentur omnia cõuenticula & conſpirationes, atq; vt defendatur omnibus modis autoritas ac maieſtas principis.*

Vide Toloſ. lib. 8. c. 5.

De obedientia ſubditorum ſunt hi Canones:

1 *In Monarchico ſtatu promiſſio obedientiæ & obſequiorum, ſine vlla expreſſa conditione fieri intelligitur.*

Iunius Brutus de vind. tyrann. quæſt. 3. abſolutè & vniuerſaliter ſtatuit, quod à ſubditis obedientiæ ac obſequiorum promiſſio fiat ſub cõditione vel tacita vel expreſſa. Quod rectius accommodatur ad reliquas reipub. formas, quàm ad ſtatum rei Monarchicum.

2 *Quia autem ſubditus magis eſt obligatus Deo quàm principi, ideo Dei reſpectu conditio ſubaudienda eſt;* nempe, ſi princeps nihil mandet quod ſit contra Deum. *Alias in rebus politicis, quæ non expreſſe pugnant cum Dei verbo, principis mandato parendum eſt, etiamſi ſit tyrannus vel ſceleratus.*

Vide Aretium tom. 2. probl. loco 153.

De honore & reuerentia Principis Canon eſt:

Principi debetur honor cum quodam timore ac tremore, atq; adeo cum ſingulari quadam ſubmiſſione & humilitate.

Prouerb. 24. *Time Deum & Regẽ, & cum ſeditioſis ne commiſcearis.* Rom. 13. Paulus iubet timorem tribui principibus & honorem. Vide Toloſ. cap. 8. lib. 3.

Sic de virtute principi debita; Munus ei debitum, eſt vel perſonale vel reale.

Munus, ſiue onus perſonale eſt, quod præſtatur miniſterio corporis, ſiue quod præſtatur induſtria & labore noſtro.

De munere perſonali ſunt hi Canones:

1 *Qui talem induſtriã & operam impendit principi, quâ reſpub. valdè iuuatur, is ob hoc ipſum onus præſtantior & honoratior habetur.*

Vide Toloſ. lib. 4. c. 6.

2 *Immunitas, ſiue vacatio à muneribus perſonalibus dicitur Græcis* ἀλειτουργία, *& contingit ob cauſas non niſi graues ac iuſtas; vt eſt infirmitas corporis, vel inopia.*

3 *Ex infirmitate corporis immunes ab oneribus perſonalibus cenſentur infantes, & qui minores ſunt annis 20. aut etiam maiores annis 50.*

4 *Sexus muliebris quoque ob imbecillitatem à multis oneribus perſonalibus, quæ viri præſtant, excuſatur.*

5 *Propter morbos quoque immunitas datur, vt & propter indigentiam nimiam, & propter numeroſam ſobolem.*

Vide

Vide de cauſis immunitatis Althuſ c.12.

6 *Præſtantur autem munera perſonalia vel tempore pacis, vel tempore belli.*

Sequitur onus, ſiue munus reale; quod fit erogatione, ſiue contributione vel pecuniæ, vel earum rerum, quæ pecuniæ vim & valorem habent.

De hoc onere Canon eſt:

In exactionibus & contributionibus dandis ſubditi ſint tum fideles, tum expediti; cum ſine iis reſpu. nec regi, nec defendi queat.

Apoſtolus ad Roman.13. inprimis mandat magiſtratui tributum pendi. Et videatur de hoc munere latius Danæus libr.3. cap.3. Toloſan. libro 3. cap.4.

Et ſic de officio ſubditi erga principem in genere: ſequitur relatio ſubditi ad principem in ſpecie; nempe, quatenus ſubditus frequentius cum principe verſatur, inque eius aula viuit.

De hac conuerſatione ſunt hi Canones:

1 *Si ita vſus requirit, vt cum principe ſit verſandum, omnino circumſpectum & cautum eſſe oportet ſubditum; quia nimia familiaritas cũ principe valde periculoſa eſt.*

2 *In aulis principum lenta ſunt beneficia, & præcipites iniuriæ.*

3 *Beneuolentia principis & fauor aulicus valdè eſt inconſtans & mutabilis.*

Vide axiom. Pol. Richt. axiom.180.

Officium erga principis adiunctos, eſt vel erga neceſſarios principis, vel erga officiarios.

Officium erga neceſſarios principis iterum eſt vel erga neceſſarios arctiores vel laxiores.

Erga neceſſarios arctiores eſt vel erga coniugem, vel erga ſobolem principis.

De officio erga coniugẽ principis Canon eſt:

Etſi coniux principis propriè non ſit magiſtratus, tamen debetur ei honor & reuerentia propter indiuiduam copulam matrimonii cum principe; cum maritus & vxor ſint vnum corpus: nec viuo tantum principe, ſed etiam mortuo coniugem eius à ſubditis obſeruari æquum eſt.

De officio erga ſobolem principis ſunt hi Canones:

1 *Maſculam principis prolem ſubditi in oculis ferant, vtpote cum ex numero eius ſucceſſorem in principatu ſint habituri.*

2 *Fœmineam ſobolem principis non negligant ſubditi, ſed colant & iuuent propter honoris obligationem, quâ aſtricti ſunt ipſi parenti.*

Laxiores neceſſarios principis voco, fratres, agnatos, cognatos, de quibus Canon eſt:

Fratribus principis etiam honorem debitum & officia ſubditi tribuant; quin & reliquos cognatos & agnatos obſeruent, tanquam quorum miniſterio poſſint vti in concilianda principis beneuolentia; atque adeo quos poſſint interceſſores habere, cum aliquid à principe petendum eſt.

Sequi-

Sequitur officium ſubditorum principis erga officiarios, qui vel in genere conſiderantur; vel in ſpecie.

De officiariis, in genere conſideratis, ſunt hi Canones:

1 *Officiarios principis ſubditi obſeruent tanquã perſonas publicas, ad vſum Reipubl. à principe ordinatas.*

2 *Operas officiariorum nullo modo impediant, ſed potius iuuent, & promoueant, eorum næuis atque imbecillitatibus humniter ignoſcant; aut, ſi ignoſci non poſſit, rem omnem legitimè ad principem deferant.*

Officiarii in ſpecie conſiderati ſunt vel eminentiores; vel gratioſiores.

De eminentioribus Canon eſt:

Eminentiores principis officiarios, vt ſunt præcipui Conſiliarii, & præcipuæ perſonæ aulicæ, ſingulari honore afficiant ſubditi; etiam ſi fortè vel ex eodem cum illis genere orti ſint, vel etiam familiariter cũ iis vixerint olim. Neque enim hic vel ſanguis, vel conditio præcedens, ſed munus atq; officium à principe impoſitum ſpectari debent.

De gratioſioribus Canon eſt:

Si perſona apud principem gratioſa, virtute ſuâ iſtam gratiam promeruit, fac eam colas ſummâ obſeruantia tanquam quâ poſſis vti interceſſore in grauiſſimis negotiis; quæ apud principem peragenda ſunt, & quæ alioquin ſit digna omni honore propter virtutem. Si verò propter adulationem, vel alias

cauſas gratioſa ſit perſona, ſaltē ità te geras erga eā, ne facilè offendas.

Sequitur officiū ſubditi erga ſeipſum, de quo Canon eſt:

Cum magna ſit felicitatis pars eſſe membrum reipubl. benè conſtitutæ; ideò ſuiipſius rationem ſubditus habere debet, ne ſcilicet peccet in ſeipſum, tanquam membrum reip. atq; adeò ſe à corpore reipubl. reſecet.

Officium ſubditi ergà alios eſt vel erga vniuerſitatem totam; vel erga ſingulos in iſta vniuerſitate.

De officio erga vniuerſitatem totam ſunt hi Canones:

1 *Totam vniuerſitatem, id eſt, patriam, in qua natus es, vel in qua ciuis es; vel deniq; in qua tibi benè eſt; ardenti amore proſequi oportet, tanquam cui Deus & natura tè obſtrinxit; ſic tamen vt vitia & defectus patriæ, ſiue vniuerſitatis iſtius, in qua viuis, non excuſes vel augeas, ſed ſeriò cupias & ſtudeas emendare quantum in te eſt.*

2 *Bonum omne priuatum poſtponendum eſt bono reip. ſiue patriæ.*

3 *Linguam & idioma patriæ ſtudeas conſeruare, ſi ſit integrum; aut ſi aliquid ei deſit, omnibus modis excolere; quia ſermo vinculum eſt, quo homines in patria connectuntur, & ornamentum eſt quo apud exteros decorantur.*

Toloſan. libr. 15. cap. 3. Cælius Rhodig. libr. 22. c. 17.

4 *Mores in patria receptos niſi penitus ſint abſurdi, ne temerè improbes vel mutes.*

5 Veſti-

3 *Veſtitum in patria uſitatum retine; quia plerunque cum mutatione veſtiū etiam mores mutātur.*

De veſtitu & eius mutatione, vide pulchra Politica apud Richt. in ax. Pol. ax. 318.

Sic de officio erga totam vniuerſitatem: Sequitur officiū erga ſingulos in iſta vniuerſitate.

Singuli in vniuerſitate conſiderandi ſunt vel ratione virtutis, quam iis debes; vel ratione controuerſiæ, quæ inter te & illos oriri poſſunt.

Ratione virtutis, ſpectantur vel ſuperiores, vel pares, vel inferiores.

Superiores ſpectantur vel ratione dignitatis, vel ratione patrocinii.

Ratione dignitatis ſuperiores ſunt vel genere, vel meritis in remp. vel officio.

Superior beneficio eſt patronus reſpectu clientis, de quo Canon eſt:

Quod cliens patroni ſui vitam, autoritatem & honorem tueri teneatur.

Superiores officio ſunt, qui in rep. publicū aliquod munus ſuſtinent, etiamſi cum principe, & in eius aula non ita verſentur, quos ipſos etiam in magno honore haberi oportet à fidelibus reip. membris.

Sequitur officium erga pares, qui vel ſeparatim conſiderantur, vel collectim.

De paribus ſeparatim conſideratis Canon eſt:

Subditus ſubdito pari debet humanitatem & comitatem, atque adeò politicam conuerſationem ſuauem, etiamſi alias ſententiis & opinionibus ab eo diſſentiat; idq; propterea, vt totũ reip. corpus tranquillè conſeruetur.

Pares collectim conſiderati ſunt vel vicini, vel vnius eiuſdemq; familiæ membra.

De officio ſubditi erga vicinos Canon eſt:

Vicinitas plurimum facit ad reip. conſeruationẽ; ſiquidem homines neceſſe eſt vnâ habitare; ideo bonus & fidelis ſubditus vicini maximam rationem habere debet.

Subditus collectim conſideratus, ratione familiæ, vocatur is, qui membrum eſt certæ alicuius familiæ, de quo Canon eſt:

Quia familiarum conſeruatio facit ad conſeruationem reipu. ideo familiæ alias familias obſeruare debent, & quantum in ipſis eſt amplificare & ornare, non verò factionibus & diſſenſionibus excitatis mutuò ſeſe inuicem conficere.

Officium ſubditorum erga inferiores habet hunc Canonem:

Is qui ſuperior eſt dignitate & opibus, omnibus modis laborare debet, vt membris reliquis egeſtate vel alio malo afflictis ſuccurrat, atq; adeò quantum in ſe eſt, omnia reip. membra æquè felicia reddat ac ſeipſum.

Officium ſubditi conſideratum reſpectu incidentium controuerſiarum, habet hos Canones:

1 *Im-*

1 *Impoſſibile eſt ſubditos ita viuere, vt non aliqua controuerſia oriantur propter magnam varietatem rerum, temporum, locorum ac perſonarum.*

2 *Controuerſiis ergò ortis bonum reip. membrum inprimis ſtudeat, ne priuata controuerſia vertatur in reip. perniciem.*

3 *Detur opera, vt controuerſia & lis orta bonis mediis componi poſſit inter ipſos litigantes.*

4 *Si id fieri non poſſit, vtraq; pars eligat arbitros, qui controuerſiam componant, ne ſit neceſſe ad iudicia publica deuenire, & negocium magiſtratui facere.*

1. Corinth. 6.

5 *Si autem omninò ad iudicia publica ſit veniendum, omnia pacatè adminiſtranda ſunt, & exſpectanda iuris ſententia.*

Porrò ſubditus, de cuius officio egimus, eſt vel indigena vel extraneus.

Indigena tanquam præcipuus ac principalis ſubditus conſideratur vel ratione aliorum indigenarum & ciuium; vel ratione peregrinorum.

Indigena ratione aliorũ indigenarum obſeruet hunc Canonem.

Vt erga ciues ciuiliter ſe gerat.

Indigena reſpectu peregrinorum notet hunc Canonem:

Vt nempe erga peregrinos quoq; & extraneos comiter & humaniter ſeſe gerat, eoſq; curet adiutos & promotos quatenus reip. & patriæ ſalus id patitur.

Peregrinus ſe rectè geret tum erga ciues reip. eosque obſeruabit, & nullo modo lædet, tum

etiam erga alios peregrinos, cogitans ſe quoq; eſſe peregrinum, atque adeo non ſit curioſus in aliena republica, nihil præter negotium ſuum agat, nihil de alieno inquirat, moribus ac conſuetudinibus iſtius loci in quo viuit, ſi non penitus ſint abſurdæ, ſeſe accommodet.

Poſtrema pars Canonis, *nempe quod peregrinus nõ debeat eſſe curioſus in aliena rep.* ſunt verba Cic. 1. de repu. videri autem poteſt de hac materia latius c. 4. lib. 4. Toloſ. de rep.

CAP. XXVI.

De cauſis primis mutationum in repub.

HVcuſq; de ſtatu reipubl. integro & incorrupto: Sequitur ſtatus reipu. affectus & morboſus.

Cum hactenus egerimus de perfecti ſtatus Politici, nempe de Monarchiæ, ſiue principatus fundamentis ſiue cauſis, poſtea etiam effectis, ſiue officio tum reſpectu principis, tum ſubditorum; iam nunc methodi ratio nos ducit ad oppoſita, ſiue pugnantia ſtatus perfecti. Pugnat autem cum ſtatu perfecto ſtatus affectus, ſiue mutatio, inclinatio & euerſio ſtatus Politici, de quo in diſciplina Politica neceſſario tractandum eſt, vt nempe remedia quæri poſſint pro mutatione & euerſione ſtatus vel auertenda, vel curanda & emendanda; quandoquidem hęc eſt proprietas ſtatuum Pol. in hac conditione humani generis, vt multis mutationibus corruptionibus & veluti morbis magis vel minus lethalibus ſint obnoxii.

Status

Status ergo affectus, ſiue mutatio regiminis Politici vel in genere & abſolutè ſpectatur, vel in ſpecie.

In genere & abſolutè ſpectata mutatio ſuis cauſis conſideranda eſt, quibus cauſis inueſtigatis facilè per ſe patebunt remedia.

Cauſa mutationis eſt vel prima vel ſecunda.

De cauſa prima, nempe de diſpoſitione primi Monarchæ, videlicet Dei, ſunt hi Canones:

1 *Actiones ſingulorum Indiuiduorum human. magis ſunt in poteſtate humana. Sed conſtitutiones, gubernationes & conſeruationes humanarum communionum ac ſocietatum, ſiue integrarum rerumpublicarum non ita eſſe poſſunt in poteſtate hominũ, magiſq; adeo pendent a cauſa prima, & eius diſpoſitione.*

2 *Cum autem Deus maxima queq; opera in mũdo & in genere humano efficiat per angelos, non plane improbabile aut alienum fuerit, quod imperiis ac rebuſp. ſingulis præſit certus aliquis Angelus & Genius, veluti præſes diuinitus conſtitutus.*

Iudæorum quidem conſtans opinio eſt, quod ſingulis prouinciis ac rebuſp. certi angeli præſint. Quam ſententiã etiam non pauci Eccleſiæ Doct. amplexi ſunt, cum præſertim Dan. 10. & 11. nominetur angelus præſes Perſiæ & Græciæ, & cum ad Eph. 3. Apoſtolus diſertè conſtituat certũ ordinem angelorum, quem vocat *Poteſtates*, quaſi dicat Præſides rerum magnarum in humano

genere, & Præſides magnatum ac potentium. Vide de hac quæſtione Zanchium parte 1. operum creat. & Caſmannum in Angelographia, parte 2, cap. 7.

3 *Sunt ſingulis imperii certa temporum interualla & periodi diuinitus conſtitutæ, inter quas periodos annus* 500. *&* 700. *maximè ſolet eſſe fatalis.*

Nolo in deducendis hiſce periodis eſſe prolixior, cum præſertim totam hanc materiam luculenter alii tractarint, inter quos Bod. libr. 4. c. 2. & inprimis Richterus in axiomat. Pol. axiom. 1. 2. & ſeqq. Illud tãtum addo, cauſam quoque ſecundã & inferiorem quæri poſſe, cur nempe annus 500. & 700. imperiis ac Rebuſp. ſit fatalis; nempe, quia intra hoc ſpacium temporis decurrit ſexta circiter hominum generatio, quæ generatio deficit & deflectit magis ac magis ab eorum hominũ ſimplicitate, robore ac fortitudine, qui initio imperia eiuſmodi virtutib. acquiſiuerunt & conſeruarunt. Sicut enim corpora hominum quarta & quinta generatione fiunt languidiora, ita etiam decreſcit robur ac fortitudo, quo robore ac virtute bellica præcipuè regna acquiruntur & conſeruantur atque propagantur.

4 *Numero per ſe, quatenus numerus eſt, nullam tribuimus efficaciam in imperiis vel mutandis vel conuertendis.*

Plato lib. 8. De repub. tractans de imperiorum mutationibus multa obſcurè loquitur de numeris; ita, vt qui Platonis textum legit, mera ænigmata eſſe exiſtimet. Ariſtoteles lib. 5. Politic. cap. 12. iſtã obſcurã præceptoris ſui ſententiã breuiorib.

verbis

verbis complectitur, atque ita effert: Principium «
ſiue cauſa mutationis in reb. publicis ſunt nume- «
ri, quorum radix ſeſquitertia binario iuncta duos «
concentus efficit, ſiue duas proportiones. Quis a. «
ſit ſenſus huius Platonicæ ſententiæ, & quid per illã ſeſquitertiam radicẽ binario iunctam intelligendũ ſit, id v. adhuc ita eſt obſcurũ, vt Cic. 7. epiſtolarum ad Atticum numeros Platonicos in prouerbium rapiat. Marſil. Ficinus diligentiſſimus aliàs Platonis interpres, Apollinis auxilium ad eos numeros explicandos aduocat: nec tamen rem perſpicuè declarat. Melanch. tomo 2. Declamationum dicit Platonis verba eſſe intelligenda de curſu Solis duodecies multiplicato, qui motus magnis imperiis mutationes ſolet afferre. Alii dicunt Platonem hoc voluiſſe, quod ſicut in corporib. humanis annus ſeptimus & nonus, qui *Climacterici* vocantur, mutationes afferunt valetudinis; ita quoque ad mutãdas reſp. mira ſit efficacia numeri ſeptenarii & nouenarii cum ſuis quadratis & cubicis, id eſt, ſeptenarii & nouenarii, non ſimpliciter conſiderati, ſed etiam quadratè, ſiue cubicè multiplicati. De qua explicatione numerorum Platonis, qua meliorem non inuenio, vide Peucerum lib. de diuinat. & prolixè Bodin. lib. 4. c. 2. & inprimis Ranzouium in Catalogo Imperatorum, vbi perſpicuè multa tradit de Climactericis tum hominum ſingulorum, tum etiam imperiorũ. Rationes a. quib. Ariſt. Platon. ſententiam oppugnat, videri poſſunt lib. 5. Polit. c. 12. nempe 1, quod numerorum per ſe nulla ſit vis; 2, quod iſta cauſa ſit nimis communis & contineat tranſitum de genere in genus; quæ Ariſto-

telis argumenta, perſpicuè reſoluit Caſus libr. 5. Sph.ciu.c.12. Vide etiam de hac materia diſputãtem Bod.c.6.methodi hiſtor.

5 *Circumacto triceſimo anno plerumque aliqua mutatio ſolet fieri in imperiis, cum nempe poſt annos 30. plerumque è ſua ſtatione diſcedant ii, qui antea rebus communibus præfuerunt, & ſuccedant deinde noui, qui intra iſtos 30. annos adoleuerunt, & mores nouos ſententiasque ad rempublicam adferunt. Quin & in genere videmus trigeſimo quoquo anno vel etiã mediis annis inter trigeſimum, in rebuſpub. mutari mores, veſtium, ritus & alia externa.*

Vide Richt.ax.9.

6 *Deus conſtituit pleriſque imperiis fatales vt temporum, ita quoque regionum, ſiue locorum terminos ac limites.*

Vide Richt.ax.37.& 38.

7 *Quando imminet mutatio imperiorum, plerumque diuinitus excitantur magni Heroes, quibus tanquam organis Deus vtitur ad imperia punienda, vel emendanda.*

Vide Riht.axiom.40.

8 *Deus plerumque reuelat futuras rerump. mutationes certis ſignis ac prodigiis.*

Vide Bod.lib.4.c.2.& Richt.ax.19.

Nec plura addo exempla, ſed vnicum tantum ſtudioſis Politicæ conſiderandum hoc tempore propono, nempe mutationem hanc, quæ imminere videtur regno Poloniæ, diuinitus præſignificatam videri terræ motu, qui fuit in Volinia, ipſa vigilia natiuitatis Chriſti anni præcedentis

1605.

1605. Id quod propterea moneo, quod obſeruem primò rariſſimos in Polonia terræ motus fuiſſe, propter nempe terræ conſtitutionem & planitiem. Quò autem rariores ſunt in aliqua regione terræ motus, eò magis ſunt prodigioſi; 2, quod videam Hiſtoricos Polonos annotare, poſt terræ motum in Polonia ſingulares mutationes acciđiſſe. Vide Herbort. lib. 6. Chron. cap. 2. & libr. 7, c. 10.

Et ſic quidem de cauſa mutationum in rebuspub. prima: ſequitur cauſa ſecunda, quæ eſt vel naturalis vel moralis.

Ita diſtinguunt Politici cauſas mutationum in rebuſp. quod omnis cauſa ſit vel diuina, vel naturalis, vel moralis. De diuina huc vſque egimus: reſtant duæ reliquæ.

Naturalis cauſa eſt vel ſuperior vel inferior.

Superior cauſa naturalis eſt, motus & influxus ſiderum cœleſtium. de qua cauſa Canon eſt;

Cœlum efficaciſſimè agit in corpus humanum, ſibi maximè cognatum, atque adeò etiam in corpus tum ipſius principis, tum ſubditorum; ita nempe; vt in corporibus mutet temperamenta: mutatis autem temperamentis mutantur mores; mutatis moribus Principum & ſubditorum, ſequitur mutatio reipub.

Non probamus ſuperſtitioſas cœleſtiũ corporum obſeruationes, quales habuerunt Chaldæi & Ægyptii, quiq; hos ſequuntur hodie. Tales.n. obſeruationes non erant fundatæ in ipſa natura

& ſubſtantia hominis; ſed tantum in vanis imaginationib. gentis ſuperſtitioſæ, idcircò Deus apud Eſaiam prædictiones haſce de mutationibus regnorum ſimpliciter damnat. Loquimur ergò de obſeruationibus corporum celeſtium, quæ cauſam mutationis imperiorum quærunt & ponunt in ipſa diſpoſitione hominum, atque adeò in tēperamento & moribus tum principis, tum ſubditorum.

Cauſa naturalis ſecunda, ſiue inferior eſt vel intra hominem, vel extra.

Cauſa intra hominem eſt diſpoſitio temperamenti in corporibus tum principum, tum ſubditorum, atq; adeò tum diuerſa natiuitas, tū mors eorum, qui remp. gubernant.

Externa cauſa naturalis eſt mutatio vel ignis, vel aquæ, itemque terræ & loci, in quo reſp. conſtituta eſt. Itaq; huc pertinent incēdia, inundationes, terræ motus, mutationes portuum, ſterilitates, fames, peſtis, & omnia naturæ damna, quib. reſp. mutantur.

Sequitur moralis cauſa mutationis, quæ eſt vel interna, vel externa.

Interna eſt vel ex parte principis, vel ex parte ſubditorum.

Interna ex parte principis habet hunc generalem Can.

Principum initia plerumque bona, progreſſus autem deteriores eſſe ſolent, ex qua Principum mutatione, magna oritur mutatio in rebusp.

Canon

Canon eſt Taciti 15. Annal. *Initia magiſtratuum ferè meliora ſunt; ſed finis inclinat*; hinc nempe eſt prouerbium: *Quinquennium Neronis*; quo ſignificatur principes primis annis optimos eſſe plerumque, poſterioribus autem degenerare.

Eſt autem interna cauſa mutationum reſpectu principis, vel Ethica, vel Politica.

De Ethicis cauſis ſunt hi Canones:

1 ***Intemperantia & libido Principum mutat reſpub.***

Vide Richt. axiom. 13. & 23. ex Toloſan. lib. 22. cap. 3.

2 ***Quando Principes ſunt effœminati & imbelles, mutantur imperia.***

Sicut enim fortitudine bellicâ imperia & acquiruntur & defenduntur ac conſeruantur; ita contra mollitie & puſillanimitate amittuntur, vel periculosè mutantur. Vide Richt. ax. 20.

Cauſæ politicæ mutationum ſunt vel reſpectu fundamenti principatus, vel reſpectu officii & curæ principis.

De cauſis reſpectu fundamenti principatus, ſunt hi Canones:

1 ***Fieri non poteſt, vt reſpubl. diu ſit ſalua; cum Princeps regnat vel per violentã inuaſionem; vel per inſidioſam ſubreptionem, ſine legitima vocatione ad principatum.***

Vide axiom. Richt. 33.

2 ***Periuria Principum, id eſt, cum non ſeruant iuramenta ſubditis præſtita, eo tempore, quo adgu-***

bernacula vocabantur, important regnis periculoſas mutationes & conuerſiones.

3 *Autoritas principis decreſcens infert mutationem, & circumactis periodis imperiorum, deficit autoritas regentium.*

Vide Richt. ax. 6. vbi prolixè tractat de principum autoritate.

Cauſæ reſpectu officii ſeu curarũ principis, habet hos Canones:

1 *Cum princeps non audit Conſiliarios prudentes & fideles, imminent mutationes regnorum.*

2 *Cum iudicia publica collabuntur, & grauia ſcelera manent impunita, præ foribus ſunt conuerſiones regnorum.*

3 *Cum Princeps ſubditis defenſionem legitimam non præſtat, ſed eos ſinit vexari incurſionibus hoſtium, ſequuntur mutationes.*

4 *Cum reditus regnorum neceſſarii decreſcunt, neceſſe eſt ſequi mutationem, cum reditus ſint nerui imperiorum.*

5 *Cum Princeps nimis expilat ſuos ſubditos grauibus tributis & exactionibus, ſequitur mutatio.*

Vide Richt. ax. 16. & 27.

6 *Cum in immenſum creſcit potentia & amplitudo regnorum, plerumq; ſequitur conuerſio, & imperium mole ſua ruit.*

Vide Richt. ax. 10.

7 *Exteri temerè irritati, aut etiam temerè in regnum aduocati, afferunt plerumque mutationes regnorum.*

Fue-

Fuerunt cauſæ ex parte principis: reſtãt cauſæ ex parte ſubditorum, quæ etiam ſunt vel Ethicæ, vel Politicæ.

De Ethicis cauſis ſunt Canones:

1 *Cum inter ſubditos graſſantur ſcelera & excutitur omnis reuerentia legum; & viuitur licentioſè, in libidinib. & luxu, ſequuntur mutationes.*

Vide Richt. ax. 23.

2 *Cum ſubditi degenerant à priſtina fortitudine, & fiunt imbelles atque effœminati, conuertuntur imperia.*

De cauſis politiæ ſunt hi Canones:

1 *Cum ſubditi incipiunt odiſſe Principes & eorum tædio affici, ſequuntur mutationes; & rarò eum principem, cuius tædio afficiebantur, ſequitur melior.*

2 *Infidelitatem ſubditorum ſequuntur pœnæ & conuerſiones.*

3 *Inobedientiam & contumaciam ſubditorum comitatur rerum conuerſio.*

4 *Vbi nec legibus nec magiſtratui honor habetur, diu ſalua eſſe reſp. nequit.*

Vide Richt. axiom. 19.

CAP. XXVII.

De vitiis reipublicæ minus grauibus.

HVcuſque de cauſis mutationum in principatu, ſiue republ. ſequuntur vitiorum & corruptelarum.

Eſt autem vitium principatus, ſiue reip. vel minus, vel magis periculoſum.

Minus periculoſum vitium eſt, à quo non ita proximè & immediatè regiminis interitus metuitur.

Eſtq́ vel ex parte principis; vel ex parte ſubditorum & principis ſimul.

Ex parte principis eſt, vel partialis, vel magis plena.

Partialis cauſa vitii eſt vel longior principis à regno abſentia, vel ſenectus & morbus.

De abſentia principis à regno Canon eſt:

Longior principum à ſuis regnis abſentia multa incommoda importat, & parit in ſubditorum animis obliuionem & contemptum Principis.

Vide Richt. ax. 423. ex Danæo.

De ſenectute & morbis principis Canon eſt:

Cum Princeps diuturnis morbis aut decrepita ſenectute laborat, venit in contemptum, & incipit regnum laborare.

Plenior corruptela & vitiũ eſt vel primum, vel à primo ortum.

Primum eſt tum ſpontanea abdicatio & deſertio regni, tum etiam mors principis.

De ſpontanea abdicatione & deſertione regiminis, ſunt hi Canones:

1 *Prin-*

1 *Princeps non facilè debet ſceptrum deſerere, & ſeipſum imperio abdicare, niſi expreſſè ſentiat ſe vel ob ætatem, vel ob morbos ad regni gubernacula minus eſſe idoneum: nec prius ſe debet abdicare, quam de idoneo ſucceſſore ſubditis ſit prouiſum.*

2 *Subditi abdicationem Princip's non temerè acceptent, niſi prius certi ſint de ſucceſſore meliori.*

3 *Abdicatio debet ſolenniter fieri & per regnum promulgari: idcircò Princeps qui clam aufugit è regno, magnam maculam inurit ſibi & regno; ſed ſibi inprimis.*

De morte principis ſunt hi Canones:

1 *Magnis cladibus imminentibus Deus auferre ſolet ſalutares Principes.*

Vide Richt.ax.305.

2 *Ut boni ſubditi mortem ſui Principis optare non debent, ita mortuum Principem, tanquam ſcilicet patrem amiſſum acerbè lugere debent, & exequias eius debita magnificentiâ & pompâ celebrare.*

Cæterum mors principis eſt vel ſine relictis liberis; vel talis, poſt quam liberi relinquuntur.

Mors principis ſine liberis relictis, habent hunc Canonem:

Quo periculoſior eſt ſtatus regni nullo hærede relicto, eò magis ſollicitè cogitandum eſt & circumſpiciendum de idoneo ſucceſſore.

Mors principis relinquens liberos, iterum duplex eſt: vel enim liberos, ſiue hæredem maturæ ætatis, vel immaturæ relinquit.

De morte relinquente hæredem maturæ ætatis, Canon eſt:

Hæredem regni maturæ ætatis à morte patris ſtatim ſuſcipiant ſubditi, neq; permittant eum eſſe ſub aliena poteſtate.

De morte relinquente hæredem immaturæ ætatis, ſunt hi Canones:

1 *Quando relinquitur hæres orphanus, atque adeò cum adhuc infirma eſt regis ætas, plerumque periculosè regna agitantur.*

Vide Rich. ax. 28.

2 *Curator orphani hæredis teſtamento patris electus à ſubditis acceptari debet, cum præſertim eligi ſoleant proximi agnati & cognati, qui ius ſucceſſionis habent, ita vt etiam iure poſſit ius tutelæ & adminiſtrationis obtinere, donec iunior Princeps adoleſcat.*

Status vitioſus ortus, eſt interregnum: de quo ſunt hi Canones:

1 *In imperiis vbi eſt ius ſucceſſionis, non tam crebra nec tam periculoſa interregna oriri poſſunt.*

2 *Interregnum ſolenniter indicendum eſt, & eligendus regni vicarius, ſiue primas, qui nempe tempore interregni cum reliquis primariis ordinibus negocia dirigat.*

3 *Quia in interregno maximæ confuſiones oriri poſſunt, ideo omnibus modis videndum eſt, ne id diu duret.*

Muta-

Mutatio ex parte totius Reipublicæ ſiue principis ſimul & ſubditorum, eſt migratio gentium, ſiue populorum, quâ nempe integer aliquis populus priores ſedes deſerit & nouas quærit.

De migratione gentium, ſunt hi Canones:

1 *Gentes ſæpè fatali quodam impetu incitantur, vt relictis prioribus ſedibus nouas regiones quærant, pulſis illarum regionum colonis.*

Huc ergò pertinet materia Politica ſanè grauis, de migratione gentium, de qua integrum tractatum ſcripſit Iohan. Lazeus; Nec præter cauſam quæritur, quâ fiat quòd ante años 500, 400, 300, tot ac tam variæ fuerint gentium migrationes, hodiè autem non ita audiantur. Mihi quidẽ hæc ratio non poſtrema videtur, quod iſtis temporibus regiones ſeptentrion. è quibus plerumque gentes migrarunt, tædio ſterilitatis; quod, inquàm, hæ regiones ſeptentrionales nunc ſint cultiores, ita vt gẽtes poſſint in iis commodè viuere: quodque adeo etiam homines ipſi pluribus artibus & opificiis ſint exculti, vt in his quoque regionibus victum honeſtum quærere poſſint.

2 *Migrationes gentium plerumque incidunt in periodum millenariam.*

Vide Richt. axiom. 36.

3 *Gentes plerumque ſunt effuſæ ab ortu & ſeptentrione verſus occaſum; prout & pleraq; imperia propagata ſunt ex ſeptentrione in Auſtrum.*

Richt. ax. 25. Bod. c. 3. met. hiſtoric. vbi annotat

Aſſyrios tanquã ſeptentrionaliores viciſſe Chaldæos. Medos tanquam ſeptentrionales ſuperaſſe Aſſyrios. Græcos ſubieciſſe Perſas. Parthos iterũ, tanquam ſeptentrionaliores, deuiciſſe Græcos. Ita Romani ſuperarunt Pœnos tanquam Meridionaliores. Turcæ tanquam magis ſeptentrionales, ſubiugarunt Arabes & Saracenos. Ita Hunni, Vandali, Gothi ex Ortu & Septẽtrione effuſi ſunt in Italiam & Hiſpaniam, eaſque prouincias potentiſſimas ſubiugarunt. Et hodie adhuc prudentes viri plus metuunt Tartaros, quàm Turcas; quia Tartari ſunt ſeptentrionaliores. Et ſunt multi in hac opinione, Germaniam tandẽ à Tartaris vaſtatum iri, & illis prædam futuram; quod tamen omen Deus clementer auertat.

CAP XXVIII.

De grauiori mutatione reip. primò ex parte principis, deinde ex parte ſubditorum.

S*Equuntur mutationes grauiores, quæ nempe plus habent periculi ad Reſpublicas conuertendas.*

De his ſunt duo Canones generales:

1 *Regna quidem facilè commouentur, & in periculoſas mutationes pertrahuntur, ſed non ita facilè reſtaurantur, & in ſtatum tranquillum reſtituuntur.*

Pindari dictum eſt memorabile: *Commouere remp. eſt cuiusuis; ſolius autem Dei eſt eam in tranquillum reſtituere.*

2 *Quando regna incipiunt ſentire mutationes gra-*

grauiores, tum iam non amplius per gradus & paulatim, ſed citò ac præcipitanter ruunt.

Senecæ admonitio eſt libro 6. De beneficiis. *Non in imperio his gradibus, quibus ad ſumma peruenitur, retrò itur: Sæpè inter fortunam maximam & minimam nihil intereſt.* Tacitus 2. hiſtoriarum, *Imperium capientibus aut habentibus nihil medium inter præcipitia & ſumma.* Vide Lipſium lib. 4. cap. 1.

Eſt autem periculoſior mutatio vel ex parte principis; vel ex parte ſubditorum; vel denique ex parte principis & ſubditorum ſimul.

Ex parte principis eſt tum Anarchia, tum Polyarchia, tum denique Tyrannis.

Anarchia eſt, vbi planè reſpublica deſtituitur principe, ſiue capite; atque adeò vbi nullum eſt regimen, ſed quilibet viuit pro ſuo arbitrio.

De hac Canon eſt:

Anarchia eſt deterior tyrannide; quia in tyrannide aliqua eſt imago & veſtigium reipubl. & leges ac ſtatuta quibus reipu. forma comprehenſa fuit, etiamſi iſtæ leges & ſtatuta à Tyranno violentur. Sed in Anarchia omnes dominantur, neque vllæ ſunt leges & conſtitutiones, quibus reipub. corpus vinciri poſſit.

Rectè Ariſtoteles monet in Polit. Anarchiam eſſe quauis tyrannide deteriorem; quia nempe Anarchia ſimilis eſt latronum cœtui, vbi nec principes, nec ſubditi officium faciunt, cum ta-

men in tyrannide ſubditi poſſint ſecundum leges viuere.

Polyarchia eſt eiuſmodi ſtatus vitioſus, cum duo vel plura ſimul capita & principes in Monarchia regnare cupiunt.

De hac Canon eſt:

Sicut mundus non fert duos Soles, ita Monarchia non patitur duo capita; ſed neceſſe eſt aut regnum ruere, aut ex Monarchico ſtatu mutari in Ariſtocraticum, aut denique reliqua capita è medio tolli, vt vnum tantum maneat.

Tyrannis eſt publica vis, ſiue iniuria illata legibus & ſubditis à tyranno.

Tyrannus autem eſt vel abſque titulo vel exercitio.

Sequor Politicos, qui Tyrannum ita diſtinguunt, nempe quod ſit vel abſque titulo vel exercitio, quæ quidem diſtinctio iammodo clarius intelligetur.

Tyrannus abſq; titulo vocatur, qui remp. ſibi non commiſſam ſine vllo iuſto titulo vel ſucceſſionis, vel electionis inuadit, aut vi aperta aut malis artibus.

De hoc Tyranno Canon eſt:

Quia Tyrannus abſque titulo nullum habet fundamentum ſui principatus, ſiue regiminis, ideò ei, tanquam priuato, licet ſine vlla conſcientia difficultate reſiſtere, eumq; pellere, vel è medio tollere; quia defenſio eſt iuris naturæ.

Vide Steph. Iun. Brutum in vind. contra tyran. quæſt.

quæſt.3. & Althuſium c.14.Pol. Vide etiam Tol. l.6. cap. 18. & lib.26.c.7. Bod.lib.2.c.5.vbi diſtinguunt inter tyrannum occupationis, & inter tyrannum adminiſtrationis.

Tyrannus exercitio, ſiue adminiſtratione eſt, qui quidem legitimè eſt conſtitutus princeps, ſed tamen tyrannicè regit.

Notæ & indicia tyranni ſunt vel generalia, vel ſpecialia.

Notæ generales ſunt: quod leges regni fundamentales violet; quod ſit hoſtis ſuorum ſubditorum: quod abutatur iuribus maieſtatis: quod neq; pietatis, neq; iuſtitiæ vllam rationem habeat; & deniq; quod totis virib. ad ſtatum reip. euertendum & opprimendos ſubditos enitatur.

Speciales notæ ſunt; quod res regni in priuatum vſum conferat, aut in perniciem publicam; quodq; bona regni diſſipet, minuat, alienet, nec opes tantum publicas, ſed & priuatas ſubditorum exhauriat; & vel vi aperta, vel artibus expilet ſubditos; atque adeo vult vt ſubditi in paupertate viuant, ne poſſint ſeſe opponere: qui bella nutrit vt ſubditorum vires eneruentur, qui primores regni vel vi vel dolo opprimit; qui factiones inter ſubditos alit, aut alterutri parti factioſæ fauet & ſe adiungit, cum poſſit vtramque partem coercere: qui prohibet conuentus & congregationes honeſtas,

atque adeò etiam tollit ſcholas, Gymnaſia; qui ſubmittit auſcultatores & delatores per calumniam ſubditos deferentes; qui ad populi mores corrumpendos ganeas, popinas, lupanaria ludoſque inhoneſtos inſtituit ac fouet.

Hæc eſt imago, hæ proprietates tyranni, quas prolixius Ariſtoteles perſequitur toto 5. Politic. quem librum ideo conſcripſit Philoſophus, vt ſalus rerumpub. conſeruari poſſit, tyrannis eorumque artib. rectè agnitis, & ne ſubditi temerè quęuis principem malè imperantem pronuncient tyrannum, ſed eum tantum, cui tales notæ competant. Poſt Ariſtotelem, tyrannum viuis coloribus pinxit Machiauellus in ſuo principe. quem librũ hoc nomine & ſcopo etiam commedant Politici, & inter hos Albericus Gentilis, loco ſupra citato libri 3. de legationibus, vbi dicit Machiauellum ſub ſtatu Ariſtocratico natum, & huius ſtatus acerrimum defenſorem, hunc habuiſſe ſcopum, vt tecto ſcribendi genere nequitias & fraudes tyrannorum reuelaret. Quod quidem iudicium Alberici non penitus improbarim; ſed hoc tamen addiderim, 1, Machiauellum quoque in diſcurſibus ſuis vbi ſeriò agit, periculoſa multa ſcribere. 2. Machiauellum ſibi non conuenire, ſed ſæpè in iſto Principe contradicere. Cęterum de notis tyrannorum vide etiam Iun. Brutum in vind contra tyr. Toloſan. lib. 6. c. 18. lib. 22. cap. 7. Lipſ. lib. 6. Pol. c. 5. Bod. lib. 2. cap. 4. & Vrſinum in diſpoſit. Theol. diſpoſ. 44.

Porrò

Porrò Tyrannus eſt vel apertior, vel occultior.

Tyrannus apertus eſt, qui aperta vi agit.

Occultior eſt, qui occultis artibus agit.

De hoc Canon eſt:

Pauci ſunt tyranni aperti, plerique autem occulti; nam vbi eſt tyrannis, ibi quoque eſt Sophiſtica, ibi variæ præſtigiæ & ſchemata politica.

Vide Richt. ax. 74.

Mutatio ſtatus ex parte ſubditorum eſt, vel in reſpectu ad Principem, vel reſpectu ſubditorum inter ſeſe.

Reſpectu habito ad principem, mutant ſubditi reſp. vel ex cauſis vim iuris habentibus, vel ex cauſis iniuſtis.

Cauſa vim iuris habens, eſt legitima reſiſtentia, vel abdicatio principis.

Trahit nos ordo materiarum politicarum ad quæſtionum omnium vt deciſione difficilimã, ita quoque ingenua mentis explicatione periculoſiſſimã. Difficile enim eſt de iis diſputare, qui poſſunt amputare. Interim tamen debita exſoluenda ſunt auditoribus politicis, & tractãda eſt controuerſia: Vtrum ſubditi poſſint magiſtratui ſuo « reſiſtere, eumq; ſi ſe nõ emendet, abdicare imperio. « Pro parte negat. rationes ſunt arduæ ſanè, & conſideratione inprimis dignæ: 1, Nullus inferior poteſt ſibi vſurpare poteſtatem in ſuperiorem; omnis autem ſubditus ſiue ſit eminens, ſiue inferior, reſpectu ſui principis, eſt priuatus. c. non po-

teſt ſibi ius vſurpare in principem, tanquam publicam & ſuperiorem perſonam; 2, Vt ſe habet filius ad patrem, ita omnes ſubditi ſe habent ad ſuum principem; at verò nullus filius poteſt patri imperium patris abdicare, multò minus patrem vtut ſceleratum, è medio tollere; ergò nec ſubditus poteſt abrogare imperium ſuo principi; multò minus è medio illum tollere. 3, quicunq; à Deo eſt conſtitutus, illum homo non poteſt ſua poteſtate deiicere; quod.n. Deus ligauit, homo nõ ſoluat. At verò omnis magiſtratus etiam iniquus eſt à Deo. Ergò, *&c.* Hinc Caſus dicit 5. Pol. c. 11. rex bonus eſt dextra, tyrannus ſiniſtra Dei: agnoſce in rege bono clementiæ, in malo iuſtitiæ diuinæ inſtrumenta. Et Tacitus 15. Annal. à Deo reges: anceps ergò ſe qualiſcunque principis cæde cruentare. 4, Non licet verbis violare etiam malum principem, multò minus ipſo facto. Antecedens probatur Exod. 22. *Principi populi tui ne maledicas.* 5, Princeps etiam tyrannus non poteſt deponi ſine periculo totius reip. atque adeo etiam ipſorum deponentium; ergò non eſt tentanda iſta depoſitio. Hoc eſt quod Tacitus dicit 4. hiſtor. *Raro ea moles conuelli ſine conuellentium exitio poteſt.* Et Fauonius apud Plutarch. in vita Bruti: *Si tyrannum volumus auferre, naſcetur bellum ciuile peius deteriusq; omni tyranno.* Hinc Lipſ. lib. 6. Pol. c. 5. dicit, *tyrannos ferre, ſapientia norma eſt, & ſæpè ex publico vſu.* 6, ab exemplo ſacrarum literarum: Deus in populo Iudaico hunc modum ſeruauit, vt cum vellet malos reges punire, non puniuerit per Iudæos, tanquam ſubditos, ſed per Aſſyrios & Babylonios. Idcircò Dauidem continuit,

tinnit, ne Saulum vel deponoret regno, vel interficeret; ſed potius Philiſtinos aduocauit, qui Saulum vlciſcerentur. Moſes & Aaron non concitarunt populum Iſraeliticum contra Pharaonem. Ieremias non tradidit Iudæis gladium corporalem contra Nabuchodonoſorem, ſed gladium ſpiritualem deuotarum precum. Chriſtus tributum Cæſari, non venenum dari iubet, inquit Caſus lib. 4. Polit. cap. 10. Vide etiam Iunium parte 2. quæſt. 64. Accedunt exempla prudentium virorum, inter quæ memorabile eſt, quod refert Bonfinius lib. 3. hiſtor. Vngar. Decad. 4. Orſacus, *inquit*, cum proceres quidam Vngarici Matthiam exturbare regno vellent, ſocium ſe adiungere recuſauit & dixit, Quemcumque ſacrâ coronâ coronatum videris, etiamſi bos fuerit, adorato. Deniq; accedunt autoritates recentium tum Theologorum, tum etiam Politicorum & Iuriſconſultorũ. Inter Theologos etiamſi multos citare poſſemus, placet tamen breuitatis gratia ſolummodo allegare iudicioſiſſimum Franc. Iun. qui lib. 1. de translatione imperii, c. 2. inquit; Omnes iniurias à magiſtratu ſuo potius ferãt boni, quamuis atrociſſimas, quàm vt in eum inuehant ſermone, ſcripto, opere ad ordinis paciſque publicæ perturbationem. Plures autoritates tum Theologorum tum Politicorum, vide apud Albericum Gẽtilem diſput. regia. 3. & apud Guilhelm. Barcklaium de regno & regali poteſtate, lib. 3. c. 6. vbi multis rationibus diſputat contra Dialog. Buchanani de iure regni apud Scot. & contra vindicias Iun. Bruti.

Pro parte autem affirmatiua nouem inuenio

præcipuas rationes, quarum 1, eſt: Defenſio eſt iuris naturæ, præſertim cum iniuria eſt notoria & irreparabilis. At reſiſtentia ſubditorum contra tyrannum, eſt defenſio, ergò, *&c.* & per conſeq. eſt ſummè licita. 2, inter ſubditos & principem non eſt maior obligatio quam inter parentes & liberos, intet virum & vxorem. At verò liberi parentes nefariè agentes, poſſunt impedire, & filius poteſt ſe defendere contra patrem, ſi pater homicidiali animo in eum irruat. Similiter vxor ſe poteſt defendere contra maritum, ergò, *&c.* Prius membrum antecedẽtis, nempe, quod liberi poſſint impedire parentes nefariè agentes, probatur Lucæ 14. ℣. 16. Matth. 10. ℣. 37. Epheſ. 6. ℣. 8. & 9. vbi idem ius conceditur ſeruis in dominos; probatur etiam *l. minimè 35. C. de Religioſis*, &c. 3, ſubditi principi ſuo conditionaliter obligantur, ſi nempe rectè imperet, qualis obligatio etiam eſt inter dominum & ſeruum, inter vaſallum & dominum. immò ſupremus magiſtratus *Vaſallus imperii* dicitur *lib. 2. iur. feud. tit. 28. §. 21.* 4 Ratio ſumitur ex obligatione, quâ Deo obſtringuntur ſubditi, vtpote cui debent magis obedire, quã ſuo principi, ita vt teneantur impedire omnia, quæ contra Deum & eius præcepta fiunt; omnia, inquam, quæcunque ſuis viribus impedire poſſunt. Quæ etiam eſt generalis obligatio omnium hominum, vt nempe Deum totis viribus diligant, id eſt, vt omnibus viribus omnia auertant & impediant, quæcunque contra Deum fiunt. Quam rationem vehementer vrget I. Brutus in vind. cont. tyrannos, quæſt. 1. & 2. 5, Tyrannus fundamentalia regni iura euertens, & contra iurata

rata pacta agens, amittit poteſtatem & fit priuatus. Priuato autem licet reſiſtere. Vide de hac ratione Vrſinum libr. 2. diſpoſ. Theolog. diſput. 42. Martyrem ad cap. 1. Iud. ad ✝. 7. Danæum libr. 6. Politic. cap. 3. 6, Sicut bonus princeps eſt imago Dei, ita Tyrannus eſt imago Satanæ. licet autem omnibus modis reſiſtere Satanæ: ergò, & eius imagini. 7, Sublata hac reſiſtentiâ & defenſione ſubditorum contra Tyrannos, licentia Tyrannorum in infinitum graſſaretur, & deſtrueretur tota ſocietas ciuilis, & melior pars generis humani, nempe Eccleſia. 8, Quod ius aliquis in ſeipſum ſtatuit, id ratum habendum eſt; at principes ſtatuunt in ſe ipſos ius reſiſtentiæ, & conſtituunt primores reip. tanquam iuſtitiæ executores & vindices eorum, qui contra regnum aliquid committunt, ergò dant quoque poteſtatem primoribus & optimatibus regni, vt contra ipſos poſſint inſurgere, ſi quid contra regnum faciant; quàm rationem vrget Vrſinus cit. loco, & Martyr etiam ſuper cap. 1. Iud. vbi inquit; Si dixeris quo iure im- "
peratoribus & regib. minores principes ſeſe op- "
ponant? *reſpond.* iure imperatorio, ſiue regio; nam "
ab ipſis imperatoribus, regibus & rebuſpub. aſſciti "
ſunt tanquam adiutores & publici iuſtitiæ vindi- "
ces. Sic Traian⁹ tradens gladium Præfecto prętorii, *hoc*, inquit, *gladio contra me vtitor, ſi in rempub. peccauero*. 9, & vltima ratio ab exemplis primo ſacris, poſt etiam profanis. Sacra exempla vide 1. Regum 12. vbi à Rege Rechaboam deficiunt decem tribus. 2. Reg. 8. Libnenſes deficiunt à Ioran. 2. Chronicorum 26. ſummus ſacerdos reſiſtit regi Hutziæ. 2. Reg. 11. ſummus ſacerdos Iehoiada ſe opponit reginæ Ataliæ, eamque interficit. Vide

alia exempla depoſitorum & remotorũ regum, 2. Reg. 14. & 2. Chron. 25. Politica depoſitorum Imperatorum & regum vide apud Toloſan. libr. 8 cap. 1. libr. 22. c. 7. lib. 26. cap. 4. 5. & 6. apud Danæum libr. 3. Politic. cap. 6. & lib. 6. c. 3. apud Hottom. de ant. iure Gall. c. 7. & Althuſ. cap. 14. Pol. vbi iſtam materiam totam ex variis autoribus diligenter collegit. Atque hæc ſunt in vtramque partem argumenta ſanè talia, & tam difficilia, vt neutiquam quis ſe poſſit expedire; niſi ad certas limitationes in tam arduo negocio confugiat; quæ quidem limitationes & diſtinctiones quot ſint & quales, id verò ſequentes Canones docebunt.

De reſiſtentia & defenſione contra tyrannos, atque adeo de abdicatione principum, ſunt hi Canones:

1 *Principum, qui legitimè ad principatum venerunt, deiectio & abdicatio ſæpè magnas mutationes & incommoda ſecum trahit.*

Vide 1. Sam. 7. & 16. & Althuſ. c. 14. Pol.

2 *Ad hæc pericula & incommoda ſemper reſpicere oportet eos, qui tale aliquid tentare volunt; vt nempe tum ſe, tum alios aduerſus ea parent & muniant, ne dum principem cupiunt deiicere, omnem ſimul ſtatum reip. euertant, atque ita ex minore malo maius faciant; ſiquidem Anarchia omni tyrannide eſt deterior.*

3 *Circa abdicationem principis & circa reſiſtentiam ſubditorum, iſta quinque ſunt diligenter ſpectanda: 1, cui ſit reſiſtendum. 2, quis debeat reſiſtere, & abdicare; 3, quando ſit reſiſtendum; 4, quomodo*

modò ſit reſiſtendum: & 5, quouſque ſit reſiſtendum.

4 *Non ſtatim reſiſtendum eſt principi ad imperandum inepto; ſi ſcil. non ex deſtinata animi mollitia, ſed ſaltem ex naturæ tarditate, imprudentia & timiditate regno noceat; quia enim ſubditi talem principem aſſumpſerunt; debent quoque ferre, & quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet.*

5 *Non protinus cenſendus eſt tyrannus, qui in aliqua officii & gubernationis ſuæ parte labitur, aut aſperius agit. Nam vt aliorum hominum lapſibus & peccatis, ita inprimis peccatis & erroribus principum ignoſcendum eſt.*

Vide 2.Sam. 11.1.Regum 11.Vide etiam Caluinum lib. 4. Inſtit.cap.20. ſect.24.vbi ſollicitè diſputat, cuinam principum ſit reſiſtendum. Idcircò etiam alii Theologi ſtatuunt, quod ſcelerata vita principis non ſtatim abroget ei regiam dignitatem, idque argumento cap.15.1.Sam.℣.31.

6 *Diſcernendum etiam eſt inter principem qui tanquam Monarcha abſolutè imperat, & inter eum qui certis conditionibus & pactis in principatum eſt aſſumptus; quiq; adeo regnat non in Reip. ſtatu purè monarchico, ſed in tali, qui ſit mixtus ex monarchia & ariſtocratia vel democratia. Huic enim poſteriori facilius reſiſti poteſt quàm priori.*

7 *Ius conſequendi regni ſaluum manere debet eius principis qui depoſitus eſt, heredibus & familiæ.*

Durum enim fuerit totã familiam punire propter vnius delictum. Vide de hoc Can. Toloſ. lib. 26.c.6.Althuſ.c.14.Pol.

8 Sequitur vt dicamus quis debeat reſiſtere. Vbi ſciendum eſt, optimatum in aliquo principatu officium eſſe, vt de regimine principis iudicent; & eius tyrannidem impediant.

Vide Caſmann. c. 10. Pol. ſed inprimis Althuſ. c. 14. Pol. vbi poteſtatem & officium optimatum in rep. rationibus & autoritatibus demonſtrat & confirmat.

9 Debent autem optimates inter ſe conſentire, ne in vnius ſaltem, aut alterius arbitrio res geratur.

10 Optimatibus operam ſuam alii ſubditi collocare debent, iiſque praſtò eſſe in tyrannide reprimenda.

11 Subditus verò priuatus qui inter optimates regni non eſt, ſine ducibus optimatibus nihil planè debet contra principem mouere. Sin verò reliqui optimates officium non faciant, aut cum tyranno conſpirent, poſſunt ſubditi vnius optimatis ductum ſequi. Quod ſi nullus planè ſit optimatum, qui patriæ ſalutem curet, ſubditi poſſunt vindicem aliquem & repreſſorem tyrannidis eligere.

Vide Bod. lib. 2. c. 5. Dan. lib. 6. c. 3. Althuſ. dicto c. 14. Cæterum incidunt hîc quæſtiones aliquot,
„ breuiter tamen, decidendæ; quarum 1 eſt: An illa
„ optimatũ poteſtas, de qua diximus, tollat ſtatum
„ Monarchicum, ſiue an ibi ſit ſtatus Monarchicus,
„ vbi optimates poſſunt principem ab imperio re-
„ mouere. Negat quidem Bodin. Monarchiam ibi eſſe, vbi optimates talem poteſtatem habent, ſed rectè contra eum diſputat I. Brutus quæſt. 2. & 3. & ex Hottom. Althuſ. c. 14. pag. 163. 2. quæſtio eſt: *An princeps reſpectu ſubditorum ſit ſolutus legibus pœna-*

pœnariis? Reſpōdemus reſpectu ſubditorum priuatorum eſſe ſolutum. Vide Althuſ.d.l.3. Quæſtio eſt: An ex optimatibus vnus vel pars vna regni ſi omnes partes regni cōſentire nō poſſint, deſerto tyranno, poſſit ſibi eligere regem peculiarem, atq; adeò ſe ſubtrahere de reliquo ſubditorū corpore, & nouam reip. formam conſtituere, quādo leges regni fundamētales à magiſtratu obſtinatè violantur. Affirmat Alth. exemplo populi Iudaici, qui diuidebatur ſub rege Rechaboam in duo diuerſa regna, 1. Reg. 12. Deniq; quæritur, quid faciendū ſit illis priuatis ſubditis, quos tyrānus vult cogere vt ſint ſuæ tyrānidis adminiſtri? Reſp. Toloſ. libr. 26. c. 6. & ex eo Althuſ. quod debeant potius fugere in alium locum, atque adeo non reſiſtendo, ſed fugiendo vim tyranni declinare.

12 *Sequitur quando ſit reſiſtendū principi; nempe tum, quando eius tyrannis eſt nota & manifeſtata; vt autē nota fiat tyrannis, optimates debent indicere concilium publicum, atq; ibi tyrannidis certa documenta publicè exhibere & demonſtrare.*

Vide Althuſ. d. c. 14. pag. 149.

13 *Non prius eſt reſiſtendum principi tyranno, quam creberrimè ſit admonitus, & rogatus vt ab iſta tyrannide deſiſtat.*

14 *Prius omnia remedia ſunt tentanda, quam ad extremum deueniatur, & ad abdicationem procedatur.*

Bodin. interim libr. 2. capite 1. monet ſæpè neceſſitatem requirere, vt ſtatim tyranno obuiam eatur, ne nempe eius tyrannis nimium inualeſcat & obfirmetur.

15 *Videndum eſt etiam, quomodo ſit reſiſtendum.*

Vbi primo notetur defenſiue tantum, non offenſiue eſſe reſiſtendum.

16 *Primò verbis eſt reſiſtendum, poſt demum factis & armis.*

Vide Lipſ. lib. 5. Politic. cap. 9. Ranzou. libr. 1. commentar. de bello, cap. 11. Althuſ. ſæpè citato cap.

17 *Quando omnia ſunt legitimè probata & incepta, tum neutrales ferri non debent; ſed cohercendi ſunt illi, qui operam ſuam non conferunt ad tyrannidem reprimendam.*

Vide Alth. d. l.

18 *Reſtat dicamus quouſq; ſit reſiſtendum; vbi ſciendum eſt, reſiſtentiam eſſe vel vſq; ad emendationem, vel vſq; ad priuationem.*

19 *Si prima reſiſtentia princeps emendetur, & à tyrannide ſua deſiſtat, nullo modo vlterius procedēdum eſt, ſed relinquendus princeps in ſuo ſtatu; quia finis reſiſtentiæ eſt emendatio reipublicæ. Si ergo per priſtinum principem obtineri poſſit emendatio, non eſt quærendus nouus princeps.*

20 *Sin verò nulla planè ſit ſpes emendationis & correctionis, tum demum veniēdum eſt ad reſiſtentiam priuationis, atque adeo eouſque reſiſtendum, & tyrannus reprimendus, quouſque ſalus reipub. poſtulat.*

Vide de vltima & extrema reſiſtent. Althuſ. d. c. 14. pag. 106.

21 *Acta tyranni manifeſta ſunt reſcindenda, quatenus id exigit reip. ſalus.*

Vide Bodin. libr. 2. c. 5. de actis tyranni reſcindendis.

22 *Si tempore reſiſtentiæ aliqua incommoda & offen-*

offenſiones ortæ ſunt inter ſtatum regni, ἀμνηστία ſancienda eſt.

Et ſic de ſtatu reipubl. affecto per cauſas vim iuris habentes: Sequitur ſtatus reip. turbatus ex cauſis illegitimis; vbi nempe ſubditi aduerſus principem ſuum inique inſurgunt, quæ dicitur rebellio & ſeditio.

Seditio eſt ſubitus & violentus motus ſubditorum contra principem præter ius & fas; ſiue eſt diſcordia vnitæ multitudinis in magiſtratu.

Seditio eſt vel apertior, vel magis occulta.

Seditio apertior eſt, quando ſubditi apertè inſurgunt contra legitimum magiſtratum.

Huius ſpectentur tum cauſæ, tum remedia.

Cauſæ ſunt vel impellentes; vel principales.

Cauſæ impellentes iterum ſunt vel internæ; vel externæ.

Cauſæ impellentes internæ ſunt otium ſubditorum, nimia felicitas & ſatietas, aut etiam nimia preſſio & afflictio ſubditorum.

Cauſa ſeditionis impellens, vel aliquam iuris ſpeciem habet, vel nullam. Aliquã iuris ſpeciem habet ſubditorũ preſſio, nimiæ exactiones, item coactiones ad res eiuſmodi, quæ ſubditis ſunt

aduerſæ; item extraneorum admiſſio, & neglectis ſubditis nimia illorum cura & reſpectus; quam rem multis ſeditionibus cauſam præbere docet Ariſtoteles libr. 5. Polit. cap. 3. & Toloſ. lib. 23. cap. 6. Nullam autem ſpeciem iuris habent alię iſtæ cauſæ, quas recenſuimus, nempe ocium ſubditorum, laxitas diſciplinę, nimia felicitas, item nimię diuitię, de quibus Politici monent, quod magiſtratus curare dibeat, vt quam maximè fieri poſſit, συμμετρία ſiue moderatio in diuitiis & honoribus ſubditorum ſeruetur; ſic enim multas ſeditiones auerti poſſe.

Cauſæ impellentes externæ ſunt ſeditionis flabella, Tribuni plebis & oratores mali, qui populũ ad ſeditiones incitant.

De his Canon eſt:

Magiſtratus, ſiue princeps accuratiſſimè attendat ad oratores in rep. & ad Demagogos, qui populũ ſciunt demulcere, atq; apud illum ſingularem gratiam habent, cum nullum interim a magiſtratu officium habeāt eiuſmodi, quod ad populum mulcendum & demulcendum, ſiue ducendum pertineat.

Quid ſint oratores in rep. & quantum poſſint in concitandis ſeditionibus, exemplo eſſe poteſt reſp. Athenienſis, de qua prouerbium eſt: *Vt Amyclas ſilentium, ita Athenas Oratorum eloquentia perdidit.*

Principales cauſæ ſeditionis ſunt tum autores & capita, tum hi qui autores ſequuntur.

De autoribus, ſiue ducibus ſeditionis, hic eſt Canon:

Plerum-

Plerunque ſeditionum autores & duces ſunt deſperati homines; qui ambitione impulſi honorem & poteſtatem, quam ſalua republica deſperant, turbata rep. conſequi cupiunt; quique adeo ære alieno contracto, non aliter remedium anguſtis rebus quærere ſeſe poſſe exiſtimant, quam ex publicis prædationibus & rerum omnium commotionibus, atque adeo qui calamitatem priuatam publica calamitate cupiunt ſolari.

Vide Valer. M. lib. 9. c. 7. Bod. libr. 5. c. 2. Dan. lib. 3. c. 7.

Ii qui capita & anteſignanos ſequuntur, ſunt vel malitioſi, vel ſimpliciores.

Malitioſi ſunt, qui norunt cauſam ſeditionis, nec tamē ab ea deſiſtunt, de quibus Canon eſt:

Quod ſint eodem loco habendi, quo ipſi duces & anteſignani.

Simpliciores ſunt, qui ſcopum anteſignanorū non intelligunt, ſed cęco quodā impetu, tanquam ab aliis ſeducti rapiuntur, de quibus Canon eſt:

Quod mitius cum iis princeps agere debeat; utpote qui non tam ex malitia, quam ex ignorantia agant.

Sic de cauſis ſeditionis; ſequuntur remedia; quæ ſunt duplicia, nempe vel præcauendæ ſeditionis, vel ſedandæ.

Remedia præcauendæ ſeditionis ſunt vel generalia, vel ſpecialia.

Generalia remedia ſunt, vt princeps moderatè & iuſtè regat, ſuoſque ſubditos ſtrenuè defendat, & caueat ne nimis luxurient, & ocio atque ſaturitate abundent.

Specialia remedia ſunt; 1, vt rixas omnes tollat, conuenticula clandeſtina prohibeat, populi ſenſus & grauamina norit, flabella ſeditionis tollat, & ſi quæ videat initia ſeditionis & ſemina, ea ſtatim ſupprimat velut in herba.

Sed indæ ſeditionis remedia ſunt: 1, verba bona & blanda, quæ vel ipſe princeps ad populum, vel ab eo miſſi viri eloquentes habeant; 2, vt ſeditionum autores artificiis mitiget, & mulceat; 3, vt partes ſeditionem mouentes, diſcordes faciat, & auellat à ſe inuicem.

De cauſis ſeditionum earumque remediis, plenè & præclarè agit Toloſanus, libro 26. capite 5. 6. & ſeqq. & ex eo Althuſius capite 26. Politicorum.

Clandeſtina ſeditio eſt, vbi clam inſidiæ ſtruuntur principi vel per ſubditos propriè dictos, vel per extraneos, ita vt vel regnum prodatur extraneis, vel etiam mors intentetur ipſi principi.

Vtraque ſeditio, tam aperta quàm clandeſtina, eſt, vel ſimplex vel iurata.

Simplex

Simplex eſt, quæ fit ſine expreſſo pacto & iuramento.

Iurata eſt, quæ fit expreſſo pacto & iuramento interpoſito, quæ propriè dicitur conſpiratio, *ſiue* coniuratio.

Sequitur turbatio ſtatus ex parte ſubditorum inter ſeſe, quæ vel in genere conſideratur, vel in ſpecie.

In genere conſiderata, dicitur violatio pacis publicæ.

In ſpecie conſiderata, eſt vel leuior vel grauior.

Leuior eſt diſcordia, diſſenſio & factio inter ſubditos: quæ factio eſt vel paucorum, vel plurium inter ſe coitio, contra reliquos ciues.

De ſactione ſunt Canones:

1 *Factiones plerumque oriuntur vel ex publicis, vel priuatis diuerſarum familiarum odiis.*

Vide Toloſan. libr.23. cap.3. Antimach. theorem.30.

2 *Factiones princeps tollet, ſi odium familiarum maturè auertet, ſi nomina & inſignia familiarum abolebit; ſi non vni parti magis, quàm alteri fauebit: ſi ſecretas conſultationes & conuentus tollet; ſi deniq; ἀμνηστίαν ſanciet.*

Vide Toloſan. dict. libr. & Althuſ. ex Toloſan. c.26.

Grauior perturbatio eſt, cum diſſenſiones &

factiones erumpunt in neruum, ita vt pax publica atrociter violetur; & ſubditi contra ſubditos tumultuentur.

De hoc tumultu ſunt Canones:

1 *Princeps in maxima ſollicitudine verſari debet, in apertis ſubditorum tumultibus; & operam dare, ne eos exacerbet vel exaſperet.*

2 *Quærenda autem ſunt contra iſtum tumultum remedia, ſi ſit prouiſus tam præſeruantia quam tollentia: Sin autem ſit improuiſus tumultus, ſubitò conſilium capiendum eſt, & ſine vlla mora accerſenda remedia, ita vt vel bonis conditionibus res componatur, vel etiam pars nota ab ipſo principe ſupprimatur, innocens autem pars defendatur & vindicetur.*

CAP. XXIX.

De belli primariò dicti fundamentis.

S*Equitur ſtatus reip. affectus, ſiue turbatus tã ex parte principis, quàm ſubditorum, atque adeo pertinens tam ad principẽ quàm ad ſubditos; qui ſtatus* Bellum *dicitur.*

Bellum eſt ex numero rerum collectiuarum, id eſt, talium, quæ congeriem in ſe continent variarum rerum. Itaq; fruſtra quæritur perfecta definitio belli, præſertim cum bellum ſit etiam genus πρὸς ἕν, ſiue imperfectum & analogum. Obrechtus theſibus de bello, & Althuſ. cap. 29. Politic. bellũ ita definit, quod ſit actio hoſtilis ad iniuriã propulſandam vel vindicandam à magiſtratu vi-

vi armiſq; contra hoſtes pacis retinẽdæ vel conſequendæ cauſa legitimè ſuſcepta & adminiſtrata. Quæ definitio bello, in genere conſiderato, non conuenit; quia bellum, vt dixi, eſt genus imperfectum, genera autẽ imperfecta, vt ex Log. cõſtare debebat, totam ſuam eſſentiam & definitionem reſignat ſpeciei perfectæ. Præterea bellum non eſt vna actio, ſed plurimarum actionum collectio. Quæſtio porrò iſta, an liceat bellum gerere, ſiue an bellũ ſit contra ius naturæ & contra pietatem Chriſtianam, vt quidem Lactant. inter vetuſtos autores ſtatuit, & hodiè opinantur Anabaptiſtæ: iſta, inquam, quæſtio, à variis autorib. prolixè eſt tractata, & manifeſtis argumentis probata, quod bellum iuſtis cauſis ſuſceptum, non ſit illicitum nec impium. Poteſt præ multis videri P. Martyr. in Loc. Comm. loco de bello, vbi varia ſcripturæ loca ex Vet. & N. Teſtamento adducit, quibus probatur bellum eſſe licitum, inprimis verba Ioh. 3. *Eſtote cõtenti ſtipendiis veſtris*; q. d. ſtatus vitæ veſtræ non eſt per ſe malus, & poteſtis bonâ conſcientiâ in eo viuere, modo ſitis cõtenti ſtipendiis veſtris, & neminem iniuſtè deprædemini.

Bellum eſt vel directum, vel indirectum.

Bellum directũ eſt, quod per ſe eſt magis probandum, atq; adeo quod ſuſcipitur contra extraneos.

Bellum ergò directum, ſiue externum iterum eſt vel primarium, vel ſecundarium.

Primarium bellum eſt, quod defenſionis gra-

tia ſuſcipitur, ſiue quod eſt defenſiuum, non offenſiuum.

De hoc Canon eſt:

Sicut fortitudinis vis & perfectio magis poſita eſt in ſufferendo quàm ſuſcipiendo, ita virtus & perfectio belli magis ſita eſt in defendendo, quàm inferendo; atque adeo omnis pugna perfectior eſt ratione defenſionis, quàm offenſionis; quia defendere magis eſt iuris naturæ & politici officii, quàm offendere.

Sicut ergò alibi à nobis factum eſt, vt nempe totam alicuius rei naturam, vim & proprietates attribueremus ſpeciei perfectę, ita quoq; hîc totam belli naturam, vim ac proprietatem explicaturi ſumus circa hanc primariam belli ſpeciem, nempe circa bellum defenſiuum.

Conſideranda circa bellum ſunt iſta 7. 1. *fundamenta & cauſæ conſtituentes, quibus bellum rectè ſuſcipitur*: 2, *antecedentia ſiue præparatio belli*; 3, *cauſæ quibus bellum rectè geritur*; 4, *actus ipſe belli, atq; adeò obiectum & partes bellicæ actionis*; 5, *adiuncta, ſiue connexa belli*: 6, *effecta & conſequentia belli*; 7, *denique belli primariò dicti, diſtinctio & diuiſio.*

Quod ergò attinet ad primum caput, nempe ad belli ſuſcipiendi cauſas, ſiue fundamentum, ſciendum eſt belli ſuſcipiendi fundamentum eſſe vel remotius, vel propius.

Remo-

Remotius fundamentum ſuſceptionis belli eſt vel poteſtas, vel virtus.

De poteſtate ſuſcipiendi belli ſunt hi Canones:

1 *Inter ſpecies iuris maieſtatis meritò numeratur a Politicis ius indicendi, ſuſcipiendi & gerendi belli; item pacis ineundæ, & munita loca in ſua poteſtate habendi.*

Vide Bod.lib.1.c.10. Toloſ.lib.9.c.1. Bozerum de iure belli, c. 4.

2 *Sicut ergò ius maieſtatis per ſe tantum competit Principi, ſiue ſummo magiſtratui, ita ſolius Principis eſt bellum ſuſcipere, decernere, indicere & adminiſtrare.*

Vide citatos autores, & Toloſ.lib. 11. c. 1. Martyrem ſuper c.2.2.Sam.

3 *Si tamen ſummus magiſtratus neceſſitatis tempore officium facere & ſubditos defendere nolit, tum ius belli ſuſcipiendi, indicendi & gerendi deuoluitur ad magiſtratum inferiorem.*

Vide eoſdem autores.

Sic de poteſtate: Virtus eſt tum prudentia militaris, tum fortitudo.

Prudentia militaris, eſt prudentia politica, reſtricta & applicata ad defenſionem ſui & ſuorum ſubditorum contra hoſtes.

De hac Canon eſt:

Sicut boni Principis eſt non tantum regere ſubditos ſuos, ſed etiam defendere, ita duplex in Principe prudentia neceſſariò requiritur, nempe

prudentia directrix, ſiue gubernatrix, & prudentia defenſatrix, ſiue militaris.

Lipſ. lib. 5. Pol. c. 2. de prudentia militari præclarè diſputans, inquit eam eſſe principivſque adeò neceſſariam, vt ſine ea vix ſit princeps. Et ratio manifeſta eſt in Canone: ratió, inquam, ſpectans diſtinctionem curarum principis ſupra à nobis conſtitutam & comprobatam. Pertinet ad hunc locum quæſtio illa: *An virtus militaris ſit præſtantior togata*; quam quæſtionem Lipſ. habet citato loco, ita vt inclinet in partem virtutis bellicæ, eamq; velit eſſe excellentiorem virtute togatâ. Facilè a. deciditur controuerſia obſeruatâ diſtinctione hac vtiliſſima, quæ in Logicis traditur circa Syllogiſmum comparatiuum, inter diſtinctionem, nempe τοῦ βελτίονος καὶ αἱρετοῦ, ſiue inter id quod ſuâ naturà eſt præſtantius, & quod propter circumſtantiam certam temporum & incidentem aliquam neceſſitatem eſt eligibilius. Virtus togata, prout & ipſa pax, per naturam eſt perfectior vt bello, ita quoque bellicis virtutibus; ſiquidem propter pacem, tanquam finem præſtantiorem conſequendum, bellum geritur. At verò bellū & virtus bellica, eſt præſtantior & eligibilior pace ac virtutibus togatis, non in ſe quidem & ſuâ naturâ, ſed per accidēs illud, ſiue propter incidētem neceſſitatem & circumſtantiam temporis, quâ Reipubl. ſalus poſtulat, vt bellum geratur.

Fortitudo quid ſit, notum eſt ex Ethicis; idcircò vnicum ſaltem Canonem de ea politicum hîc notemus.

Maieſtas

Maieſtas Principis ſine fortitudine & armis firma ac tuta eſſe nequit; idcircò maieſtatem eius non ſolum legibus oportet eſſe armatam, ſed & armis decoratam, vt vtrumque tempus, & belli & pacis rectè poſſit gubernari.

Sequitur cauſa propior, quæ eſt ipſa decretio, ſiue decretum & inſtitutio bellica; de qua ſunt hi Canones:

1 *Tempore belli Principis cura duplicatur, ita nempe, vt oporteat eum curare tum omnes iſtas curas, quæ pertinent ad ſtatum reipubl. pacatum, tum etiam nouas alias, quæ pertinent ad ſtatum reipubl. turbatum. Cum ergò res ſit laboris & periculi plena, curas ſibi in rep. duplicare & ſtatum reip. ex pacato turbatũ reddere, ideo nullus princeps facilè ad bellum mouendum adduci debet.*

Huc nim. ſpectabat ſententia iſta politica Solonis; *Iniqua pax iuſtiſſimo bello anteferenda.*

2 *Bellum nunquam ſuſcipiendum, niſi cum maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenditur.*

Sapientiſſimum monitum eſt Auguſt. Cęſaris, quod totidem verbis repetit Sueton. c. 25.

3 *Bellum nunquam ſuſcipiatur, niſi ob cauſam iuſtam; cauſa a. iuſta eſt vel defenſoria, vel vindicatoria, id eſt, vel defenſio ſubditorum & propulſatio damni atq; iniuriæ reip. illatæ: ex quibus tamen prior cauſa eſt principalior, & magis ſpectanda, quam altera cauſa; nempe vindicatio & recuperatio amiſſorum.*

Politici docent cauſam belli iuſtam eſſe duplicem; nempe defenſoriam & vindicatoriam:

Defenſoria cauſa eſt, cum bellum ſuſcipitur defendendæ reip. cauſa contra hoſtes eam inuadentes. Vindicatoria cauſa eſt, cum bellum ſuſcipitur propter iniuriam illatam Deo & reipu. & propter recuperationem bonorum amiſſorum. Vide de cauſis iuſtis belli gerendi P. Martyr. ad cap. 2. 2. Sam. Vrſinum in diſpoſ. Theol. lib. 2. diſpoſ. 44. Toloſ. lib. 11. c. 1. Bozer. de iure belli, c. 17. Althuſ. c. 7. & c. 29. Pol.

4 *De cauſa iuſta propter quam bellum ſuſcipitur, exercitus docendus eſt, vt nempe tantò magis animetur ad bellum pro cauſa iuſta gerendum.*

Vide de hoc monito Polit. Toloſan. cit. loc. 11. cap. 1.

Poëta grauiter idem monet, inquiens:

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

5 *Etiamſi cauſa iuſta ſit, propter quam bellum ſuſcipitur, tamen prius omnia remedia tentanda & experiunda ſunt, antequam ad durum hoc belli remedium deueniamus; & tum demum ad arma conclamandum, cum omnibus aliis remediis tentatis, pax aliter haberi nequit, & vis atq; iniuria à ſubditis repelli.*

Vide Deut. 2. ℣. 10. Iud. 11. ℣. 14. & Toloſ. proximè cit. loco.

Sequitur antecedẽs, ſiue præparatio belli, quæ eſt vel remotior, vel propior.

Remotior præparatio eſt exercitatio ſubditorum, ad arma tractanda facta tempore pacis.

De hac exercitatione ſunt hi Canones:

1 *Quia*

1. *Quia infeliciter bellum geritur, vbi tantum multitudo & non virtus, & peritia armorum tractandorum ſpectatur; & quia ſemper tutius eſt militem internum, ſiue domeſticum in aciem deducere, quàm externum, ſiue ignotum; ideò omnis Princeps ſubditos ſuos ſollicitè debet exercere, & præparare ad tractationem armorum, & belligerationem.*

Vide Lipſium 5. Polit. cap. 10. vbi ex variis autoribus Politicis principem monet de ſubditis tempore pacis ad bellum exercendis, & præparandis.

2 *Vt autẽ iſta exercitia inſtitui poſſint, permittenda ſunt arma ſubditis, iis nim. qui ad iſta exercitia deliguntur; quod ſi autem ea ſit ſubditorum natura, & ea temporum ac locorum conditio, vt Princeps tutus eſſe non poſſit, ſi ſubditis ſuis arma permittat, tum alia remedia quærenda erunt; nec ita multi ad iſta exercitia adhibendi, & vbi exercitia abſoluta ſunt, iubeantur ſubditi in certum locũ publicum arma deponere.*

Non leuis eſt quęſtio apud Politicos, *An arma ſubditis tempore pacis ſint permittenda*; ſiquidem facilè fieri poteſt, vt ſubditi armis ſeditionẽ moueant aduerſus principem, & in officio retineri non poſſint; Sicuti quidẽ hiſtorię teſtantur multis principibus periculum creatum fuiſſe ex eo, quod ſubditis arma fuerint permiſſa tempore pacis. ſicut exempla quædam recenſet Toloſanus lib. 23. c. 9. vbi de hac quæſt. diſputat. Et multi hodiè ſunt principes ac ciuitates, tum in Germania, tum alibi, à quibus arma ſubditis non permittuntur, nec eiuſmodi exercitia militaria,

inſtituuntur propter metum periculi & ſeditionis. Et fateor quidem rem non ita carere periculo, vbi ſubditorum ingenia per naturam procliuia ſunt ad ſeditionem. Idcircò obſeruari poſſunt iſta remedia, quæ in Canonibus breuiter præſcripſimus.

3 *Habeatur ad iſta exercitia delectus ſubditorũ, ne promiſcuè adhibeantur quiuis, neue etiam impediantur opificia & operæ reip. neceſſariæ, ideò certa tempora iſtis progymnaſmatis deſtinentur.*

4 *Certus præfectus iſtis exercitiis conſtituendus eſt, ita tamen, vt ipſe princeps ſubinde iis interſit.*

Exercentur autem ſubditi ad iſta progymnaſmata delecti vel armis, vel opere.

De armorum exercitio ſunt hi Canones:

1 *Tyrones primò diſcant armorum genera diſcernere; quod nempe alia ſint defenſiua, alia offenſiua; item alia ſint arma equitum, alia peditum.*

2 *Poſtea diſcant arma tractare, atq; adeò vel punctim, vel cæſim iis vti; & vel vim inferendo, vel declinando & excipiendo.*

Exercitium operis militaris vel in genere ſpectatur; vel in ſpecie.

Exercitium operis in genere ſpectatum, eſt, quod tam equitibus quàm peditibus cõpetit, vt nempe aſſueſiant laborare, portare, vigilare, ſolem, frigus, famem, ſitim, puluerem ferre vt delicias.

Exercitiũ operis in ſpecie vel ad pedites pertinet, vel ad equites.

Exercitium operis pertinens ad pedites eſt; 1, militarem greſſum & inceſſum obſeruare: 2, obſeruare curſum celeriorem & tardiorem: 3, obſeruare ſaltum; 4, vt diſcant natare; 5, diſcant caſtra conſtituere & munire; 6. in acie ordines & interualla cuſtodire, & diſpoſitos ordines ſeruare; nec vltra quam decet conglobare vel laxare agmen.

Exercitatio equitum eſt; 1, aſcendere equum celeriter, idque tam à ſiniſtris, quàm à dextris; 2, expeditè deſcendere & deſilire equo; 3, in concitatiſſimo equorum curſu vel haſtam, vel ſclopetum poſſe gubernare; 4, equum ita inter armorum ſtrepitus & tonitrua bombardarum poſſe frenare, vt agmen ſeruetur, atq; adeò acies equitum nec conglobetur nec laxetur vltra quam decet.

Vide de his progymnaſm. Toloſan. lib. 11. cap. 3. Obrechtum in theſibus de bello, Althuſ. capite 28. Pol.

Propius antecedens, ſiue præparatio iterum eſt vel magis generalis, vel ſpecialis.

De magis generali antecedente, ſiue preparatione, ſunt hi Canones:

1 *Vbi bellum decreuit Princeps, auxilium diuinum inuocet.*

Vide Iud. 20. 1. Sam. 23. 2. Sam. 5. 2. Chronicor. 20. Pſal. 19. Et inter Politicos Toloſanum lib. 11. cap 3.

3 *Princeps rationes & vires ſubducet tum ſuas, tum hoſtis ſui; præcogitabit etiam omnem caſum & euentum dubium belli, ſimulq; mala & clades, quæ bellum neceſſariò comitantur.*

3 *Cogitabit etiam quæ auxilia poſſit habere, quæ non poſſit, quamdiu pecunia ac commeatus ſuppetat, vel non ſuppetat.*

Vide Veget. libr. 3. c. 3. Lipſ. libr. 5. c. 6. Toloſan. lib. 11. c. 2.

Speciale antecedens eſt belli denunciatio, ſiue indictio, quæ & Clarigatio *dicitur, quam ſequitur* Diffidatio, die abſagung.

De Clarigatione Canon eſt:

Denunciatio belli, ſiue Clarigatio, eſt neceſſaria quidem in bello vindicatorio; non item neceſſaria in bello defenſorio, in quo hoſtis primò nos laceſſiuit; tale enim bellum per ius naturæ ſine ulla indictione vel clarigatione geri poteſt.

Inſtrumentum clarigationis eſt tum Fecialis, tum Literæ.

Fecialis eſt perſona, ſiue miniſter principis & præco, quem princeps mittit ad bellum hoſti denunciandum.

Literæ clarigationis ſunt, quas princeps mittit indicendi belli cauſa.

Vide de belli denunciatione & variis eius modis ac ritibus, Gellium libr. 16. cap. 4. Alexand. ab

Alex.

Alexan.lib.5.cap.3.Bozerum de iure belli,libro 1. cap.3.

CAP. XXX.

De cauſis per quas bellum geritur.

SIc de belli conſtitutione ac præparatione; ſequuntur cauſæ internæ, per quas bellum adminiſtratur.

Cauſa per quam bellum geritur & adminiſtratur, eſt vel ſubſtantialis, vel accidentalis.

Subſtantialis iterum eſt vel perſona, vel Res, id eſt, tale inſtrumentum, quod non ſit homo.

Perſona vel ſeparatim conſideratur, vel collectim.

Perſona ſeparatim conſiderata, eſt vel princeps, vel adminiſter.

De principe, quatenus nempe belli cauſa eſt, ſiue quatenus bellum gerit, ſunt hi Canones:

1 *Omninò neceſſe eſt vt in bello ſit vnus ſummus dux, qui abſolutam poteſtatem habeat: Si enim in bello ſint multi æqualis poteſtatis, tum vel nullum in eo eſt regimen, vel incertum & diſcordiis obnoxium.*

Perfectiſſimus reipu.ſtatus is eſt, qui reducitur ad vnitatem, ſiue in quo vnus imperat; ſed interim tamen poteſt quoq; conſiſtere ſtatus reip. vbi plures imperant, ſubintellige tempore pacis.

nam belli tempore non niſi vnus ſummum imperium habere poteſt, ſi bellum debet feliciter adminiſtrari; Vnde prouerbium: *Multi imperantes perdidere Cariam.* Et hinc factum eſt, quod Lacedæmonii regem elegerint, à quo abſoluta poteſtate bellum gereretur, & Romani Dictatorem.

2 *Quia a. periculoſum eſt abſolutam eiuſmodi poteſtatem ei dare, qui non ſit Princeps (nam penes quem eſt exercitus, penes illum eſt robur regni) ideò Princeps ipſe debet bello intereſſe; ſic enim omnia cum maiori autoritate gubernabuntur, & miles ad bellum vehementius inflammabitur.*

Quam neceſſaria ſit præſentia princip. in bello, vide Richt. 424. axi. Dicimus autem neceſſariam eſſe principis præſentiam in bello; nam de prælio & acie alia eſt quæſtio, quę infra ſequetur.

3 *Sin verò Princeps propter grauia impedimẽta intereſſe bello non poſſit, conſtituat Legatum & Viceprincipem, qui ipſius perſonam & maieſtatem in bello repræſentet.*

Sequitur perſona adminiſtra, quæ eſt vel ſuperior, vel inferior.

Superior perſona adminiſtra eſt, generalis dux, ſiue capitaneus, qui poteſtatem habet euocandi & ducendi militem.

In hoc duce qui per abſentiam principis etiã totius belli gubernator eſt, conſiderãda ſunt duplicia requiſita, naturæ & curæ.

De requiſitis naturæ in ſummo duce ſunt hi Canones:

1 *Dux*

1 Dux indigena præferendus extraneo.

2 Conſiderandi ſunt in duce generoſi impetus naturæ, atque adeò etiam nobilitas generationis.

Requiſita curę ſunt; 1, peritia rei militaris; 2, fortitudo & induſtria; 3, autoritas; 4, felicitas; de quibus omnibus requiſitis ſunt hi Canones:

1 Dux belli duplicem habeat peritiam rei militaris, generalem & ſpecialem: Generalem notitiam habeat ex doctrina, lectione & auditione rerum bellicarum. Specialem, ex propriis caſibus & experientiis in bello.

2 Ad peritiam etiam militarem pertinet Prudentia militaris, quâ nempe poſſit conſilia prompta ex tempore capere, & habeat acumen inueniendi artificia & ſtrategemata bellica.

3 Sciat dux omnia inquirere, quæ pertinent ad ſitus locorum, naturam regionum, ingenium ducis aduerſi, mores militum, item diſciplinam & annonam hoſtium; denique omnia quæ ad ſuum exercitũ, & ad exercitum hoſtium pertinent.

4 Habeat exactè cognitam rationem caſtrorum metandorum, aciei diſponendæ & pugnæ ineundæ.

5 Sciat etiam modum & rationem mouendi, exhortandi & animandi militem.

6 Dux ſit excellenti fortitudine, patientiâ & induſtriâ, ac celeritate conficiendi præditus.

7 Hoſtem vt non reformidet, ita nec contemnat, neque ſit ſecurus in bello.

Incommoda quæ ex contemptu hoſtis & ſecuritate ſoleant oriri, recenſet Lipſius libro 5. capite 15.

8 *Dux famæ ſeruiat, & habeat rationem rumorum qui ſparguntur.*

Vide Lipſ. loco iam citato.

9 *Dux amet ſuum exercitum, & ab eo ametur, atque adeo habeat militem addictum atq; obſequentem.*

10 *Autoritatem dux habeat tum ex generis dignitate, tum etiam ex peritia, prudentia & fortitudine comparatam.*

11 *Dux ſit ſeuerus & ſtrictus vindex militaris diſciplinæ.*

12 *Deniq; adſit duci felicitas, quæ comes eſt virtutis, conſilii & rationis; ſed ita tamen, vt a Deo certis perſonis paulò benignius indulgetur; certis verò planè negetur, & quibus datur iſta felicitas, illorum conſilia etiam talia in quibus errant, feliciter tamen cadere ſolent.*

Quia magna celeritas conſiliorum in bello ſæpè requiritur, ideò facilis eſt lapſus & error in conſiliis. Quocirca illi pro præſtantiſſimis ducibus habentur, quibus iſtam felicitatem Deus adiungit, vt conſilia ipſorum ſemper benè cadant, etiam ea, in quibus capiendis errarunt. Contra verò illi pro infeliciſſimis habentur ducibus, quorum deſtinata ſalubriter omni ratione potentior malus euentus diſcuſſit, id eſt, quorum optima conſilia peſſimè cadunt. Vide de felicitate ducis Tol. lib 11. c. 4.

Tantum de Duce; ſequitur adminiſter inferior,

rior, qui conſideratur vel abſolutè, vt miles, vel vt officiarius in bello.

In milite duo ſpectanda ſunt: 1, eius vocatio & conſtitutio; 2, diſtinctio eius.

Circa conſtitutionem militis tria ſunt conſideranda; 1, conſcriptio militis; 2, probatio ſeu luſtratio; denique; 3, receptio & auctoratio.

Circa conſcriptionem militis ſpectentur tria; 1, modus conſcriptionis; 2, vnde conſcribendus ſit miles; & 3, qualis ſit conſcribendus.

Modus conſcribendi militem, eſt vel primarius, vel ſecundarius.

Modus primarius eſt, qui fit debito temporis ſpacio & ſucceſſione.

De hoc ſunt Canones;

1 *Princeps & dux belli certos emittat conquiſitores, qui ex diuerſis locis militem conſcribant.*

2 *Tympano, tubâ vel alio aliquo indicio illi, qui nomina ſua militiæ dare volunt, conuocentur in certum locum, certo tempore.*

3 *Nomina eorum quos vult conſcribere, curet annotari certis catalogis, additâ ad nomen patriâ.*

Secundarius modus eſt, qui repentè & tumultuariè fit; hoſte nim. ex improuiſo irruente, cuiuſmodi indicia eſſe ſolent pulſus campanæ, vel ſonitus fulminalis machinæ, vel etiam vexillum.

Sequitur vnde ſit colligendus miles, nempe ex locis duriorib. & aſperioris aeris, vt ex agris, ex montibus, &c.

Vide Lipſ. lib. 5. c. 12. & inprimis Bodinum cap. 5. methodi hiſtor. Bozerum etiam libro 1. de iure belli, capite 7. & Iunium parte 2. meditat. hiſtor. quæſt. 70.

De qualitate, ſiue quales ſint eligendi milites, ſunt hi Canones:

1 *In milite ſumendo & eligendo ſpectentur, 4. 1, ætas; 2, corpus; 3, animus; 4, vita ſeu mores.*

2 *Ætas militis ſit iuuenilis & vegeta.*

3 *Ætate vergente & decrepitâ rude donentur, & habeantur emeriti.*

4 *Miles ſit corpore compacto, non pingui aut laxo, ſtaturâ etiam mediocri.*

Vide de conſtitutione corporis in milite præclariſſimè diſſerentem Lipſ. lib. 5. c. 12.

5 *Animus militis ſit præſens & acer.*

Vide Lipſ. ibid.

6 *Mores etiam militis ſint probati, ne nempe ſcribantur infames & ſcelerati.*

7 *Vita præterita militis eiuſmodi fuerit, vt exercuerit artificia duriora & aſpera, vt ſunt fabri ferrarii, carpentarii, macellarii, venatores, piſcatores, agricolæ; non verò ſedentarii & artium mollium cultores; vt ſunt ſartores, ſutores, textores,* &c.

8 *Numerus etiam certus militum in iſta collectione & conſcriptione obſeruetur; nam multitudo militum ſæpè plus obfuit quàm profuit.*

Pru-

Prudentes bellicæ rei ſcriptores non multos volunt conſcribi milites, vt monet Lipſius cap. 11. libr. 5. Fronſbergius celeberrimus militiæ Dux in Germania in lib. Germanicè ſcripto de arte militandi, ſcribit mille ducentos milites ad quamuis præliorum dimicationem ſufficere, ſi nempe milites ſint omnibus requiſitis prædita.

Sequitur luſtratio, ſiue probatio militum, quæ habet hos Canones:

1 *Milites conſcripti vocentur in certum locum, eumq; aptum & patentem.*

2 *Conuocatorum militum luſtrentur & explorentur tum perſona, tum arma.*

3 *Inepti & timidi repudientur & reiiciantur.*

4 *Probati inſcribãtur de nouo in peculiarem catalogum.*

Vide de inſcriptione probatorũ militũ Bozerum lib. 1. c. 7. & Veget. lib. 1. c. 3.

5 *Receptis & approbatis militibus detur receptionis & approbationis aliquod ſymbolum, nempe vel pecunia, vel genus aliquod armorum.*

Olim militibus approbatis & receptis in militiam dabatur cingulum militare, vnde & milites cincti dicebantur.

6 *Milites recepti diſtribuantur in certas claſſes.*

Reſtat auctoratio militum, quę fit pręſtatione iuramenti militaris, ſiue ſacramenti, de quo ſunt duo Canones:

1 *Milites corporale iuramentum præſtent duci conceptum certâ formâ; nempe ſe omnia facturos*

quæ præcipit Imperator, nec deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos.

2 *Iurent etiam in articulos, ſiue iura militaria, ſe nempe ea ſanctè ſeruaturos, & diſciplinam militarem non turbaturos. Tali ergò iuramento ſiue Sacramento præſtito, milites auctorati dicuntur.*

Hucusque de militum conſtitutione, nempe de vocatione, probatione & auctoratione; reſtat diſtinctio, ſiue diuiſio militis; 1, ergò Miles eſt vel Eques vel pedes.

Quæſtio eſt apud Politic. *Plus ne poſſint in bello Equites an Pedites*: Quam quæſtionem tractat Lipſius lib. 5. cap. 7. ex Ariſtotele 4. Politicor. cap. 13. Polybio libr. 3. Veget. libr. 2. cap. 2. Determinatur autem quæſtio duplici diſtinctione; quarum prior eſt, quod equites præferendi ſint peditibus reſpectu prælii, tanquam partis belli. Contra verò pedites præferendi ſint equitibus reſpectu vniuerſi belli, ſiue omnium actionum bellicoſarum extra prælium; nam in his maior eſt vſus peditum. Poſterior diſtinctio ſumitur ex loco, in quo bellum geritur; nam ſi loca ſint montoſa vel inuia, maior eſt vtilitas peditum, quàm equitum. Si verò loca ſint plana & expedita, vtique præualent equites.

Eques eſt miles, qui equo militat.

Pedes eſt, qui ſine equo pedibus militat.

Vterq; eſt vel grauis vel leuis armaturæ.

Grauis armaturæ milites vocantur, qui grauia arma gerunt; tam nempe offenſiua quàm defenſiua,

fenſiua, vt ſunt inter equites Cataphracti, Kür-ſer; inter Pedites Sclopetarii maiores, vel etiam haſtarii, qui oblongas haſtas gerunt.

Leuis armaturæ milites ſunt qui leuia arma ferunt.

Eſt etiam miles vel primarius vel gregarius.

Primarius miles eſt, qui honoratiores partes in bello habet.

Gregarius miles eſt, qui partes communes habet & communi cenſu æſtimatur.

Eſt etiam miles vel tyro, vel vetus, vel veteranus.

Tyro eſt nouus miles, qui adhuc nunquã bello interfuit, & cui tanquam inexperto dulce bellũ eſſe ſolet.

Vetus miles Romanis vocabatur, qui iam aliquoties bello interfuit.

Veteranus miles dicitur, qui ſæpiſſimè bello interfuit, & quidem honorificè, ita vt legitima miſſione dignus ſit.

Eſt etiam miles vel ordinarius, vel ſubſidiarius.

Hanc vtiliſſimam diſtinctionẽ in ordinarium & ſubſid. milit. diligenter tractat Lipſ. li. 5. cap. 11. & ex Lipſ. Alth. lib. 1. c. 28.

Ordinarii milites illi dicuntur, qui à principe conducti ſunt in omnem euentum belli.

Et hi iterum vel certis locis regni aſtricti, vel in ſuis domiciliis relicti.

Certis locis regni aſtricti milites vocantur Stationarii; *qui ſunt vel limitanei, vel Præſidiarii, vel Prætoriani.*

Limitanei milites ſunt, qui limitibus regni tuendis conſtituti & diſpoſiti ſunt.

Præſidiarii ſunt, qui alibi quàm in regni finibus ad locum aliquem tuendum vel ſeruandum collocantur, die in der Beſatzung ligen.

Prætoriani milites ſunt, quos princeps circa ſe habet & ad manum, vt ſi quid vel ſibi vel regno ingruat, ſint expediti.

Apud Romanos illi milites vocabantur *Prætoriani*, qui ſemper erant circa Imperatorem vel dictatorem, ſiue Legatum belli; & hi erant Primarii inter milites, ita vt præcipuæ vires Reipublicæ in iis eſſent poſitæ, & ii quoque qui prætorianum hunc militem addictum haberent, facilè poterât imperium inuadere, ſicut plerorumq; Romanorum Imperatorum exempla teſtantur. Sic apud Turcas hodiè præcipua potentia eſt prætoriani militis, ſiue vt illi vocant *IaniZerorum*, quorum etiam ſupra meminimus.

Sic de milite ordinario ad certum locum aſſcripto. Milites ordinarii in domiciliis ſuis relicti vocantur ii, qui actu nondum militant, ſed domi manent & res ſuas tractant; ita tamen vt

eos

eos oporteat ſemper ad poſtulationem principis vel ducis præſtò eſſe & armis expeditos.

De his ſunt duo Canones:

1 *Princeps per ſingulos pagos, villas, oppida, vrbesque curet conſcribi idoneos milites, qui quidem in domiciliis ſuis relicti, res ſuas tractent, & opificia exerceant; ſed interim ad militiam quoq; præparentur & exerceantur, vt quoties reipu. neceſſitas poſtulat, ſint expediti ad arma.*

2 *Certis diſtrictibus pagorum, oppidorum, vrbium certos capitaneos, ſiue præfectos conſtituat, quibus milites in ſuis domiciliis relicti, pareant, & ſub quibus exerceantur.*

Toloſ. lib. 11. c. 3.

Sic de ordinariis: Subſidiarii milites dicūtur, qui ordinariis tempore neceſſitatis maioris adduntur & ſuccurrunt.

Et hi vel interni ſunt, vel externi.

Interni ſunt incolæ, inquilini & ciues, qui ad bellum & arma idonei neceſſitate maiore ingruente, ordinariis militibus adduntur.

Externi ſubſidiarii ſunt, qui externè aduenıunt, ſiue qui aliundè colliguntur, ſic poſtulante neceſſitate vrgentiori.

Et hi iterum ſunt vel coniuncti, vel non coniuncti.

Coniuncti ſubſid. externi vocātur qui ſunt ex confœderatis, & ſociis collecti.

Non coniuncti ſubſidiarii vocantur illi, qui

colliguntur ex gente principi non coniuncta, vel fœdere, vel pacto alio.

De his Canon eſt:

Multitudo peregrini militis valdè eſt formidabilis.

Vide Lipſ. cita. loco. Patric. libr. 9. de Rep. tit. 3 Toloſ. lib. 11. c. 3.

Et hi iterum ſunt vel ſpontanei, vel auxiliarii.

Spontanei ſunt, qui ſponte aduentant, nō vocati in auxilium.

Auxiliarii ſunt, qui aduentant vocati in auxilium & ſubmiſſi.

De auxiliario milite Canon eſt;

Externæ gentes in ſocietatem bellorum & ad auxilium præſtandum vocatæ atque aſſcitæ, ſæpè damnoſæ ſunt incolis, & inuadunt dominium; & ex auxiliatoribus fiunt domini, præſertim verò cum bellū, ad quod vocantur, eſt inteſtinum.

Vide præclariſſima de hoc monitu Polyb. & axiom. Polit. Richt. 248.

Et ſic de perſonis adminiſtris belli, quæ conſiderantur vt milites, ſiue quatenus ſunt milites. Sequitur de perſonis adminiſtris belli, ſiue quatenus ſunt officiariæ in bello.

Officiarius autem eſt vel apertus vel occultus.

Officiarius apertus iterum eſt vel reſpectu totius exercitus, vel reſpectu certæ partis in exercitu.

Officia-

Officiarius reſpectu totius exercitus, eſt vel maior vel minor.

Maior iterum eſt vel cum magiſtratu ſiue pertinens ad magiſtratum, vel extra magiſtr.

Inter Officiarios maiores pertinentes ad magiſtratū ſunt Conſiliarii militares, die Kriegsräthe.

Hi ſunt vel certi vel incerti.

Certi Conſiliarii militares ſunt magiſter equitum: magiſter rei armamentariæ: magiſter peditū: hi enim cum duce belli ſemper totius exercitus generalem curam gerunt, & de illius cōmodis & incommodis conſultant.

Incerti conſiliarii ſunt, quos illi certi ex toto exercitu deligunt, nempe Veterani, triarii milites, & qui ſingularem habent experientiam.

Vide Obrecht. theſ. 146. de conſiliariis militaribus.

Poſt conſiliarios locum obtinet etiam quæſtor & cuſtos ærarii caſtrenſis, qui pecuniam totius belli ſub manu habet & diſtribuit.

Deinde ſequitur ſupremus rerum capitalium Præfectus & iudex.

Poſt hunc eſt ſupremus annonæ præfectus, der oberſter Prouiantmeiſter.

Poſt hunc eſt ſupremus metator ſiue menſor, der oberſter Quartiermeiſter; *ad quē pertinēt*

caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio; manſionum & tentoriorum in caſtris deſignatio.

Sequitur ſupremus incendiorum magiſter, der oberſter Brandtſchåtzer / *qui habet poteſtatem permittendorum incendiorum, & pecuniæ extorquendæ ad redimenda incendia; ita tamen vt ſine mandato ſupremi ducis nihil poſſit incẽdere, nec pecuniam in cauſa redimendorum incendiorum extorquere.*

Officiarius ſuperior, ſiue magiſtratu eſt archiater exercitus, der oberſter Artzt.

Officiarii minores, ſiue inferiores ſunt, I, *Secretarius ducis belli & eius Scribæ, quorum nempe miniſterio dux vtitur in epiſtolis ſcribendis, & ſubinde etiam in legationibus obeundis.*

Poſt ſequitur Fecialis; cuius officium in eo conſiſtit, vt ſi quid imperatoris vel ducis nomine militibus indicandum eſt, atq; adeo vel mandandum vel prohibendum, id promptè faciat. Eius inſignia certa eſſe ſolent; nempe amiculum ſericum vel bombycinum, in quo à fronte & à tergo inſignia ducis belli depicta ſunt, in manu gerit candidum bacillum, & præcedunt eum equites, tubicen, quoties aliquid publicè proclamandum eſt.

Et ſic de officiariis generalioribus reſpectu totius

tius exercitus: ſequuntur officiarii reſpectu partis in exercitu.

Et hi iterum ſunt vel minoris partis, vel maioris.

Officiarii maioris partis, ſunt officiarii regiminis totius, die im gantzen Regiment Volck befelch haben.

Suntq; vel regiminis equeſtris, vel pedeſtris, vel rei armamentariæ.

Officiarii in regimine equitum ſunt vel ſuperiores vel inferiores.

Superiores ſunt vel excellentiores vel minus excellentes.

Inter ſuperiores.1, excellit magiſter equitum, der Feldmarſchalck / *qui præcipuè ex præcipuis familiis eligi ſolet.*

Hunc ſequitur vicarius, qui abſente magiſtro eius vicem gerit, & locum tenet, unde, & Leutenant *vocatur.*

Minus excellentes vel ſunt cum magiſtratu, vel ſine magiſtratu.

Cum magiſtratu ſunt, præfectus equitum, qui tamen plures eſſe ſolent, Befelchshaber uber die Reutterey.

Hos ſequuntur vicarii ipſorum.

Hos ſequitur equeſtris metator, qui caſtra & manſiones deſignat equitibus, der Reyſigen Quartiermeiſter.

Hunc ſequitur equeſtris præfectus excubiarum, qui præeſt excubiis equitum, & teſſeram militarem accipit & distribuit, der Reyſigen Wachtmeiſter.

Poſt hunc eſt equeſtris prætor, ſiue præfectus rerum capitalium, der Reuterſchaft Proſoß.

Sine magiſtratu in regimine equitum ſunt Paſtor, Medicus, Chirurgus, der Reyſigen Balbierer.

Inferiores officiarij in regimine ſunt Scribæ, præfecti equitum: 2, tubicines equitum, qui multi & varij eſſe ſolēt in hoc regimine: 3, Tympaniſtæ, die Heerpaucker.

Sequuntur officiarij in regimine rei armamētariæ, in der Arckley Regiment: *qui etiam ſunt vel ſuperiores vel inferiores.*

Superiores ſunt vel excellentiores, vel minus excellentes.

Excellentes ſunt duo: 1, *magiſter ſupremus rei armamentariæ*, der öberſter Arckleymeiſter: 2, *eius Vicarius.*

Minus excellentes ſunt; 1, *Quæſtor armamentarius*, der Artaley zahlmeiſter; 2, *Aggerib. ſtruendis præfectus*, der Schantzmeiſter: 3, *rei armamētariæ quæſitor*, der Artaley Proſoß: 4, *rei armamentariæ cuſtos; qui nempe omnem rem armamenta. iam habet ſub ſua*

pote-

poteſtate & cuſtodia, der Zeugwarter: 5, *aurigarum præpoſitus, qui nempe aurigas conducit & iis præeſt*, der öberſter Geſchirrmeiſter: 6, *quadrigarum ſiue vehiculorum præpoſitus*, der Wagenmeiſter: 7, *foſſorum & cunicularioꝛum præpoſitus*, der Schantzbawr Hauptmann: 8, *pontium magiſter*, der Brückenmeiſter.

Inferiores in hoc officio ſunt vel honoratiores, vel minus honorati.

Honoratiores ſunt: 1, præfectus machinæ fulminalis, der Büchſen- oder Schützmeiſter: 2, *nitrati pulueris cuſtos*, der Pulverhüter: 3, *Chirurgus armamentarius*, der Artaley Balbierer.

Minus honorati ſunt: 1, foſſores & cunicularij, die Schantzbawr oder Schantzgräber: 2, *Baiulus & eius adminiſtri qui onera de curru in currũ, de vehiculo in vehiculum curãt transferri*, der Schneller.

Sequuntur officiarij in regimine peditum, qui etiam ſunt vel ſuperiores vel inferiores.

Superiores ſunt: 1, magiſter peditum, general Befelchshaber vbers Fußvolck: 2, *Vicarius illius, ſiue* Leutenant.

Superiores iterum ſunt vel honoratiores, vel minus honorati.

Honoratiores ſunt: 1, Tribuni peditum, &

horum vicarii: 2, Decuriones; die Rottmeiſter: *3, Scultetus, ſiue iudex generalis peditum; 4, Aſſeſſores ſiue collegæ ſculteti, qui ſunt 12. in hoc regimine: 5, præfectus excubiarum: 6, Pedeſtris annonæ structor*, Proviant-Meiſter vbers Fußvolck: *7, Metator, ſiue Menſor pedeſtris:* 8, Quartiermeiſter vbers Fußvolck: *pedeſtris rerum capitalium executor,* Profoß: *9, ſcriba iudicij.*

Minus honorati ſunt, 1. lixarum & calonum ductor, vber den verlornen hauffen: *2, viator, ſiue apparitor Sculteti; 3, carceris custos,* Stockmeiſter: *4, Lictores, qui capiunt condemnatos & in carceres conijciunt,* die Steckenknechte.

Et ſic de officiariis partium maiorum, ſiue regiminum trium: reſtant officiarii partium minorum, nempe cohortum.

Officiarii ſpectant vel ad cohortem equitum, vel ad cohortem peditum.

Officiarii in cohorte equitum ſunt vel ſuperiores, vel inferiores.

Superiores ſunt vel magis vel minus excellentes.

Magis excellentes ſunt 1, præfectus equitum in iſta cohorte, Befelchshaber vber ein Fendlein Volck. *2, illius vicarius; 3, vexillarius, qui à præfecto equitum conſenſu magiſtri equitum constituitur.*

Minus

Minus excellentes in cohorte equitum ſunt vel cum magiſtratu, vel ſine magiſtratu.

Cum Magiſtratu ſunt: 1, Equeſtris diuerſoriorum deſignator, Der Reyſigen Furirer: *qui locum ſuæ cohorti ad caſtra ponenda à Metatore aſſignatum inter omnes diſtribuit ordine; primo quidem præfecto cohortis, deinde vexillario, tandem aliis; quique etiam in pagis, oppidis & ciuitatibus deputatas domos & diuerſoria manu ſuâ ſingulis in iſta cohorte quitibus notat: quam notam ſi quis delet, reus falſi habetur.*

Per l.1. De metatore lib.12.C.

Poſt ſequuntur decuriones Equeſtres. ſingulæ enim cohortes aliquot decuriones habent; aliæ plures, aliæ pauciores, prout ipſæ cohortes ſunt vel maiores, vel minores. Quod ſi cohors trecentos equites comprehendit (vt hodiè plerunque fit) ſex turmæ, atque adeo ſex decuriones conſtituuntur, qui ſinguli quinquaginta turmales regunt.

Sine magiſtratu ſunt miniſter verbi, ſiue paſtor caſtrenſis, & 2, Scriba præfecti cohortis, qui ſuæ cohortis matriculam habet in poteſtate, iuxta quam delectus equitum & ſtipendiorum numeratio fieri ſolet.

Inferior officiarius in cohorte equitum eſt

tubicen; ſingulæ enim cohortes equitum ſingulos habent tubicines.

Et tantum de officiariis in cohorte equitum: reſtant officiarij in cohorte peditum, qui etiam ſunt vel ſuperiores vel inferiores.

Superiores ſunt vel cum magiſtratu, vel ſine magiſtratu.

Superiores cum magiſtratu hi ordine ſunt; 1, Tribunus peditum, qui totam cohortem gubernat; 2, Tribuni vicarius, qui abſente Tribuno cohorti præeſt; 3, Signifer, cuius officium in qualibet cohorte magnum eſt & ſingulare. Vexillum enim ipſi tanquam ſponſa in perpetuam & indiuiduam ſocietatem coniungitur; quæ ſocietas non niſi morte illius & belli exitu finitur: quin & ius habet in eos, qui cuſtodiendo vexillo per iuramentum ſunt obligati: 4. ſequitur ordinum ſtructor, qui vel eſt ſuperior, vel inferior.

Superior ordinum ſtructor 1, obſeruat vitam & delicta militum in iſta cohorte; deinde etiam aciem & ordinem inſtruit & adornat; der oberſter Feldwebel.

Inferiores ordinum ſtructores plerumq; ex veteranis militibus eliguntur, & hoc officium habent, vt in expeditione militem intra factos ordines contineant, & pulverem nitratum inter ſclopetarios diſtribuant, vt & commeatum ab

anno-

annonæ ſtructoribus acceptent. 5, pedeſtris diuerſoriorum deſignator, deß Fußvolcks Furierer: *6, ordinum ductor,* der Fürer/ *qui in expeditione cohortem ſuam præcedit, eamq; ad locum deputatum deducit: 7, Decuriones pedeſtres: plerunque enim decem ſclopetarij & ſimplares milites, vel ſex duplares vnum conſtituunt contubernium, cui qui praeſt,* Decurio pedeſtris *dicitur.*

Superiores in cohorte peditum ſine magiſtratu ſunt 1, paſtor caſtrenſis in illa cohorte; 2, Chirurgus: 3, Scriba tribuni.

Inferiores officiarij in cohorte peditum ſunt, 1, fiſtulator, quos duos quælibet cohors habere ſolet: 2, Tympaniſtæ, quos item duos cohors habet. Fiſtulatores autem & Tympaniſtas ſignifer conſentiente tribuno conſtituit, & quando ſignifer cum ſuo vexillo procedit, ſtatim hi & fiſtulas inflare & tympana impellere debent.

Hucuſque de officiariis belli apertis: officiarij occulti ſunt exploratores, quos omnino & fideles & ingenioſos & multos quilibet dux conducere debet, vt nempe his emiſſariis clandeſtinis ea poſſit reſciſcere, quæ vel in caſtris, vel extra caſtra ab hoſtib fiunt.

Sic de perſonis bellicis ſeparatim conſideratis: Perſonæ bellicæ collectim conſideratæ, vocantur exercitus, copiæ, manus.

In exercitu autem ſiue copiis, & manu duo ſpectanda ſunt, nempe eius diſtributio in certos ordines, ſiue claſſes: 2. eius connexa.

De diſtributione exercitus in certos ordines, ſiue claſſes, ſunt hi Canones:

1 *Hodie quando magnus exercitus colligitur, ſolet eius diſtributio fieri in 3 regimina: nempe in regimen equitum; in regimen eorum, qui rem armamentariam tractant; & denique in regimen peditum.*

Olim apud Romanos exercitus diſtribuebatur in legiones & optiones. Legiones diſtribuebantur in cohortes, alas, cuneos, centurias, decurias. Optiones dicebantur auxilia fœderatorum, quæ legionibus in acie iunguntur. Vide Alex. ab Alex. lib. 1. c. 5. libr. 6. c. 12. libr. 8. c. 3. De hodierna vero diſtributione exercitus vide Bocerum lib. 1. de iure belli, cap. 11. & Obrechtum in theſib. de conſtit. belli.

2 *Regimen equitum diſtribuitur iterum in cohortes & turmas.*

3 *Cohors continet 250. equites, vel etiam 300.*

4 *Turma continet 50. equites; interdum plures, interdum pauciores, pro arbitrio ducis.*

5 *Regimen rei armamentariæ etiam in certos ordines diſtribuitur pro arbitrio ducis, & pro ratione armorum ac machinarum, ita vt quædam claſſis huius regiminis pertineat ad machinas & arma maiora: quædam vero ad arma minora.*

6 *Ter-*

6 *Tertium regimen, quod eſt peditum, diſtinguitur in cohortes & contubernia.*

7 *Cohors 300. vel 400. pedites continet; interdum etiam 500. pro arbitrio Ducis.*

8 *Contubernium continet 10. pedites levioris armaturæ, ſiue ſimplares, vel 5. duplares.*

9 *Quod ſi cohors 500. complectitur pedites, tum omnia expeditiora erunt, & diſtinctio fiet vtilior, quam ſi vel ſupra vel infra iſtum numerum cohors peditum terminetur.*

Et ſic de diſtinctione exercitus: Reſtant connexa, quæ ſunt vel magis digna, vel minus digna.

Connexa magis digna ſunt artifices, ſiue opifices omnis generis, quos vtile eſt ad exercitum adeſſe.

Vide Toloſ. lib. 11. c. 5.

Minus digna connexa exercitus ſunt calones & lixæ, atq; adeò tota illa turba vilium hominum, quæ exercitum ſequitur.

De hoc connexo ſunt duo Canones:

1 *Singula tum equitum tum peditum contubernia vnum calonem & lixam habere debent, & iumentum etiam ad minimum vnum, quo ſarcinæ iſtius contubernii commodè poſſint ferri.*

2 *Mulieres focariæ & ſcorta minimè ſunt ferenda ad exercitum; quia eneruant vires militum.*

Et ſic de Perſonis ad bellum neceſſariis: ſequuntur res, ſiue inſtrumenta ſubſtantialia, quæ ſunt vel animata, vel inanimata.

Animata ſunt vel frequentiora, vt equi; vel rariora, vt elephanti, cameli.

Quæritur à nonnullis, *An canes quoq; alendi ſint in exercitu*; & exiſtimant quidam alẽdos eſſe, præſertim rabioſos, qui hoſti plurimum poſſint nocere, quique etiam poſſint prodeſſe ad excubias & vigilias nocturnas. Alii negant, tum quod vorax hoc animal militib. poſſit detrahere de neceſſario commeatu, tum quod latratu ſuo tempore nocturno poſſit nocere, cum clandeſtinis excubiis opus ſit.

Inanimatum inſtrumẽtum eſt vel primum, vel ortum à primo.

Primum eſt pecunia, tanquam neruus totius belli, quâ deficiente, omnia in bellis deficiunt.

Machiauellus lib. 2. Diſcurſ. de rep. c. 10. diſceptationem inſtituit contra illud receptum axioma, quod *pecunia ſit neruus belli.* Sed tota iſta Machiauel. diſputatio facilè tollitur, ſi diſtinguas inter cauſſam belli principalem, quæ ſanè eſt virtus, & cauſſam belli inſtrumentalem, quæ præcipuè eſt pecunia; ita vt neruus belli ea dici poſſit quoad cauſſam, nempe inſtrumentalem, in cuius ordine præcipuas partes ſibi vendicat. Vide Tol. lib. 11. c. 2. Lipſ. lib. 5. cap. 6. Iun. parte 2. Polit. quæſt. queſt. 73.

Ortum inſtrumentum pertinet vel ad alimoniam, vel ad belligerandum.

Ad alimoniam pertinet commeatus: de quo ſunt hi Canones:

1 Cum

1 *Cum impoſſibile ſit pugnare ſimul & cum natura & cum hoſte, idcircò dux belli maximam curam habeat commeatus, vt is & iuſtâ quantitate, & iuſto tempore accipiatur, neve ab hoſtibus intercipiatur.*

2 *Cum bellum prævidet & parat dux, ſtatim reponat fruges & alia alimenta, quæ ætatem ferre poſſunt, vt deinde tempore belli ſtatim omnia ſint in promptu.*

Ita Romani commeatum ſæpè totius anni habebant repoſitum in vſum belli, nempe acetum, frumentum, laridum, paleas ad vſum equorum. Vide Toloſ. lib. 11. c. 3. Lipſ. lib. 5. Pol. c. 6.

Commeatus vel ad homines pertinet, vel ad iumenta.

Commeatus ad homines pertinens, eſt tum cibus, tum potus idoneus & talis, cuius vſu milites rectè valere poſſint.

Commeatus pro iumentis, id eſt, pro equis, dicitur pabulum, *quo etiam inſtructus exercitus eſſe debet, nempe fœno, avena, ſtramine, &c.*

De commeatu & eius ſupputatione, vide Rãzouium lib. 1. commentar. bell. c. 9.

Sequuntur inſtrumenta pertinentia ad ipſam belligerationem, quæ ſunt vel magis propria, vel magis communia.

Magis propria iterum ſunt vel ad pugnandum, vel ad pugnam inflammandam & ornandam.

Ad pugnandum quæ pertinent inſtrumenta, propriè arma *vocantur.*

Arma autem ſunt vel primariò, vel ſecundariò dicta.

Arma primariò dicta vel ad defendendum pertinent, vel ad offendendum, vel ad vtrumq; ſimul.

Arma pertinentia ad defendendum ſunt ſcuta, caſſides, galeæ, thoraces, loricæ.

Arma pertinentia ad offendendum ſunt vel portatilia; ſiue minora; vel vectilia, ſiue maiora.

Portatilia ſiue minora arma ſunt gladius, machæra, rhomphæa, enſis falcatus, acinaces, haſta ſimplex vel bipennis, iacula, ſagittæ, ſclopeta, ſiue bombardæ minores.

Maiora ſiue vectilia, ſunt tormenta, vt vocant, ſiue machinæ fulminales grandiores.

Ad defendendum & offendendum ſimul pertinent gladii, haſtæ & illorum horumque genera.

Arma ſecundario dicta ſunt, quæ armis primario dictis inſeruiunt, vt puluis nitratus, & eius thecæ, item globi tormentarij.

Et ſic de armis: Inſtrumenta pertinentia

tia ad pugnam inflammandam vel ornandam ſunt vexilla, ſigna militaria, plumæ militares, & criſtæ, tubæ, tibiæ, fiſtulæ, tympana.

Huc pertinet quæſtio: *An qui in militiam prodeunt, auro, gemmis, argento & veſtibus precioſis ſe ornare debeant.* Diſſuadent prudentes, vel hoc maximè argumento, quod hæc ſint prolectamēta hoſtiū, quib. inflammantur ad fortiter pugnandum. Prudētis autē ducis & ſtrenui militis eſt, omnia iſta cauere & negligere, quibus hoſtem poteſt animare & inflammare ad pugnandum.

Sic de inſtrumentis magis propriis: Inſtrumenta magis communia ſunt, vel habitatoria, vel fabrilia.

Habitatoria inſtrumenta ſunt tentoria, & tabernacula militum.

Fabrilia inſtrumenta ſunt vel maiora, vel minora.

Maiora ſunt currus, vehicula, naues, pontes portatiles, ſiue vectiles.

Minora ſunt ſecures, ligones & reliqua, quibus foſſores, cunicularii & ſimiles in bello vtuntur.

Hucuſq; de cauſſis ſubſtantialib. quib. bellum geritur. Cauſſa accidentalis quâ bellum geritur, eſt vel prima vel orta.

Prima cauſſa accidentalis, eſt conſilium, ſiue inuentio bellica & diſciplina militaris.

Conſilium, ſiue inuentio bellica eſt vel directa, vel indirecta.

Conſilium directum eſt, quod directè & apertè ſuſcipitur ſine dolo.

Vide Lipſ. lib. 5. c. 17. Ranzou. lib. 2. comment. bell. c. 3. & 4.

Indirectum conſilium eſt, quod viâ indirectâ & dolo, ſed bono ſuſcipitur.

Et hoc iterum eſt vel acutius, vel minus acutum.

Conſilium indirectum acutius eſt, dolus quidam ingenioſè inuentus, quo hoſtis præter ſpem & expectationē circumuenitur: diciturq́ʒ ſtratagema, *q. d.* artificium militare.

De ſtratagematib. ſiue callidis iſtis & doloſis conſiliis, ingenioſiſſimè excogitatis, tam vt tibi caueas quam vt hoſtem opprimas, vide Lipſ. lib. 5. c. 17. Frōtinum peculiari lib. de ſtratagem. Rāzouium itidem pecul. libro de ſtratagem. & eundem lib. 2. commentar. bell. cap. 8. item Reuſnerum de arte ſtratagematum. Quæſtio illa, *an ſtratagemata ſint licita*, in Ethicis problematib. tractata fuit; & reſponſio expedita eſt, omninò dolum eiuſmodi qui malus non eſt, ſed medius, ita vt eo quis poſſit vel benè, vel malè vti, conceſſum eſſe contra hoſtes, quia iure & bono animo ſuſcipitur contra illum qui deteriorem cauſ-

ſam

ſam habet,& non vult apertis rationib. ad æquas conditiones pertrahi. Sicut ergo quando pugnas cum latrone, duplices ictus infers ad tui defenſionem, nempe prouiſos & improuiſos, apertos & occultos: ita quoque licet vti duplici conſilio aduerſus hoſtes, nempe directo & indirecto ſiue doloſo.

Poteſt etiam ad conſilium indirectum magis acutum referri ſcriptura occultarum notarum, ſiue literarum, quæ in bello ſæpe perquam eſt neceſſaria.

Vide Ranzou. in comment. rerum bellicarum lib. 2. c. 8: vbi varios modos recenſet, quibus belli duces vti poſſint in literis occultè ſcribendis & mittendis; quam rem etiam ſupra attigimus.

Minus acutum conſilium eſt 1, exploratio; 2, Corruptio hoſtis & procuratio proditionis; 3, procuratio diſſidiorum & diſcordiarum in exercitu hoſtili; 4, interceptio; 5, inſidiæ; 6, mora & cunctatio.

Exploratio fit vel per proprios homines, vel per captos ab hoſte.

Exploratio per proprios homines habet hunc Canonem:

Cautè eſt adminiſtranda exploratio per proprios homines, ne nempe dum hoſti nocere cupimus, nobis ipſis noceamus, quando nempe exploratores noſtri capti & tormentis ſubiecti coguntur ſecreta noſtra prodere.

Exploratio per captos ab hoſte habet hunc Canonem:

Dux noſſe debet certos & conuenientes modos, quibus eos qui ab hoſte capiuntur, poſſit vtiliter examinare vt aperiant hoſtium ſecreta.

De modo examinandi captiuos, vt ſecreta prodant, vide Ranzouium libro 2. Comm. bel. capite 4.

Corruptio hoſtium & proditio, ſiue proditionis procuratio, habet hunc Canonem:

Prudentiæ eſt adiungere ſibi voluntates hominum, præſertim vero hoſtium atq; adeò eos corrumpere, vel ſuaſione vel dono: itaque etiam belli dux bona conſcientia eiusmodi corruptiones tentare & proditoribus vti poteſt, etiamſi proditionem non amet.

Quod quis bonâ conſcientiâ proditoribus vti poſſit, atque adeò hoſtem vel ſuaſione vel dono corrumpere, vide P. Martyr. ſuper c. 1. Iud. itemq; in Loc. Com. de bello.

Procuratio diſcordiarum ac tumultuum & ſeditionum in exercitu etiam eſt licita, tanquam dolus bonus & ſpecies defenſionis.

Vide Ioſuæ 2. ℣. 1. 1. Sam. 14. v. 7. & Althuſium cap. 29. Polit. Modi autem & artes quib. poſſint diſcordiæ & tumultus ſeri ac concitari in hoſtili exercitu, deſcribuntur à Ranzo. lib. 2. comment. bell. c. 14.

Inſidiæ ſpecialiter hîc vocantur occultæ copiæ, quæ in id diſponuntur, vt ex improuiſo hoſtem adoriantur, quibus frequenter belli duces

duces vti debent; tanquam facili compendio ad victoriam.

Vide de inſidiis collocandis Ranz.libr.de bello,c.4.

Interceptio eſt vel militum vel commeatus.

Interceptio militum iterum eſt vel internorum ipſius hoſtis, vel auxiliariũ copiarum, quæ hoſti ſubmittuntur.

De interceptione commeatus Canon eſt:

Intercipiendus eſt commeatus hoſtium non tantum is, quem ipſe vehit, ſed etiam is qui ab aliis hoſti aduehitur, ſiue id fiat auxilii mittendi, ſiue mercaturæ exercendæ cauſa.

Interceptio copiarum, ſiue militum; habet hunc Canonem:

Dux diligenter inquirere debet in numerum militum, quos hoſtis habet, & ſedulò auertere, ne plures ei ſubmittantur, vel ex ipſius ditione vel etiam aliunde. Quin & eos qui auxilia hoſti mittunt, pro hoſtibus habere debet.

De interceptione copiarum auxiliarium, quæ hoſti ſubmittuntur, vide Ranz. libro 2. de bello, c.15.

Reſtat mora ſiue cunctatio, quæ duplex eſt: vel ad hoſtem eludendum, & occaſionem rei benè gerendæ ei præcidendam, vel ad premendum fame; de qua vtraque mora hic Canon eſt:

Fabiana cunctatio ſæpè plurimum momenti habet in bello; & quem mora ac fame vincere poßumus, eum armis adoriri non debemus, vt nempe noſtro militi parcamus.

Et ſic de Conſilio bellico: ſequuntur Excubiæ; quarum conſideranda ſunt tum requiſita, tum connexum.

De requiſitis excubiarum ſunt hi Canones:

1 *Cum in excubiis ingens belli momentum ſit poſitum, idcircò dux omnem rationem excubiarum accuratè diſponere & ordinare debet, & fidelibus ac vigilantibus ad eam rem adminiſtris vti.*

2 *Excubias habeat duplices; diurnas & nocturnas, & in vtrisq; certos gradus, vt nempe milites vices inter ſe diſtribuant ſtationis in excubiis, ita vt modò periculoſas, modò minus periculoſas in excubando ſtationes obeant.*

3 *Curet ſubinde viſitari excubias, & ipſe etiam eas obeat, nocturno præſertim tempore.*

Connexum excubiarum eſt Teſſera militaris, die Loſung / de qua Canon eſt:

Teſſeram militarem dux ipſe diſtribuat, verbis paucis, imò vnico tantum conceptam, vt nempe tantò ſecretior poſſit ſeruari & enunciari promptius inter milites.

Reſtat diſciplina militaris, cuius ſpectãda eſt tum norma, tum adminiſtratio.

Norma diſciplinæ militaris eſt Lex; ſiue

Ius.

ius. Eſt autem iſta lex vel generalis; vel ſpecialis.

Generalis lex in militia eſt vel moralis, vel Oeconomica, vel Politica; nempe vt milites abſtineant ab omnibus delictis & ſceleribus, quibus peccatur contra ius naturæ, ius gentium, ius Ethicum, ius Oeconomicum, & deniq; politicum in genere etiam ſpectatum.

Nolo hîc multa dicere de militum temperantia, abſtinentia & ſimilibus virtutibus Ethicis, vel Oeconomicis, quæ militi cum aliis hominibus communes eſſe debent. Videat qui volet de hac generali diſciplina militum & de legib. communibus Lipſ. libro 5. Pol. c. 13. Toloſan. lib. 11. cap. 9. Ranzo. lib. 1. de bel. c. 13. Obrecht. de adminiſtratione belli, theſi 541. & ſeqq. vbi tam perfecta eſt huius rei explicatio, vt nullibi eſſe exactior poſſit.

Leges ſpeciales pertinent vel ad ſeparatas perſonas; vel ad integrum exercitum.

Specialis lex pertinens ad ſingulas perſonas eſt, quæ officia & munia ſua præſcribit ſingulis belli officiariis.

Lex ſpecialis pertinens ad integrum exercitum, iterum vel refertur ad ordinem in militia ſeruandum, vel ad virtutem & fidem.

Lex pertinens ad ordinem in militia ſeruandum eſt, quâ cohercentur milites intra certas metas & ordinem ſeruandum, vel in caſtris, vel in pugna.

Lex pertinens ad fidem iterum ſpectat ea quæ in caſtris geruntur, vel ea quæ extra caſtra.

De legib. quib. gubernatur fides & virtus militum in caſtris: eſt hic Canon;

Milites intra caſtra ſic gubernentur, vt quietè & pacatè viuant ſine tumultibus & ſeditionibus, atque adeò ſine contumacia & violentia omni.

De ſeditionibus quæ in caſtris mouentur, & de earum remediis, vide Ranz. lib. 2. comm. bel c. 16.

De legibus quæ ſpectant fidẽ militum extra caſtra, ſunt hi Canones;

1 *Seditiones non neceſſaria grauiſſimis pœnis coercenda ſunt.*

2 *Amiſſio armorum quæ militis culpa accidit, grauiter punienda eſt.*

3 *Fuga, deſertio, emanſio, ſiue detrectatio pugnæ, & proditio capitaliter vlciſcenda.*

4 *Transfugæ omnibus modis retrahendi ſunt ad pœnam.*

5 *Transfugæ, qui ab hoſtibus transfugerunt ad ducem belli, temerè recipiendi non ſunt; aut, ſi recipiantur, ſegregandi à reliquo exercitu, ne poſſint obeſſe.*

Vide de legibus & delictis militarib. perſpicuè & methodicè tractantem Obrecht. de adminiſt. belli, theſi 922. & ſeqq.

Tantum de norma diſciplinæ militaris: ſequitur eius adminiſtratio, quæ conſiſtit in iudicio, ſiue cognitione iudiciaria, ſiue executione.

De iudicio militari ſunt hi Canones:

1 *Iudicia militaria ſtatis temporib. inſtituantur, & qui-*

& quidem ſecundum formam quæ præſenti ſtatui conuenit, id eſt, ſtrictiorem & ſeueriorem, quàm quæ eſt tempore pacis.

2 Iudex & eius aſſeſſores, atque adminiſtri ad actum hunc iudiciarium eligantur tales, qui conuenienti ſeueritate negocium omne exequantur.

Sequitur executio iudicii militaris, cuius duæ ſunt partes; Præmium & Pœna.

Præmium eſt vel commune, vel ſingulare.

Commune præmium eſt vel magis debitum, vel minus debitum.

Magis debitum præmium eſt ſtipendium militare; quod militibus promptè & tempeſtiuè ſoluendum eſt, ſi diſciplina rectè adminiſtrari & bellum feliciter geri debeat.

Minus debitum præmium eſt id, quod non omnibus militibus datur, ſed tantum præclarè meritis.

Illud a. eſt vel laus & honor, atq; adeò corona militaris, vel munera & honoraria militaria.

Sic de communib. præmiis militũ. Singularia præmia militum, ſunt Priuilegia militum.

Hæc autẽ pertinent vel ad actum inter viuos, vel ad vltimam voluntatem morientium.

Priuilegia pertinentia ad actum inter viuos, ſpectant vel perſonas militum, vel res, vel res & perſonas ſimul.

Vide Obrecht. theſ. 550. & ſeq. vbi tractat de priuileg. milit.

Priuilegia pertinentia ad vltimam voluntatem, ſunt prærogatiua in teſtamentis militaribus.

Vide de teſtam. militarib. Obrecht. cit. loco.

Tantum de præmiis: ſequuntur pœnæ militum.

Eſt autem pœna militaris vel leuior, vel grauior.

Leuior pœna eſt vel mulcta pecuniaria, vel alioquin modica corporis caſtigatio.

Grauior pœna eſt vel capitalis, vel infamia, quæ dicitur Exauctoratio.

Vide Obrecht. theſi 1000. & ſeq. Bozerum de iur. bel. lib. 1. c. 13.

CAP. XXXI.

De belligeratione ſiue ipſis actibus belli.

Conſiderauimus hactenus cauſas quib. bellum conſtituitur; Conſequens eſt, vt ipſum belli actum videamus.

In actu belli conſideranda ſunt 2: 1, obiectum circa quod actus belli verſatur: 2, partes iſtius actus.

Obiectum circa quod actus belli verſatur, eſt hoſtis, de quo ſunt duo Can.

1 *Conſideranda eſt conditio & qualitas, & peruestiganda omnes eius rationes & vires.*

2 *Intendendum eſt in omnes occaſiones, quibus hoſti ſuas commoditates poſſis præcidere, eumque lædere, & tibi cauere: nam vt in aliis omnib. rebus, ita inpri-*

inprimis tēpore belli magna momēta ſunt occaſionis.

Quæſtionem h. l. mouent Polit. *An liceat etiam veneno in hoſtem graſſari*; ſicut ante annos circiter 200. factum eſt à Tartaris Sileſiam inuadentibus; qui venena in exercitum aduerſarium ſparſerunt. Reſpondent autē pleriq; non eſſe licitum; quandoquidem certa etiam ſint iura bellorum conſenſu gentium recepta, quorum iurium conſuetudine non eſt permiſſum vt veneno in hoſtē graſſemur; cum duo tantum ſint legitimi modi hoſtem inuadendi, conſilium nempe & arma.

Sequuntur partes belligerationis, quæ tam actionum, quàm paſſionum genere continentur.

Eſt autem pars belli vel prima, vel orta.

Pars belli prima eſt, vel toleratio obſidionis, vel eductio exercitus.

De Toleratione obſidionis ſunt hi Canones:

1 *Ne patiaris temerè te & exercitum tuum obſideri ab hoſte, niſi fortè & de commeatu abundanter ſis proſpectus, & locus quo obſideris, ſit ſatis munitus.*

2 *Quod ſi ex improuiſo, & præter omnem ſpem hoſtis te obſideat, fac parcè diſtribuas commeatum, quo obſidionem diutius poſſis perferre, & hoſtem fatigare.*

3 *Quod ſi deditio omnino per neceſſitatem faciendа ſit, vide vt hoſtem celatâ extremâ tuâ neceſſitate adducas ad tolerabiles conditiones.*

Sequitur eductio exercitus, de qua ſunt hi Canones generales:

1 *Antequam exercitum educas, vide vt omnia domi prius ſint rectè conſtituta & munita.*

2 *Perpende diligenter, an conſultius ſit hoſtem ad fines ditionis tuæ expectare, an verò extra limites ditionis tuæ obuiam ei procedere.*

Richt.ax. 223. indefinitè pronũciat; quod præſtet in hoſtili quàm proprio ſolo dimicare cum hoſte; & verum quidem eſt, melius bellum extra fines geri, quàm intra fines, vt probat Machiauel. lib. 2. diſcurſ. de rep. cap. 12. Sed interim tamen circumſtantiæ locorum & temporum perpendendę ſunt; & ſi poſſis hoſtem in tuos fines allectum fallere, in anguſtias cogere, nõ eſt ei obuiam procedendum. Vide de hac controuerſia bellica Iun. parte. 2. quæſt. Pol. quæſt. 73.

Ductio exercitus eſt vel per loca tuæ ditionis, vel per loca alienæ ditionis.

Ductio exercitus per loca tuæ ditionis habet hunc Canonem;

Cum exercitum ducis per loca tuæ ditionis, ſedulò aduerte ne noceat ſubditis tuis, neve prædetur aut vaſtet.

Ductio exercitus per loca alienæ ditionis iterum eſt vel per loca hoſtis, vel per loca amici.

Ductio exercitus per loca hoſtis habet hunc Canonem:

Cum per hoſticum, ſiue per hoſtilem agrum exercitus tuus ducitur, diligenter caue ab inſidiis, & fac ne milites dilabantur ad prædandum, atque ita circumueniantur.

Ductio

Ductio exercitus per loca non hoſtis, ſiue amici, habet hos Canones:

1 *Cum tranſitus exercitui tuo cõceditur per alienam ditionem, fac militem omnem contineas in officio; ne vel moleſtus, vel damnoſus ſit iis, per quorum fines ducitur.*

2 *Cum tranſitum alieno exercitui per tuam ditionem permittis, fac vt omnia rectè muniantur & cuſtodiantur, ne ſubditis tuis damnum fiat.*

De tranſitu permittendo militibus & exercitui alieno, ſæpè quæri ſolet & cõtrouertti à principibus. Sed id tamen conſiderandum, quod tranſitus denegatus ſæpè malorum & bellorum grauium cauſa fuerit, & quod Politici nonnulli exemplo populi Iſraelitici ſtatuant iuſtam belli inferendi cauſam eſſe denegatum tranſitum per tuam ditionem. Vide Althuſ. c. 14. Pol.

Porrò ductio exercitus eſt vel per loca expedita & tuta, vel per loca impedita & intuta; de qua poſteriori ductione notetur Canon;

Locus per quem exercitus ducendus eſt, diligenter exploretur, ſitne anguſtus, ſyluoſus, mõtoſus, ſintne ibi traiicienda flumina, nec ne.

De ducendo exercitu per loca anguſta, itemq; per flumina, & de comparandis ad eam rem idoneis inſtrumentis, vide Ranz. lib. 2. de bello, c. 10. Caſtellan. libro 2. de officio regis, cap. 18. 59. 60. & 65.

Sic de primo actu belli: ſequitur actus ortus, qui eſt vel ſtatio vel commotio.

Statio exercitus eſt vel breuioris, vel longioris temporis.

Statio exercitus durans breuiori tempore eſt in caſtris. de qua ſtatione caſtrenſi, ſunt hi Canones:

1 *Ad caſtra metanda & ponenda deligendus eſt locus oportunus, & talis, vbi ſit commoda aquatio exercitus, vbi locus non inſalubris, & vbi vel ſylua vel latens foſſa, vel etiam collis & mons non immineat.*

Vide Alex. ab Alex. lib. 1. c. 12. Caſtellan. lib. 2. c. 45. 47. & inprimis 52.

2 *Pro loci qualitate & quantitate, atq; adeò pro anguſtia & latitudine, ſimulq; pro numero militum diuerſa forma caſtrorum ponenda eſt, modò quadrata paulum, modò triangularis, modò rotunda, nonnunquam lunata & ſemicircularis; vt ſi qua maior vis ingruat, milites ſint in tuto; & vt pro ratione loci ac temporis caſtra vel magis vel minus extendi poſſint.*

3 *Particularia loca in caſtris ſingulis ſtationibus militum & diuerſis equitum peditumque excubiis aptè deſignentur.*

Statio longioris temporis eſt cum milites in hyberna ducuntur. de qua Canon eſt:

Contra naturam eſt, militem tota hyeme in caſtris detinere, præſertim in his regionibus: itaque vt vitæ tum hominum, tum etiam equorum parcatur, exercitus tempeſtiuè in hyberna diſponendus eſt.

Fuit

Fuit Statio: ſequitur commotio, quæ eſt vel campeſtris vel obſidionaria.

Campeſtris commotio eſt vel impreſſio, vel conflictus.

Impreſſio eſt vel tolerata, vel illata.

Impreſſio tolerata eſt, quam hoſtis in te facit.

Eſtq; vel improuiſa vel prouiſa.

Et vtraque vel in ditionem tuam, vel in caſtra tua.

Illata impreſſio eſt, quam ipſe facis in hoſtem, de qua ſunt hi Canones:

1 *In hoſtes non eſt temerè irruendum, niſi cum noſti eos eſſe vel valdè perterritos, vel ſecuros.*

2 *Prædandi cauſa in hoſtem non facilè etiam incurrendum eſt, niſi neceſſitas cogat ad pabulandum.*

De pabulatione vide Caſtell. lib. 2. c. 56. de offic. reg.

Fuit impreſſio: ſequitur conflictus, qui eſt vel leuior, nempe velitatio; vel grauior, nempe prælium.

De velitatione Canon eſt:

Vtile eſt ſubinde captata occaſione partem aliquam militum emittere ad velitatiunculas, tum vt ipſe miles ad prælium paretur, tum vt vires hoſtiles arrodantur & paulatim depaſcantur.

Sequitur prælium; in quo conſideranda ſunt

tria; 1, antecedentia prælii; 2, ipſe actus prælii, & deniq; conſequentia.

De antecedentibus prælii ſunt Canones:

1 *Cum prælium ſit vel prouiſum vel improuiſum, idcircò dux & eius exercitus ſemper ad vtrumq; debent eſſe parati.*

2 *Ne prælium ineas ex voluntate hoſtis, etiamſi te procaciter laceſſat; quia non ad arbitrium hoſtis, ſed ad conſilii locique & temporis opertunitatem in tam graui re, in qua ſumma totius belli vertitur, reſpiciendum eſt. Et ſi alia vlla ratione bellum confici & hoſtis opprimi poſſit quam prælio, prius omnia tentanda ſunt, quam ad prælium deſcendas, vt humano ſanguini parcatur.*

Diabolica ingenia Ducum ſunt illa, quæ hominem pro cane habent, & militem ſuum leuiter obiectant mactationi. Contra verò humaniſſimum fuit ingenium Luculli, dicentis, *ſe malle vnum militem ſuum ex hoſtium manibus eripere, quam vniuerſas hoſtium fortunas ſibi vendicare.* Vide Plutarchum in Lucullo. Et Scipio dixit, *malle ſe vnum ciuem ſeruare, quam mille hoſtes occidere.*

3 *Dux ipſe ſummus & Imperator prælio intereſſe non debet, ſed aliquo interuallo locorum ſeſe à prælio ſeparare: in milite enim vnius ſors, in principe verò & imperatore ſors vniuerſorum continetur.*

4 *Quod ſi tamen neceſſitas præſens adſit, & ſi milites propter abſentiam imperatoris ſint puſillanimes, & velint dilabi, vtiq; etiam ipſe princeps ſuâ præſentiâ militem armare debet.*

Planè

Planè maſcula in politicis quæſtio eſt: *An princeps ipſe debeat intereſſe prælio.* Vide de hac quæſtione Danæum libr.6.c.5.Lipſ.lib.5.Pol.c.15.Toloſan.lib.11.c.4.Machiauel lib.2.diſcurſ.de rep.cap. 30.Bodin.libr.5.c.5.Caſtell.libr.2.c.75. Iun. parte 1.quæſt.quæſt.19.

5 *Prodigia pugnam & præliũ antecedentia Dux ne contemnat.*

Vide Lipſ.lib.5.Pol.c.16.Ranz.libr.2. de bello cap.18.

6 *Ante prælium dux & milites ſeſe rectè parent ad mortem, & præcaueatur inprimis terror panicus, qui militem in præliis inuadere ſolet.*

Vide Ranz. libr.2. de bello capite 17. vt & cap. 8.9.

7 *Dux exercitus prouocatus ab hoste ad ſingulare certamen, ne ſe temerè ſiſtat.*

Valdè frequens olim fuit, vt ante prælium ſeſe prouocarent ad certamina ſingularia, quæ declinanda eſſe prudenter docet aliquot rationib. Caſtell.lib.2.c.29.

8 *Laſſi aut fame confecti milites ne ad prælium producantur, ſed curanda ſunt prius corpora militum, antequam prælium ineatur: Contra verò danda opera, vt hoſtem adhuc ieiunum & famelicum ad præliandum allicias.*

Vide de hoc prudenti monito Caſtellan.lib.2. c.62.

9 *Locus pugnæ & prælio opportunus deligendus & luſtrandus oculis ipſius ducis; ne videlicet hoſtis præoccupet cliuum, colles & montes, tibi verò pugnandum ſit loco humili & tali, vbi poſſis in anguſtias redigi & vndiq; coarctari.*

10 *Attendendum etiam eſt, ne Sol, ventus, puluis exercitui obſint inter pugnandum.*

Vide de his duobus Canonib. Caſtell. lib. 2. c. 68. Ranz. lib. 3. de bel. c. 2.

11 *Aciem dux prudenter inſtruat tam ad reſiſtẽdum, quàm ad inferendum, & operam det vt aciem ipſe prius diſponat quàm hoſtis.*

Vide Lipſ. cit. cap. 16. lib. 5. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7. vbi ratio Canonis additur; quia ſi dux prius aciem inſtruat quàm hoſtis, omnia poterit ex arbitrio gerere, quæcunque vtilia in prælio iudicabit.

12 *Forma, ſiue figura aciei pro ratione circumſtantiarum loci & hoſtis diuerſa eſt; interdum quadrata, interdum corniculata, ſiue ſemicircularis, interdum alia. Semper tamen vtile eſt eam tria cornua habere; nempe dextrum, ſiniſtrum & medium.*

Subordinatur huic parti doctrinæ Politicæ peculiaris diſciplina, quæ vocatur *Polemica*, in qua particularia belli gerendi media tractantur, nempe ratio metandorum caſtrorum; item inſtruendæ aciei, obſidendi & expugnandi arces & vrbes. In Politic. ſufficit generalia belli gerendi præcepta tradidiſſe. Cæterum qui de forma aciei ſuccinctè legere vult, videat Leonis Imperatoris libellum de apparatu bellico, cap. 18. Ranz. libro 3. cap. 4. Lipſ. cap. 16. cit. Et inter veteres Vegetium.

13 *In acie inſtruenda vtile eſt gentium nationumq; certum ordinem ſeruare, vt exteri & mercenarii proximi ſint diſcrimini; domeſtico vero ſanguini parcatur.*

Vide

Vide Lipſ.cit.cap.

14 *Conſultum tamen eſt, regnicolas & nobiles miſcere cum ſtipendiariis, & mercenariis, ne proditio & defectio fiat.*

Vide Toloſ.lib.11.c.3.

15 *Ad victoriam plurimum confert, vt dux lectiſſimos de equitibus & peditibus habeat poſt aciem in inſidiis præparatos.*

De magna vtilitate ſubſidiariarum copiarum, vide Lipſ. cit. cap. & Toloſanũ itidem citat. cap. Caſtellan.c.70.lib.2. Veget.lib.3.c.17.

16 *Inſidiæ locis occultis diſpoſitæ & præter hoſtis opinionem erumpentes, plurimum poſſunt ad victoriam.*

Vide Caſtellan.lib.2.cap.57. Quæſtio hoc loco occurrit de tribulis* ferreis, *an nempe ſpargendi ſint in præliis, vt noceatur equitatui hoſtili.* * Fußangel.

Suadet Caſtell.dicto lib.c.68.

Et ſic de prælii antecedentibus: ſequitur de ipſo actu pręlii, vbi notentur hi Canones:

1 *Dux in prælio ſit vultu confidentiæ pleno, ſibiq; ſemper conſtanti, non deiecto, non triſti, neque huc illuc clamoribus circumagatur deſperabundo ſimilis.*

Vide Lipſ. cap. 16. & Obrecht.in theſ. de Officio ducis.

2 *Dux oratione maſculâ militem animet etiam inter prœliandum, atque adeo hinc inde obequitet, & ſingula circumſpiciat, ſimulque adeo & fortiſſimi ducis & cum opus eſt, paratiſſimi militis offi-*

cium faciat, ſuosque milites, vbi opus eſt, ſiſtat; vbi opus eſt incitet; pauentibus occurrat, cedentes retrahat, vbi plurimus labor, eò frequentius aduolet; deniq; manu, voce, vultu inſignis ſit hoſtibus, conſpicuus ſuis.

Vide Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7. Lipſ. cit. c. Ranz. lib. 2. c. 8. & 9.

3 *Inprimis dux & milites caueant ne ordo aciei perturbetur; id vnicè autem agant, vt ordinem aciei hoſtilis interrumpant; nam in his duobus totus cardo prælii vertitur.*

4 *Circumſpiciat diligenter dux, ne à tergo & fronte ſimul oppugnetur, atque adeo ne cingatur & circumueniatur ab hoſte, præſertim ſi numero militum ſit impar.*

Vide Caſtellan. lib. 2. c. 67.

Reſtant conſequentia prælii, quæ vel in genere conſiderantur, vel in ſpecie.

De conſequentibus prælii in genere conſideratis, ſunt hi Canones:

A prælio dux laſſos & vulneratos milites refici ac ſanari curet.

Vide de vulneratorum milit. cura egregiè docentem Ranzouium lib. 3. c. 14.

2 *Cadauera, præſertim officiariorũ eminentium, dux ſepeliri curet.*

Conſequẽtia prælii in ſpecie conſiderata, ſunt vel læta, vel triſtia, vel ambigua.

Lætum conſequens prælii eſt victoria, de qua ſunt Canones;

1 *Si dux videat ſuos vincere, cohibeat eos ne diffun-*

fundantur & effundantur nimis citò in prædam; frequenter enim iam fuſa acies diſperſos ac paſſim ſequentes vel prædæ intentos, reparatis viribus interimit.

A præda ſtatim poſt victoriam arcendos eſſe milites, vide ex Veget. & aliis autoribus monentem Lipſ.cit.cap.16.& Bodin.lib.5.cap.5.

2 *Fuſis hoſtibus non temerè inſtandum eſt, nec nimis longè ſunt inſequendi.*

Vide Caſtell.lib.2.c.78.

Triſte conſeq. prælii eſt clades, quę vel extrema & ad internecionem; vel tolerabilis, de qua tolerabili clade ſunt hi Canones:

1 *Cladem fortiter ferat dux, & cogitet ambiguam eſſe Martis aleam; neq; nuncios cladis nimis ſollicitè occultet, apud ſuos nempe, apud hoſtem verò cladem poteſt & debet diſſimulare.*

De diſſimulãda clade apud hoſtes, vide Ranz. lib.3.de bello cap.9. Quod autem non vnius tantum prælii infelici euentu animus ſit deiiciẽdus, vide admonentem Toloſ.lib.11.cap.12.& Althuſ. cap.30.

2 *Fugam exercitus arripiat, cum aliter ſe non poteſt ſaluare: ſed ita tamen, vt cogitet de modo quo ſecuram iſtam fugam reddere poſſit.*

Quomodo fuga ſecura reddatur, vide Ranz. lib.3.c.12.

Ambiguum conſeq. prælii eſt victoria ambigua; cum nempe tantum damni & cla-

dis paſſus eſt hoſtis, quantum noſter exercitus.

Et ſic etiam de conflictu. Reſtat obſidio, ſiue obſeſſio hoſtis & hoſtilium locorum; cuius conſideranda etiam ſunt; 1, antecedentia; 2, actus ſiue partes, & 3; conſequentia.

De antecedentibus obſidionis ſunt hi Canones:

1 *Obſeſſurus hoſtem & eius arces & vrbes, inprimis luſtra loci obſidendi conditiones & qualitates.*

2 *Poſt conſidera quantum commeatum hoſtis habeat, & habere poſſit.*

3 *Inſtrumenta obſidionis & oppugnationis omnia ſint expedita, vt ſcalæ, quibus conſcendendi muri. item, machinæ, quibus illi quatiendi, &c.*

Vide de præparatione obſidion. Ranz. libr. 4. cap. 1.

De actibus obſidionis ſunt hi Can.

1 *Detur opera vt flumina auertãtur obſeſſis; vel ſi auerti non poſſint, ita adaugeãtur, vt inundatione obſeſſis noceant.*

Ranz. lib. 3. c. 8.

2 *Intercipienda ſunt auxilia obſeſſis.*

Vide Ranz. dict. lib. c. 2. & 3.

3 *Obſeſſi premendi ſunt fame & interceptione commeatus; item tentandi proditione ſiue corrumpendi pecuniâ aut aliis modis, vt ſe vltro dedant.*

4 *Cauenda ſunt eruptiones obſeſſorum improuiſa,* pra-

præſertim ſi diutius preſſi ſint; tunc enim ſunt deſperati, qui plurimum poſſunt nocere.

Ranz.lib.4.c.12.

5 *Eliciendi ſunt ſubinde obſeſſi, vt in campum veniãt, cum nempe paratum te ſentis eſſe ad pugnandum.*

Vide Ranz.dicto lib.c.5.

6 *Machinis frequenter quatiendi muri obſeſſorum.*

Vide Veger lib.2.c.2.

7 *Irruptio & impreſſio* (das ſtürmen) *non temere tentanda, niſi appareat ſpes expugnationis.*

Vide Ranz.d.lib.c.4.

8 *Quin potius vt parcatur militi, ſubfoſſionibus & cuniculis res tentanda eſt, ac iſtis recenter inuentis machinis portarum ac murorum diſſipatricibus, quas* Petardas *vocant.*

Reſtat cõſequens obſidionis, quod eſt vel lætum vel triſte.

Lætum conſequens obſidionis ex parte nempe obſidentis, eſt vel obſeſſorum deditio, vel violenta expugnatio.

De deditione ſunt hi Canones;

1 *Obſeſſi ſæpè ad deditionem faciendam cohortandi ſunt, & conditiones æquæ illis proponendæ.*

2 *Cum tractatur de deditione, quieſcendum eſt à violentis impreſſionibus in obſeſſos.*

3 *Cum ſignum deditionis obſeſſi dederunt, ſtatim in fidem recipiendi ſunt, & pro ratione pactarũ conditionum, vel cum armis vel ſine armis emittendi.*

4 *Præſidium firmum emittendum eſt in locum deditione captum.*

5 *Urbes, ſiue arces captæ deditione à præſidio immiſſo diripi non debent; niſi fortè coactus fuerit belli dux prædam aliquam promittere militi, hominibus autem habitantibus in loco deditione capto, omninò parcendum eſt.*

Vide Alex. ab Alexandro lib. 3. c. 16.

Expugnatio violenta loci obſeſſi, habet hos Canones;

1 *Etiamſi locum aliquem violenter expugnes, tamen humanitatis memorem eſſe oportet, & parcere legatis hoſtium, item infantibus, fœminis, agricolis, & reliquæ imbelli turbæ, vt & cadaueribus mortuorum.*

Vide Alber. Gentil. libr. 2. de iure belli, cap. 21. 22. & 24.

2 *Loca capta non dedita, ſed vi expugnata permiſſum eſt diripi.*

Vide Alexand. ab Alex. cit. lib. 3. c. 16. itē Ranz. lib. 3. c. 14.

Triſte conſeq. obſidionis, eſt vel lenius vel grauius.

Lenius eſt ſolutio ſpontanea, de qua Canon eſt;

Cum nulla ſpes occupationis apparet, ſoluenda eſt obſidio, ſic tamen vt diſſimules quantum potes cauſam iſtius ſolutionis, atque adeo vt ſolutio fiat non ſentiēte hoſte, ne te inſequi, & caſtra deprædari poſſit.

Triſte conſeq. graue eſt repulſio violenta ab obſidione.

Et

Et hucuſque etiam de belli actibus; ſequuntur belli adiuncta, ſiue connexa, ex quibus primum eſt trucidatio & cædes, de qua Canon eſt;

Cædes in bellis ante deditionem & in fidem receptionem tam ſunt licita, quàm bellum ipſum.

Deutero.20.1.Regum 11. 2.Reg.6. Vide etiam Alb.Gentil lib.2.de iur. bel.c.16. Cicero quoque in 1.Off.legi poteſt.

Secundũ connexum belli eſt vaſtatio & incendia & demolitiones, variaque alia damna, de quibus Canon eſt:

Incendiis, deuaſtationibus ac demolitionibus aduerſus hoſtem uti licet, ſed ita tamen vt parcamus frugibus, agris & hortis, niſi vel ſumma utilitas vel neceſſitas aliter ſuadet.

Quod agris & hortis hoſtilibus parcendum ſit, ipſe Deus Deuterono.20. & 23.præcipit. Vide etiam Ioſuæ 8.1.Sam.15.2 Reg.3.adde Alberic.Gentilem lib.2.de iur.bell.cap.23.Memorabile exemplum obſeruati huius mandati diuini dedit heros ille immortali memoriâ digniſſimus, Stephanus rex Poloniæ, cum Dantiſcum obſideret, in cuius vicinia hortis amœnioribus & frugiferis multis ita pepercit, vt ſub grauiſſima pœna militibus interdixerit, ne quam arborem læderent.

Tertium connexum belli eſt, Deprædatio & Rapina; quæ quidem aduerſus hoſtem exerceri poteſt; ſed tamen cum certo modo etiam; ne

rapina & deprædatio bellica degeneret in furta.

Toloſ.lib.11.c.10.

Quartum connexum belli eſt, captiuitas, de qua ſunt hi Canones:

1 *Olim hoſtes capti & ſeruati, ſerui fiebant; quod hodiè inter Chriſtianos non ita obſeruatur amplius.*

2 *Captum repugnantem occidere licet; eum verò qui ſe dedidit, antequã cognoſcas quomodo ſe dedat, occidere non licet.*

3 *Captiuis non eſt abutendum, & qui ſemel in fidem recepti ſunt, violari non debent.*

Vide Deuter. 21. quod non ſit abutendum captiuis.

4 *Captiui vel gratis dimittuntur, vel certo lytro, ſiue precio redemptionis, vel deniq; permutatione aliorum captiuorum.*

5 *Lytrum ſiue precium redemptionis pro ratione perſonarum vel maius ſoluitur, & exigitur, vel etiam minus, præſertim ſi certa quædam pacta de iſta redemptione captiuorum intercedant; tum enim ratione iſtorum pactorum minus lytrum datur.*

6 *Permutatio captiuorum etiam ex proportione perſonarum & fide bona inſtitui debet, ſicut & captiuorum permutatiuorum traditio.*

Vide Alberic. Gentilem libr. 2. de iure belli, c. 15. Tol.lib.11.c.10.

Reſtant conſequentia & effecta belli, quæ ſunt vel triſtia vel læta.

Triſtia

Triſtia conſequentia ſunt clades, ſubactio, ſiue ſubiugatio, & denique extirpatio plenaria.

De clade & aliis triſtibus conſeq. prælii ſupra ictum eſt; hoc loço de iſtis conſeqq. traditur non reſpectu vnius actus in bello, ſed reſpectu totius belli; poteſt enim finiri prælium, vt tamen bello finis non imponatur.

Lætum conſequens vel eſt reſpectu alterutrius partis, vel reſpectu vtriusque partis.

Reſpectu alterutrius partis eſt tũ profligatio hoſtis, tum victoria: de quib. ſunt hi Canones:

1 *Hoſti profligato fugienti aliquis de induſtria exitus & locus eſt relinquendus, vt elabi poſſit; alioqui enim ſi exitum non inueniat, fit deſperatus.*

Vide Toloſ. lib. 10. c. 11.

2 *Præcidendæ tamen ſunt ei vires, ne bellum amplius mouere poſſit.*

Vide 2. Sam. 8.

3 *Victoria Deo aſſcribenda eſt præcipuè, eiq́ſolennes gratiæ in publico perſoluendæ.*

Vide Iudic. 7. 1. Samuel. 14. vide & Alexand. ab Alexandr. libro 5. capite 30. Toloſanum libro 11. cap. 12.

4 *Victoria leniter & moderatè vtendum, ita tamen, vt eam perſequaris, & non tantum ſcias vincere; ſed etiam victoria vtiliter & rectè vti.*

Ne nempe conueniat in te dicterium illud, quod in Hannibalem iactum fuit: *Vincere ſcit Hannibal, victoriâ uti neſcit*. Vide Tol. lib. 11. c. 12.

5 *Vicinis maturè ſuſpicio & metus adimendus eſt, ne exiſtiment victorem in ipſorum fines irruptiones facturum, atque adeo ſeſe contra ipſum arment.*

Vide Ioſuæ cap. 9.

6 *Hoſtis victi interitus non eſt nimium lugendus.*

Vide 2. Sam. 19. ℣. 6. & ſeqq.

7 *Victi qui ſe dedunt, conſeruandi ſunt, niſi aliud publica ſalus ſuadeat, & niſi illis, qui ſe dedunt, iam ante ſæpè ignouimus, & denique niſi illi noſtros captiuos crudeliter tractarint, aut magna ſit de illis præſumptio & ſuſpicio futuri mali.*

Vide 1. Reg. 20. 2. Reg. 6. 2. Chron. 28. Iud. 20. Nehem. 9 2 Sam 8. vbi Dauid captiuos interficit, vide Toloſ. lib. 11 c. 12.

8 *Princeps ſceleratus & manifeſtè tyrannus, ſi in poteſtatem tuam veniat, non eſt ſeruandus.*

Vide Althuſ. c. 30. Polit ex 1. Reg. 10. 2 Reg. 6. & 2. Sam. 8.

9 *Victi non ſunt magno numero ſeruandi.*

Vide Toloſ. d. l.

10 *Poſt obtentam victoriam cõceſſa ſunt læta indicia victori, vt eſt triumphus, ignes ſuccenſi, ſolennitates publicæ, gratulationes, & victoriæ ſignificationes ad exteros principes.*

11 *Prædæ diſtributio poſt victoriam obtentã fieri debet ſecundum merita cuiuſq; Ducis, & militis, ita vt & viliſſimi non planè poſthabeantur.*

Vide

Vide Martyr.ſupra c 31. Sam.& Toloſ.libro 11. c.10.

12 *Acquiſitio dominiorum vel rerum, quæ bello ſit, ſicuti legitima eſt; ita quoque in vſum totius regni conuerti debet; ſiquidem communibus opibus ac contributione totius regni bellum geſtum eſt.*

Vide de hac re memorabilia annotantem Stephan.Iun.quæſt.3.vindic contra Tyran.

13 *Conſultum eſt colonias ducere in eam gentem, quæ bello victa & ſubacta eſt; ſic enim gens iſta in officio melius continebitur: danda tamen opera, vt illi qui mittuntur, beneuolentiam ſibi ſtatim concilient iſtius gentis, & cum ea pacificè incipiant viuere.*

14 *Qui bello ſubactus & dedititius factus eſt, victoris voluntati ſe accommodet, & hanc pœnam placidè ac patienter ferat, ac ſciat aliam eſſe ſortem dedititii, ſiue bello ſubacti, aliam verò eius, qui ſponte ſe alterius imperio ſubiicit.*

Ex vtraq; parte lætior euentus belli est Pacificatio; de qua ſunt hi Canones:

1 *In tractatione & colloquio de pacificatione inſtituto non eſt conſultum ipſum Regem, ſiue Principem intereſſe.*

Vide Richt.axiom.432.

2 *Etiamſi potentia tua magna eſſe videatur, tamen ad æquam pacificationem facilè flecti & moueri debes.*

Vide Toloſ.lib.11.c.13.Bodin.lib.5.c.5.

3 *Videndum eſt, vt pax ſit tuta & ſecura, itemq; honeſta, ſimplex & candida; nam turpi pace mors eſt potior, & tutius eſt bellum apertum pace ſuſpecta.*

Vide Bodin.d.l.& Lipſ.lib.5.c.17.Pol.

4 *Si pax videatur ſuſpectior, arma tenenda ſunt, nec deponenda quamdiu metuitur hoſtis.*

Vide Lipſ.d.lib.vbi inquit, *pax ſub clypeo tutior eſt.* Vide etiam Toloſ.libr.3.c.13.nimirum conſiderandum eſt, ne accidat nobis quod Xenophon inquit in Epiphænom.ſuæ hiſtor.de bell. Græciæ. *Cum exiſtimaretur eſſe debellatum, plus confuſionũ in Græcia fuit, quam ante bellum.*

5 *Tempus tractandi de pace, hoc eſt commodiſſimũ, quando vterq; hoſtis ſibi confidit, & pares ambo videntur; & nondum inter ſeſe fecerunt periculum.*

Vide Bod.dict.lib.5.c.5.& Lipſ.d.l.

6 *Pax quæ ſemel ſancita eſt, firmiter debet conſeruari, neq; vllum medium negligi, quod poſſit ad iſtam pacem conſeruandam conducere.*

Vide Toloſ.libr.11.c.14.Vide etiam receſſus & conſtit.Imper. ſub Carol.V.anno 1548.vbi exponitur modus, quo pax ſemel inita ſeruari poſſit.

7 *Bellorũ hic egregius eſt finis & terminus, quãdo ignoſcendo tranſiguntur; pax enim quæ hoc modo fit, firma eſt & diuturna.*

Hac via ſibi animos gentium Romani maximè conciliarunt. Et eſt veriloquium, inquit Lipſius, citato loco, *ibi eſſe firmam pacem, vbi voluntarii ſunt pacati.*

Atque hæc fuerunt conſequentia belli prima; ortum conſequens belli eſt dimiſſio exercitus; de qua ſunt 2. Canones:

1 *Bello confecto Duces & milites perſolutis ſtipendiis in ſuum quiſq; locum dimittendi ſunt, non retinendi in ditione Principis, præſertim ſi ſint externi,*

terni, ne ſeditionem moueant, vel rapinas & latrocinia exerceant.

2 *Illis, qui rectè ſe geſſerunt, dentur teſtimonia & literæ publicæ, quas Germani* Paßport *vocant.*

CAP. XXXI.

De belli diuiſionibus & diſtinctionibus.

FVerunt belli antecedentia, itemque cauſæ & actus ſiue partes & adiuncta, & conſequentia atque effecta; Supereſt belli diſtinctio, ſiue diuiſio. Conſideratur ergo bellum vel vt continuatum, vel vt interruptum.

Bellum cōtinuatum dicitur, cuius actus continuantur vſque dum finis bello imponatur.

Bellum interruptum eſt, cuius actus interrumpuntur.

Interruptio belli eſt vel minor, vel maior.

Minor interruptio belli sūt induciæ breuiores.

De induciis ſunt hi Canones:

1 *Fides hoſti ſeruanda eſt præſertim induciis, quæ legitimo modo contractæ ſunt.*

De ſeruanda etiam hoſtib. fide, vide eximium tractatum Molani de fide hoſtib. ſeruanda, c. 16. Vide etiam popularem & amicum noſtrum Iacobum Sculterum in cōment. de quæſt. *An hæreticis ſit ſeruanda fides*, num. 246.

2 *Induciarum tempore hoſtes vel commeatus, vel aliarum rerum emendarum cauſa in vrbes admittere periculoſum eſt.*

Vide Richt. ax. 430.

3 *Collocationes quæ tempore induciarum fiunt cum hoſtibus non vacant periculo.*

Vide eund. Richt. 431. ax.

Maioris temporis interruptio eſt, quando bellum planè deponitur; & induciæ ſanciuntur ad plures annos, & tum demum bellum inſtauratur.

De quali interruptione ſunt hi Canones:

1 *Bella denouo inſtaurata, plerumq; acerbiora eſſe ſolent & periculoſiora; ſiquidem morbi recidiua eſt periculoſior quam morbus primus.*

2 *Exiſtimant multi ſic bellum eſſe gerendum, vt ſæpè interrumpatur etiam ad magnum tempus, ne nempe ii, cōtra quos bellum geritur, aſſueſiant armis & indureſcant.*

Iohannes Boterus, vbi tractat de imperio Turcico inter alia artificia Turcæ etiam hoc recenſet, » quod non ſolitus ſit continuum bellum diutius » gerere cum vna gente, ne iſta gens bellis aſſueſcēs » poſtea nimium negotii armis faceſſat. Quod cōſilium etiam Carolus V. Philippo filio ſuo ſuggeſſit in gubernatione prouinciarum Belgicarum, nempe Hollandos & alios Belgas non eſſe bello exercendos; ſiquidem tale ſit ingenium gentis, vt nunc quidem videatur ad bellum ineptior, futura autem ſit bellicoſiſſima, ſi bellum aliquanto continuet.

Eſt & bellum aliud cum vicinis, aliud cum remotioribus.

Bellum cum vicinis eſt, quod geritur cum gente contermina: de quali bello Canon eſt:

Bellum

Bellum cum vicinis ſemper eſt periculoſius & fuñeſtius, quam cum remotiore gente.

Bellum cum remotiorib. eſt, quod geritur cum gente ea, quæ non eſt finitima vel conterminа; de quo Canon eſt;

Quando bellum geritur cum remotioribus, in primis danda eſt opera, vt vicinos habeas beneuolos, quo tutius poſſis per eorum ditionem tranſire ſi opus ſit, aut ne illi hoſtem per ſuam ditionem patiantur tranſire ad tuam.

Eſt & bellum aliud in cauſa propria, aliud in cauſa communi.

Bellum in cauſa propria, quod ortum eſt ex cauſis ad ſolum, & vnicum principem pertinentibus.

Bellum in cauſa communi eſt, quod oritur ex cauſis ad multos ſimul Principes pertinentibus, de quo bello Canon eſt;

In cauſa communi Princeps Principem deſerere non debet.

Eſt & bellum aliud terreſtre, aliud nauale.

Terreſtre bellum eſt, quod terra geritur, de quo ſunt hi Canones:

1 *In bello terreſtri maior ineſt naturæ bellicæ perfectio, & cõpetunt ei præcipuè iſta, quæ de bello hucuſq; acta ſunt.*

2 *Bellum terreſtre quoad vaſtationes, rapinas & incendia, funeſtius eſt bello nauali; ſiquidem in*

mari vaſtatio nulla fieri poteſt, niſi nauium. Loquimur autem de vaſtatione ea, quæ eſt connexum belli; non de ea, quæ bellum ſequitur.

Bellum Nauale eſt, quod in aquis geritur, ſiue flumine, ſiue mari; de quo ſunt hi Canones:

1 *Per analogiam & ſimilitudinem ac proportionem ea, quæ de bello terreſtri acta ſunt, accommodari debent ad bellum nauale.*

2 *Sunt ergò in bello nauali quædam communia cum bello terreſtri, quædam verò peculiaria.*

3 *Communia facilè intelliguntur ex comparatione: ſingularia verò ſunt; 1, eductio exercitus in mare, poſt inſtrumenta continentia, 1. naues earumq; apparatus, deinde contenta quædam ſiue arma & inſtrumenta bellica, quæ non in terra, ſed in mari tantum vſurpantur, vt ſunt vnci, harpagines, & ſimilia; deniq; etiam commeatus nauticus, qui diuerſus eſt à commeatu terreſtri, quoad præparationem & aſſeruationem.*

4 *Præcipuum autem in bello nautico eſt claſſis, cuius nauis Princeps ſiue nauis Archithalaſſi,* deß Ammerals / *præcipua ſollicitudine curanda eſt, vtpote qua peſſundata, reliquæ etiam facilè diſſipantur.*

5 *Igneorum globorum & pyrobolidum maximus eſt vſus in bello nauali.*

Nouerant id Angli cum anno 1588. igneis eiuſmodi globis immanem illam & ſtupendam claſſem Hiſpanicam memorabili in omne æuum exemplo & propudio Hiſpanorum diſſiparent. Cęterum de bello nauali extat integer liber 5. commentariorum bellicorum Henrici Ranzouii digniſ-

gniſſimus omnino lectu. Videri etiā poterit Leonis Imperat. lib. de apparatu bellico, c. 58. in quo tractatur de prælio nauali.

Et ſic bellum primariò conſideratum: Bellum ſecundariò cōſideratum, eſt bellum illatiuum, ſiue offenſiuū, quod nempe non ſuſcipitur defenſionis cauſa, ſed vel ad vindicandam iniuriam, vel ad recuperationem amiſſorum: de quo bello Canon notetur.

Bellum offenſiuum pleraque habet communia cum defenſiuo, ſed hoc tamen peculiare habet, quod ſit longè periculoſius & minùs principaliter dictum bellum, & per conſequens, quod non ita facilè debeat moueri ac bellum defenſiuum.

Et ſic etiam de bello directo ſiue externo; reſtat bellum indirectū, ſiue internum & ciuile; de quo ſunt hi Canones;

1 *Bellum ciuile multum à natura belli principaliter dicti degenerat; itaque bellum non eſt niſi indirectè.*

2 *Differt interim bellum ciuile à tumultu & ſeditione; quod tumultus & ſeditio ſit ſubitus motus ſine præparatione & indictione. Ciuile autem bellum ſit motus quidam lentior, habens ſolennia belli nonnulla; belli, inquam, vel ſubditorum in Principem, vel Principis in ſubditos, vel ſubditorum inter ſeſe arma capientium.*

3 *Bello ciuili nihil fœdius, nihil miſerius, & quod meritò dixeris, mare ipſum calamitatum.*

4 *In bello ciuili nihil miſerius, quam ipſa victoria; vtpote quam neceſſariò aut interitus ſequitur Reipub. aut inſignis mutatio.*

Hos duos Can. habet I. Lipſ. lib. 6 Pol. c. 1. & 2.

5 *Ciuilia bella oriuntur vel ex culpa Principis, vel ex culpa ſubditorum, vel ex culpa Principis & ſubditorum ſimul: Et remotior quidem cauſa ciuilis belli eſt ambitio & luxuries: Propior, & ex parte Principis, eſt Tyrannis, ex parte ſubditorum factiones & ſeditiones.*

Vide Lipſ. dicto lib. c. 2. 3. 4. & 5.

6 *Modus gerendi belli ciuilis par, aut idem pene etiam eſt qui in bello externo, neque tam de modo huius belli cogitandum ſapienti Principi, quam de modo auertendi & cauendi.*

Vide Lipſ. d. lib. c 2 & c. 6.

7 *Si cauſa alterutrius partis in bello ciuili bona ſit, debet ſe adiungere vir illuſtris, & clarus parti bonæ, neq; manere neutralis; minus autem clari debent quieſcere, ne ignem belli ciuilis ſubinflent, vel exſufflent.*

Grauiſſimam iſtam quæſtionem Politicam de Neutralitate in bellis ciuilib. & quomodo ſe vir bonus debeat in bello ciuili gerere, eximiè tractauit Lipſ. in vtramque partem, cap. penult. ſuæ Politicæ. vbi tandem iſtam controuerſię ſuæ determinationem addit, quam in Canone expreſſi.

8 *Princeps in bello ciuili videat, ut capita ſub ſpecie honoris aut muneris aliò ableget, atque adeo noua cupientibus duces & autores auferat.*

Vide Lipſ. c. vlt. Polit.

9 *Bella ciuilia initio ſtatim ſunt ſupprimenda,*

ſin

ſin autem nequeunt, aut pactione tollenda, aut victoria cruenta, ne nimis diu Remp. lacerent.

Vide Lipſ. eod. c. vlt. Pol.

CAP. XXXII.

De regimine Monarchico relato ad finem eminentiorem; vbi ſimul de Monarchia maiori & minori.

HActenus ergò expediuimus doctrinam de ſtatu Politico perfecto, ſiue de Monarchia, quatenus refertur ad finem abſolutum, nempe ad publicam honeſtatem & tranquillitatem: ſequitur vt breuiter agamus de Monarchia relata ad finem eminentiorem.

Finis iſte eminentior eſt vel humanus, vel diuinus.

Humanus finis eſt contemplatio ſiue virtus Theoretica, de quo fine Canon eſt:

Poſtquam Princeps ciues ſuos duxit ad felicitatem & virtutem Practicam, etiam ducere debet ad virtutem & felicitatem Theoreticam.

Sicut in Ethicis eâ methodo vſi ſumus, vt prius conſiderauerimus virtutem abſolutè ſpectatam (moralem ſc.) poſtea verò conſiderauerimus etiã virtutem cum gradu eminente, i. e. virtutem Heroicam; ita in Politicis eundem ordinem ſeruamus. Et *cum hactenus explicata ſint media ſtatus Politici ea, quæ ducunt ad bonum ciuile abſolutè*

conſideratum; iam ea quoque media conſideranda ſunt, quæ ducunt ad bonũ aliquod eminentius, quod etiam princeps procurare debet in ſtatu Politico, ſiue Repu. Regere enim ſubditos nil aliud eſt, quam ſubditos ducere ad omne bonum, ac adeo non tantũ ad bonum morale, ſed etiam ad bonum, ſiue virtutẽ theoreticam, & ad virtutem religioſam, ſiue veram pietatem, ex qua ſummum illud & perfectiſſimũ, atque adeo immutabile bonum oritur, quod dicitur *vita æterna*. Cæterum de bono ſiue virtute Theoretica, & eius procuratione in Rep. tractat Ariſt. lib. 2. Polit. c. 1. & 2. & capite quidem primo » hæc eius ſunt memorabilia verba: Huic, *inquit*, » diuiſioni nemo refragabitur, quod cũ ſint tria bo» norũ genera, externa, corporis, & animi, iſta o» mnia felici homini adeſſe oportere. De optima rep. rectè quærere volenti, neceſſariũ eſt prius determinare quæ vita ſit maximè expetenda; nam ſi id ignotum ſit, neceſſe eſt & optimã remp. ignorari. optimè. n. agere conſentaneum eſt eos, qui ſub optima reip. diſciplina reguntur. Et deinceps » ipſa beata vita magis exiſtit in iis, qui & morib. & » intellectu excellenter ornati ſunt. & c. 2. Neceſſa» riũ eſt illam remp. optimã eſſe, per cuius inſtituti» onẽ vnusquiſq; optimè agit & beatè viuit. Poſtea a. concludit, cum beata vita conſiſtat in duob. nẽpe in virtute morum, & virtute mẽtis; ideo hanc demum eſſe Remp. optimam, in qua vtraque virtus dominetur, ſiue in qua ſubditos ſuos magiſtratus ita regit, vt ad vtriuſque illius virtutis poſſeſſionem & vſum deducantur.

2 *Vt ergo Virtus contemplatiua in Rep. vigeat, neceſſe eſt a Magiſtratu ſiue Principe Scholas & Academias inſtrui, in quib. non tantum Practica*

iſtæ virtutes, ſed etiam Theoretica doceantur, vt eſt Phyſica, Mathematica, Metaphyſica.

3 *Neceſſe eſt etiam Principem excellentes artifices, nempe Phyſicos, Aſtronomos, Geometras & aliarum diſciplinarum Theoreticarum peritos in ſua rep. fouere eosq; honoribus & præmiis condecorare.*

4 *Curabit & Princeps vt libri de ſcientiis ſcripti ſint etiam in exiſtimatione & precio; & ſi qui libri ipſi offerantur & dedicentur, libenter acceptare eos debet.*

5 *Ciues etiam harum ſcientiarum cultores amet & magnifaciat; contemptores verò coerceat.*

Sequitur finis diuinus, ſiue cura religionis, & pietatis, qua ſubditi à Principe, vel ſub Principe, ad æternam ſalutem ducuntur.

De ſtudio Religionis in repu. vide generaliter Tol. lib. 12. c. 4.

Regimen Principis religionē & pietatem ſpectans, dupliciter cōſideratur: vel abſolutè, & in ſtatu pacato, vel per accidēs, & in ſtatu turbato.

Status religioſus pacatus conſideratur iterum vel reſpectu Principis, vel reſpectu ſubditorum.

Status religioſus conſideratus reſpectu Principis, habet hos Canones;

1 *Quia is demū perfectus Princeps eſt, qui perfecta virtute præditus alios ad perfectam virtutem ducit, ideò Principē non tantum ornatum eſſe oportet virtute Ethica, Oeconom. Polit. & contemplatiua, ſed etiam virtute religioſa, atq; adeo vera pietate.*

2 *Principem religioſum iuramento religioſo*

Deo & Reipubl. obligare ſeſe oportet ad cultum diuinum & veram religionem fouendam & tuendam.

Vide exempla & dicta ſcripturæ multa ad Canonem hunc probandum, c. 23. Politicæ.

3 *Princeps religioſus agnoſcat ſe omnem poteſtatem à Deo habere, atq; adeò titulo etiam ſuo & teſtimonio profiteatur.*

Vide Althuſium ibidem varia ſcripturæ dicta citantem, ſimulque & allegantem exempla principum Chriſtianorum, qui ſuis titulis ſemper addunt iſta verba; *Dei gratia*, ſiue, Von Gottes gnaden.

4 *Princeps habeat ius maieſtatis Eccleſiaſticum; atq; adeò poteſtatem ordinandi ea, quæ ad cultum Dei & veram religionem tuendam pertinent.*

Politici & inter hos Althuſius cap. 6. Polit. ius maieſtatis diuidunt in Eccleſiaſticum & Politicum. Et ius quidem maieſtatis Eccleſiaſticũ definiunt curandi & ordinãdi omnia illa media, quæ ad cultum Dei & ſalutem animarum pertinent; vbi intelligi debet externa illa diſciplina & regimen Eccleſiaſticum, cui præeſt magiſtratus, tanquam diuinitus conſtitutus cuſtos vtriuſque tabulæ Decalogi, & patronus ac nutritius Eccleſiæ.

5 *Princeps habeat ius vocandi & conſtituendi miniſtros Eccleſiarum per ditionem ſuam.*

Vide Althuſ. c. 23. Polit. & 2. Chron. 17. 2. Reg. 23. & Aret. prolixè id tractantem in probl. l. 63.

6 *Pertinet huc etiam conſtitutio ſcholarũ, quatenus nempe in iis iuuentus ad pietatẽ & religionem inſtituitur.*

Nam quatenus in ſcholis iuuentus informatur

tur ad honeſtatem, bonos mores, ac diſciplinas morales, ita de earum conſtitutione ſupra actum eſt: Poteſt autem videri de conſtitutione ſcholarũ Toloſ. lib. 11. c. 1, 2. & ſeqq. Et lib. 12. c. 4, 5. Danæus libr 4. Polit. Chriſt. cap. 5. Zepperus lib.. 1. Pol. Eccleſ. Caſmann. c. 25. Pol.

7 *Princeps habet ius promulgandi & ſanciendi leges de doctrina cœleſti rectè proponenda, de Sacramentis rectè adminiſtrandis, de Synodis indicendis & celebrandis, de viſitatione Eccleſiarum & ſcholarum, de presbyteriis, atq; adeo de tota diſciplina Eccleſiaſtica, deq; Eccleſiaſticis iudiciis.*

8 *Princeps curet omnib. modis ne quid deſit, quod ad verum Dei cultum neceſſarium eſt, atque adeo curam quoq; gerat ceremoniarum, quæ ad cultum Dei externum pertinent.*

Vide Toloſ. lib. 8. c. 2. Et Danęum in Aphor. ad lib. 5. Pol.

9 *Blaſphemos periuros, magos & artib. Diabolicis deditos, Princeps ſeueriſſimè puniat.*

10 *Cohibeat quoque & reprimat impoſtores, ſeductores, atque adeo omnes eos, quicunq; Eccleſiam & diſciplinam Eccleſiaſticam malitioſè turbant.*

11 *Neq; tantum Eccleſiam curet gubernando & iudicando, ſed etiam conſeruando & defendendo.*

Rempu. ad ciuile bonum diriget Princeps gubernando, iuuando & defendendo; quapropter iſta; etiam debet Eccleſiæ & ſtatui religioſo. Vide Tol lib. 8. c. 2. ex Deut. c. 13. 1. Reg. 7. 8. Ierem. 4. Ieſaię 49. itemque exemplo Ioſaphati & Ioſiæ.

12 *Bona eccã & reditus Eccleſiis procuret, augeat, ſeruet, neq; ad vſus profanos transferri patiatur.*

13 *In teſtamento quoque & vltima valuntate re-*

ligionis curam habeat, eiusq́ curam, propagationem & conſeruationem ſuo ſucceſſori demandet.

Exemplo Dauidis, 1. Chron. 8. 1. Reg. 2. & exẽplo aliorum piorum Imperatorum, de quib. vide Theodor. c. 25. hiſt. Eccleſ. Niceph. c. 23. lib. 1.

Et ſic de officio Principis circa ſtatum religioſum: Sequuntur adiutores Principis in ſtatu religioſo, qui ſunt tum conſiliarii Eccleſiaſtici, tum miniſtri Eccleſiæ, & ſenatores, ſiue ſeniores.

Conſiliarii Eccleſiaſtici vocãtur, quib. Princeps vtitur in conſiliis pertinentibus ad Eccleſiæ conſtitutionem, defenſionẽ, & amplificationem.

De his Canon eſt:

Valde vtile, imò & neceſſarium eſt, Principem in ſua aula habere viros excellenter religioſos. pios & doctos, quibus tanquam adiutoribus & conſiliariis vtatur in gubernatione Eccleſiaſtica; ſiquidem impoſſibile eſt Principem ſolum iſta omnia, quæ ad Eccleſiaſticum ſtatum pertinent, poſſe conſiderare & perpendere ſufficienter, vtpote cum tot aliis grauibus curis ſit diſtrictus.

Nunquam ſatis laudari poteſt conſuetudo Electoris Palatini, qui duplices habet in aula conſiliarios, nẽpe Politicos & Eccleſiaſticos. Nam ſi in reb. ad minus bonum ſpectantib. ſc. in Politicis & ciuilibus conſiliariis eget Princeps, quanto magis egebit in reb. ad maius bonum ſpectantibus, nempe ad religionem, & ſalutem ſubditorum?

Miniſtri Eccleſiarum ſunt, qui eam vocationem habent, vt doctrinam celeſtem publicè populo proponant, ſacramenta adminiſtrent, & alia officia Eccleſiaſtica præſtent.

De his Canon eſt:

Magiſtratus ſiue Princeps nō debet ſe immiſcere muneri miniſtrorum Eccleſiæ, ſed eorum officio uti, in verbi diuini prædicatione & ſacramentorum vſu, quia Deus vult diſtinctiſſimum eſſe officium miniſtrorum & magiſtratus.

Seniores Eccleſiarum ſunt, quorum opera Princeps vtitur in diſciplina Eccleſiaſtica curanda; & vitiis ſiue cenſuris Eccleſiaſticis inſtituendis, pauperib. curandis, & officiis aliis religioſis extra verbi diuini prædicationem & ſacramentorum adminiſtrationem.

Et ſic de ſtatu religioſo ex parte Principis: Sequitur de ſtatu religioſo ex parte ſubditorũ, qui cõſideratur vel reſpectu ſubditorum ad Deum, vel ad Principem, vel ad ſeipſos mutuò.

De officio ſubditorum ad Deum, ſunt hi Canones;

1 *Subditi nō tantum externam obedientiã præſtent Principi, ſed ita ſe gerant in toto Reipu. ſtatu, vt puram & illibatam conſcientiã habeant coram Deo.*

2 *Subditi obediant omnibus illis legibus & ſtatutis quæ Princeps ex Dei verbo ſancit, atq; adeo Deo præſtent, tum internum tum externum cultum, & ea ſollicitè caueant, quæcunque iram Dei aduerſus totum Reip. corpus poſſint irritare.*

Subditi reſpectu Principis conſiderati, iterum vel in genere ſpectantur, vel in ſpecie.

De ſubditis reſpectu principis in genere Canon eſt:

Subditi agnoſcant in principe ſuo non tantum ius maieſtatis Politicum, ſed etiam Eccleſiaſticum, atq; adeo præſtent ei obediẽtiam in omnibus quæ ex verbo Dei ad cultum & ſalutem animarum Princeps conſtituit.

Subditi in ſpecie conſiderati, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, de quib. Canon eſt;

Miniſtri Eccleſiarum & aliæ perſonæ religioſæ agnoſcant in Principe ius maieſtatis Eccleſiaſticũ, neq; peregrinam Iuriſdictionem quærant.

Nempe ipſe Chriſtus & Apoſtoli iuriſdictionẽ Rom. Imper. agnouerunt, & fuit 1, Chriſtus ciuis in Capernaum, quæ vrbs tum Romano imperio ſubiecta erat, 2, ſoluit etiam vectigal iis, qui id in Iudæa nomine Imperatoris exigebant. 3, agnouit etiam iudicium Præſidis Roman. & coram illo ſe vltrò ſtitit. Et ſanè valde abſurdum eſt, velle ſub patrocinio & ſub defenſione Magiſtratus viuere, & commodis omnibus frui vnà cum reliquis ſubditis, & interim nolle agnoſcere poteſtatem & iuriſdictionem Principis, à quo omnia iſta habes; Quod notetur contra ius Canonicum, & contra omnes Pontificios, qui perſonas Eccleſiaſticas eximunt à Iuriſdictione Politici Magiſtratus, & Romæ etiam ſc. iudicari volunt ii, qui 500. miliarib. Roma abſint. Ex his a. facilè determinabitur quæſtio, vtrũ *Sacerdotes ſint pars Reip.* de qua quæſt. tum alii multi, tum Hoſius diſputat in lib. de Monarch. Eccleſ. pag. 91. Nam ſi id certum eſt, vt certũ eſt, perſonas Eccleſiaſticas ſubiectas eſſe iuriſdictioni Principis, ſequitur ẽt eas eſſe Reip. capiti ſubiectas & legib. Reip. obnoxias.

Offi-

Officium ſubditorum religioſum inter ſeſe, habet hunc Canonem:

Subditi ſibi mutuo præſtent officia non tantũ coniunctionis Ethicæ & Politicæ, ſed etiã coniunctionis Chriſtianæ & dilectionis fraternæ: Peregrinos quoque exteros ſecum habitantes Chriſtianâ patientiâ & hoſpitalitate ferant, iuuent & foueant.

Et ſic de ſtatu religioſo pacato; Sequitur ſtatus Religioſus affectus, ſiue turbatus; qui duplex eſt, nempe vel leuiter turbatus, vel grauiter.

Leuiter turbatus ſtatus religioſus eſt vel ob nudum diſſenſum principis à ſubditorũ religione, vel ob diſſenſum ſubditorum à religione principis, vel ob diſſenſũ religionis inter ipſos ſubditos. de quo ſtatu ſunt hi Canones;

1 *Princeps qui veram religionem profitetur, perfectior eſt eo, qui à religione eſt alienus: interim tamen is qui alienus eſt a vera religione, propterea, quia alienus eſt, non deſinit eſſe legitimus princeps, multò minus debet haberi pro tyranno, aut pro tali, cui iure ſubditi ſe poſſint opponere.*

Nimirum princeps, qui à religione diſſentit, & interim tamẽ ſubditos ſuos ad ciuile bonum ducit ac dirigit, retinet adhuc fundamenta principatus, ea nempe, quæ pertinent ad ſtatum Politicum abſolutè conſideratum, & idcirco obedientia etiam ei & honor debetur. Euangeliũ enim & religio Chriſtiana non tollit honeſtatem, neque Politias ad bonum ciuile, & ad honeſtatem compoſitas, etiamſi non ſunt compoſitæ ad pietatem,

tanquam ad finem eminentiorem. Hinc Chriſtus Matth. 28. *Date*, inquit, *Cæſari quæ ſunt Cæſaris*, id eſt, agnoſcite eum pro principe etiamſi non ſit religioni veſtræ addictus. Nõ debemus autẽ nobis plus iuris vendicare in principem quam Chriſtus in eos ſibi vẽdicauit. Vide ſimilia loca ad Rõ. 13, 1. Pet. 2. quæ omnia obſeruanda ſunt contra exitialia dogmata Pontificiorum, qui omnem eum principem Tyrannũ pronũciant, quicunq; à religione Pontificia diſſentit. Sic. n. ſcribit Wilhel. Roſſæus in libro cui titulus eſt de vindicta Reip. Chriſtianæ aduerſus Reges impios, & hæreticos
» p. 156. Omnis rex hæreticus ſimul eſt tyrannus; *&*
» *poſtea addit*, ſubditos debere eum regem, qui non
» eſt Catholicus, armata manu deponere aut etiam
» occidere. Similia ferè habet *Andreas Philopater* in lib. cõtra edictũ Reginæ Angliæ, anno 1593. Ingolſtadii Germanicè excuſum. Et ante annos aliquot Grotziæ in Stiria prodiit liber, cui tit. eſt *Pædagogia*, autore Petro Maſchith, qui liber etiã Ingolſtadii eſt excuſus Germanicè, cuius ſunt hæc
» verba: Quamuis Hæretici Reges, Principes & Ma-
» gnates imperium ſibi vendicent, tamen ipſorum
» regimẽ nihil eſt, quam mera tyrannis. Ioh. Dinardus Ieſuita propriâ manu Pariſiis hæc verba ſcri-
» pſit: Num Neronem Franciæ, Vulpem Bearniæ,
» Leonem Portugaliæ, Lupam Angliæ, Gryphum
» Sueciæ; Porcum Saxoniæ, Reges appellabimus,
» aut principes? quæ verba referuntur pag. 16. libr. anno 1595. editi, ſub hoc tit. *Quæſtio parricidii intentati Henrico IV.* Similia planè habet & diſputat Gregor. de Valentia, tomo 3. diſp. diſp. 5. quæſt. 8. Et Bellar. lib. 5. de ſummo Pontifice, c. 7.

2 Princeps non vendicet ſibi imperium in conſcientias; & cogitet fidem ſuaderi, non cogi poſſe; atq; idcircò diſſenſiones quidem religionis omnes ſedulo præcaueat, atq; auertat; ſin autem præcauere non poſſit, ferat, & pacem inter diſſidentes ſeruet, vt maiora mala caueri poſſint.

Hoc nempe conſideratum fuit in Germania maiorum noſtrorũ tempore, quãdo pax illa religionis Paſſauii anno 1552. die 2. Auguſt. ſancita, & deinceps anno 54. & 66 confirmata fuit. Cuius pacificationis beneficio Germania hactenus ſalutari pace fruitur, neque ita horribilibus lanienis vexatur, vt Anglia, Gallia, Belgium. Quod Germanorum inſtitutũ ordines Poloniæ ſecuti ſunt, ſancita confœderatione religionis anno 1573. Et ſapientiſſimus Rex Stephanus edictum etiam promulgauit de pace religionis ſeruanda, ſimulque addit memorabilem vocem, "Nolle ſeſe conſciẽtiis dominari; ſiquidẽ Deus ſolus ſibi hæc tria "reſeruarit, *nempe* creare aliquid ex nihilo, noſſe "futura, & dominari conſcientiis. Nec prætereundum eſt quod Iohan. Molanus Sacræ Theologiæ Profeſſor in Academia Louanienſi, in libro de fide hæreticis ſeruanda, pagin. 44. ſiue c. 23. lib. 1. ſcribit: "Cogitur aliquando Catholicus princeps "ſiue magiſtratus, in quibuſdam locis libertatẽ re"ligionis ſub certis conditionibus concedere, ne ſi "minus malũ tolerare nolit, maiora in rep. ſua per"peti cogatur. Quæ Põtificii hominis ſententia opponenda crudeliſſimis opinionibus aliorũ Pontificiorum, & inprimis cuiuſdam Dominici Bannis Profeſſoris Academ Salmaticenſis in Hiſpania, qui ſuper ſecundam ſecundæ, id eſt,

ſuper ſummam Thomæ quæſt.11.art.2. ſic ſcribit:
» Inquiſitores hæreticę prauitatis ex pręſumptione
» etiã procedere poſſunt, & tenentur punire eum,
» qui ex dictis vel factis cõuincitur eſſe hæreticus,
» etiamſi reuera non ſit. Hæc nimir.ſunt dogmata, quorum culpa accidit, vt ab anno 1562. ad annum 84, 140000 hominũ variis ſuppliciis & bellis propter religionem cõfecta ſint in Gallia; ſicuti quidem Cicarella cõtinuator Platinæ in vita Gregorii XIII. refert, quod legatus Regis Gall. Pontifici dixerit, poſt mortem Ameralii 70000 hæret. annis 14. in gratiam Põtificis trucidata eſſe. Et autor libelli de iure belli Belgici, refert, quod Ferdinandus Dux Albanus paucis illis annis, quib. præfuit illi bello 18000 hominũ & 600. præterea in vtroque ſexu tum palam, tum clanculum furialibus carnificinis ſuſtulerit, gratiſſimo ſc. Sathanæ, tanquam Archihomicidæ ſpectaculo.

3 *In diſſenſionibus de religione non patiatur princeps certamina publica nimis inualeſcere, præſertim pro ſuggeſtis & ad populum.*

Sed diſputationes de religione ſubtiliores iubeat proponi & diſputari in Academ. & ſcholis inter viros doctos, & intelligentes, ac capaces ſubtilium controuerſiarum.

Sequitur ſtatus religioſus grauiter turbatus, qui eſt vel perſecutio, vel bellum ſacrum.

Perſecutio ob religionẽ eſt, vel ex parte principis, vel ex parte ſubditorum.

Contra perſecutionem ex parte principis ſunt hi Canones:

1 *Etſi pius princeps dolere debeat ſi ſubditi à vera re-*

ra religione aberrent, & huic errori remedia quærere & adhibere; tamen propterea in ſubditos ſæuire non debet perſecutionibus, exiliis aut crudelib. ſuppliciis.

Nimirum Dauid Rex habuit etiam ſub ſuo imperio Ethnicos; neque tamen eos vel violenter ad ſuam religionem coegit, vel ipſos extirpauit, aut ſedibus ſuis pepulit. Quis verò Princeps auſit dicere ſe magis pium Dauide, qui vir & Rex fuit ſecundum cor Dei? ſufficiat hoc vnum argumentum; plura enim pro hac confirmanda ſententia ſuo tempore afferri à nobis poterunt.

2 *Si qua pacta, ſi qua iuramenta, ſi qua ſalui cōductus formulæ datæ ſunt ſubditis in religione diſſentientibus, ea à principe ſeruari debent, nihil obſtante peſtilentiſſima theſi: Hæreticis non eſt ſeruanda fides.*

Si non ſeruanda, ergo nec danda nec quicquā eis promittendum. Vide de hac re latius *Danæum* lib. 2. Ethic. cap. 9. Bodinum libro 5. c. 6. inprimis verò eum, quem ante citauimus, *Iacobum Sculte- tum*, in ſolida illa & plena tractatione ac probatione iſtius axiomatis, quod princeps catholicus etiam hæretico fidem ſeruare debeat. Sed quorſum hos noſtros homines cito? cum adſit teſtimonium manifeſtum Iohannis Molani S. Theologiæ in Academia Louanienſi Profeſſoris, & Pontificii ac Regii Librorum Cenſoris, cuius ante quoque mentionem feci, qui lib. 1. de fide ſeruanda cap. 16. probat hoſti fidem ſeruandam eſſe, & deinceps, c. 16. Ex ſacris, *inquit*, literis docebo, "
hæreticis hominib. fidem ſeruandam eſſe. Et tan- "
dem concludit, valeat igitur impia illa ſententia, "

„ quòd nempe infidelibus & hæreticis non ſit ſer-
„ uanda fides; & vt veritas exigit, omne mendaci-
„ um omnemq; perfidiã deteſtemur. Nec attenda-
„ mus cui, ſed per quem iurauerimus. Et c. 30. eiuſd.
libri, ſoluit iſtam celebrem obiectiouem, *in turpi promiſſo reſcindendam eſſe fidem*. Dicit autem illud axioma eſſe intelligendum de promiſſis, quæ in ſe habent talem turpitudinem, quæ ſit malitia, aut malum culpæ. Itaq; non omne turpe promiſſum eſſe reſcindendũ, ſed tantum eiuſmodi quod in ſe contineat malitiam culpæ; tale autem promiſſum non eſſe quod princeps Catholicus dat hæreticis.

3 *Cogitet princeps diſſenſiones in religione, per ſe non afferre mutationes in rebuspub. ſed per accidens, quatenus nempe vel ipſe princeps inueteratam ſuam opinionem nimis obſtinatè vult tueri, vel quatenus ſub ſpecie religionis quæritur ſuppreſſio ſubditorum, vel denique quatenus inter ſubditos aliqui ſint, qui ſub religionis ſpecioſo titulo occultis ac fraudulentis machinationibus turbant ſtatum Politicum.*

Conſideratione digniſſ. eſt iudicium Camerarii in meditatione Hiſtor. parte 1. capite 58. vbi inquit:
„ Diuerſæ religiones per ſe minimè afferunt
„ mutationes aut perturbationes rerumpub. ſed eę
„ tandem incidunt, quãdo magiſtratus inueteratã
„ opinionẽ abſq; iudicio & diſcrimine abiectis per
„ vim reliquis pertinacius tuetur. Quod idẽ planè
iudicium eſt domini de Noue, in diſcurſibus Pol. diſcurſu 2. Vide etiã eximium lib. cui tit. eſt *Suſcitabulum*, parte 1. c. 5. & 6.

De ſtatu turbato grauiori ex parte ſubdito-

ditorum, ſunt hi Canones, qui partim reſpiciunt officium ſubditorum erga principem, partim officium ſubditorum erga ſe inuicem.

1 *Subditi aduerſus principem in religione diſſidentem inſurgere non debent, modo non ſæuiat perſecutionibus, ſuppliciis & exiliis.*

2 *Si ſæuit exiliis, ſuppliciis & perſecutionibus, priuati homines & ſubditi fugere debent aliò: ſin autem fugere non poſſint, debent patienter ferre quod ferendum eſt, dum tandem optimates ſiue magiſtratus inferiores in aliquo principatu patrocinium ſuſcipiant priuatorum, eosq; defendant ac tueantur contra ſæuitiam, quam cauſa religionis patiuntur.*

Anxia admodum quæſtio eſt: *An ſubditis licitum ſit religionis cauſa a principe deficere, aut arma contra eum capere.* quæ quidem quæſtio ordines confœderatarum prouinciarum Belgicarum hodie concernit, & olim concernebat ordines regni Scotici & Gallici. Ne autem prolixi ſimus, adductis in vtramq; partē argumentis, quæ alibi ab aliis fusè enumerantur, rectâ accedimus ad deciſionē controuerſiæ, quæ fit per limitationem duorum terminorū in iſta quæſtione, nempe principis & ſubditi. princeps enim dupliciter cōſideratur, vel vt nudè tantum diſſentiens à religione ſubditorum, & ſic nullo modo eſt ei reſiſtendum; ſiquidem etiam malo & ſcelerato principi obediendum eſſe S. lit. docent Matth. 22. 1. Pet. 2. Ier. 29. Baruch. 1. 1. Sam. 15. & nos ſupra etiam idē probauimus, & probat Alth. c. 4. in Pol. vide etiā Caſtell. lib. 3. de officio Regis, c. 12.

Secundò conſideratur princeps quatenus nõ tantum diſſentit à religione vera & ſincera ſubditorum, ſed eam tyrannicè perſequitur, atq; adeò ſęuit in ſubditos vel occultis machinationibus & oppreſſionibus vel ſuppliciis etiam, & mactationibus ſicut accidit in Gallia, in Belgio, in Anglia, & alibi. Et tali principi reſiſtendum eſſe docet ipſum ius naturæ, quo conceditur defenſio homini contra hominem, ius a. naturæ non tollitur per iura Politica. Reſiſtendum eſt igitur tali Principi, ſed non temerè, non præcipitanter, verum ita, vt omnia prius remedia fideles & afflicti ſubditi experiantur. Eſt.n.graue & ſapiens monitum Liuii, quod eſt libr. 3. Scutum potius quam gladiũ ſubditis in tyrannum eſſe ſumendum, quẽ patientia & modeſtia ſubditorum mitigat; contumacia verò exaſperat. Et conſtat ex crudelib. Tyrannis progreſſu tẽporis factos eſſe optimos Reges. Vide Toloſ.lib.8.c.1. Lipſ.li.6.Pol.cap.5. Nec reſiſtendũ eſt à quibuſuis ſubditis. Subditi enim vt ad ſecundi termini limitationem accedamus, vel vt priuati ſunt, & tales debẽt vel ſequi cõſiliũ Chriſti, quod eſt Matth.10. *Fugite de ciuitate in ciuitatem*, vel ſi fugere non poſſunt, debent quieſcere & iniuriam patienter ferre; quia non habent ius gladii, Matthæi 26. ad Roman. 13. Et bellum quod à priuato mouetur, non tantum non eſt legitimum, ſed ne bellum quidem rectè dicitur, vt probat Obrecht.diſp.1. de bello theſi 30. Vel cõſideratur ſubditus quatenus ſimul habet poteſtatem & ius magiſtratus inferioris, quod ius ipſe Princeps ei dedit, vt ſupra monuimus. Ratione ergo huius iuris quod habet ſubditus tanquam

quam magiſtratus inferior & vnus ex optimatib. regni, poteſt reſiſtere principi ob religionem ſæuienti propter rationes, quas ſupra allegauimus de reſiſtentia ſubditorum aduerſus principem ob tyrannidis Politicæ ſiue ciuilis cauſas. Atque hæc eſt ſententia cum Theologorum, tum Politicorum, qui prudenter & moderatè de eiuſmodi grauibus controuerſiis ſentiunt. Qui tamen etiam hoc addunt: poſſe quoque implorari à ſubditis interceſſiones ab aliis exteris principibus, qui nempe principem moneant, vt ab eiuſmodi ſæuitia deſiſtat, ſicut quidem Galli apud ſuum regem vſi ſunt interceſſione Regis Daniæ, Principum Germaniæ, & aliorum. Vide hiſtoriam Gallicam & eius Epitomen.

3 *Libertatem conſcientiæ & pacem religionis à principe conceſſam, ſubditi pro magno beneficio habeant, eaq; non abutantur vel ad licentiam opinionum nouarum, vel etiam ad diſſolutionem & laxationem diſciplinæ Politicæ; ſed pro ea grati ſint principi, ſeq; in aliis oneribus ciuilibus tantò promptiores exhibeant: & vt princeps non vult dominari eorum conſcientiis, ita nec dominentur illi conſcientiæ principis, ſiue magiſtratus ſui.*

4 *Subditi inter ſeſe pacem politicam colant, nec ſeditiones aut tumultus moueant ob differentias in religione.*

Si enim Princeps & Magiſtratus ſubditis debet concedere pacē religioſam, ſiue libertatem conſcientiæ, quanto magis ſubditus ſubdito eā debet concedere? itaq; Canonib. prioribus probatis, iā hic neceſſario concedetur. Et ſanè Euangelium non tollit Politias, vt eſt recepta omnium Theo-

logorum ſententia, idcircò nec diſſenſio in religione inter ſubditos tollit pacem Politicam inter eos; neq; illi, qui veram Euangelii ſententiam tenent, cupient pace Politica priuare eos, qui iſtam ſententiam nondum amplectuntur. Quô pertinet admonitio Apoſtoli ad Romanos 15. *Pacem* (nempe Politicam) *colite cum omnibus.* Et Chriſtus ipſe humaniſſimè conuerſatus eſt cum hominibus à religione Iudaica & Chriſtiana alienis, vt cum Samaritanis, publicanis, Phariſæis. Idem & Apoſtoli fecerunt, vt Actorũ Apoſtolicorum liber teſtatur.

Et ſic de priori ſpecie ſtatus religioſi grauius turbati, deq; eius remediis: Poſterior ſpecies eſt bellum, quod religionis cauſa ſuſcipitur; & quod Hiſtorici ac Politici ſacrũ vocant; de quo hic Canon eſt:

Bella ſacra aliis bellis grauiora eſſe ſolent & diuturniora.

Sic bellum Peloponneſiacum maximè diuturnum fuit inter omnia bella Græca; quia ſacrum nempe bellũ erat. Sic hodiè bellũ Belgicũ, quod eſt ſacrum bellum, & à cauſis religioſis ortũ, pertinaciſſimum eſt, & cum annis aliquot ſupra 30. durârit, nullus tamen eius adhuc finis, aut exitus apparet. Atq; hæc etiam de ſtatu religioſo, quem Politicus in genere conſiderat, quatenus nempe collatio inſtituenda eſt finis rerump. eminentioris cum fine abſoluto. Plenius autem & ſpecialius de toto ſtatu religioſo tam in communi, quàm in ſpecie, nempe de Oeconomico & Politico peculiaris diſciplina tractat, quę dicitur Politia ſiue diſciplina Eccleſiaſtica.

Vidimus Monarchiam & ſtatum politicum perfectum, tam reſpectu finis abſoluti; quàm reſpectu finis eminentis: reſtant aliquot distinctiones Monarchiæ. Eſt enim Monarchia alia perfectior, alia minus perfecta.

Monarchia perfectior eſt, in qua princeps, ſiue Monarcha nullius ſimpliciter dominium agnoſcit, præterquã ſolius Dei, ſimulq; inſtructus ea eſt amplitudine ditionis, nempe oppidorum, pagorum, vrbium & prouinciarum, & ea quoq; opum ac virium potentia, vt ſubditos ſuos non tantum rectè, ſed etiam ornatè ac ſplendidè gubernare poſſit.

Imperfectior monarchia eſt vel ratione poteſtatis, vel ratione territorii, vel ratione vtriuſq; ſimul.

Imperfectior Monarchia ratione poteſtatis iterum eſt vel ratione alicuius ſuperioris, vel ratione ſpecialium pactorum, vel ratione mixtionis, vel denique ratione temporis.

Imperfecta Monarchia ratione poteſtatis ſuperioris, iterum eſt vel ratione poteſtatis ſuperioris propriè dictæ, vel impropriè dictæ.

Superior propriè dictus eſt, cuius poteſtatem inferior agnoſcit, ita vt obedientiam ei debeat.

Sic Principes Germaniæ ſunt Monarchæ, nempe ſuorum Principatuum reſpectu. agnoſcunt enim ſuperiorem, nempe ipſum imperatorẽ, tanquam ſuperiorem & perfectiorem Monarcham.

Impropriè dictus ſuperior iterum eſt vel honorarius, vel tributarius.

Honorarius ſuperior eſt, quem monarcha aliquis agneſcit ſuperiorem non ratione poteſtatis aut iuriſdictionis, ſed tantum ratione honoris & gradus ac tituli Principatus.

Ita Princeps qui planè non eſt ſubiectus Electori, tribuit ei ſuperiorem tamen locum: elector tribuit Regi, cui planè non eſt ſubiectus, Rex tribuit Imper. Atque huc pertinet iſta prærogatiua, quâ Imperator ſiue Cæſar habet poteſtatem, tribuendi titulum Regis iſti principi, qui eſt extra ſuum Imperium, vt cum Imperator Ottho III. Principem Bodiſlaum Poloniȩ fecit Regem, item cum alii Imperatores principes Suecos & Danos fecerunt Imperatores.

Tributarius ſuperior eſt, cui inferior etiam non debet obedientiam, ſed tantum tributum aliquod ratione ſpecialis alicuius pacti.

Superioritas ſiue Monarchia imperfectior ratione ſpecialium pactorum cum ſubditis, eſt, quando Monarchæ alicui ſpecialia quædam pacta intercedunt cū ſubditis, quæ quidem reſtringunt Monarchiam, ſed tamen non tollunt.

Ita omnibus pene Regibus Europȩ hodiè, Regi Angliæ, Regi Galliæ, qui tamē pro Monarchis habentur, & rectè habentur, intercedunt ſpecialia quædam pacta cum ſubditis, ad quæ tenenda obligantur.

Imperfecta Monarchia ratione mixtionis eſt, quan-

quando Monarcha aliquis ditionem, atq; adeo iuriſdictionem in aliqua parte ſuæ ditionis communem habet.

Sic pleriq; principes Germaniæ vlterioris, i. e. eius, quæ eſt ad Rhenum, habent territoria & iuriſdictiones mixtas, cum aliorum principum vel Rerump. iuriſdictionibus.

Monarchia imperfectior ratione temporis eſt, quando Monarcha non habet perpetuum imperium, ſed tãtum temporarium, quod certo tempore exſpirat.

Ariſtoteles inter ſpecies Regum numerat etiã Reges Lacedæmoniorum, qui propter bellum eligebantur, & tempore belli Monarchicè imperabant, non autem tempore pacis. Tales fuerunt Dictatores Romanorum.

Monarcha imperfectus ratione territorii eſt, qui exiguo tantum territorio imperat; atq; adeo directè quidem gubernare ſubditos poteſt; ſed nõ æquè potenter ac ſplendide.

Tales Monarchæ fuerunt Reges, qui vni vrbi tantum imperabant; quales antiquitus pleroſque Monarchas fuiſſe ex hiſtoria ſacra patet. Sic Reges vnius vrbis fuerunt plerique Reges Indici, tam in India Occidentali, quàm Orientali, etſi nonnulli quoque integris prouinciis dominati ſint, antequam iſtas orbis terrarum partes Luſitani & Hiſpani, iure dicam, an iniuriâ? ſubiugarunt. Sic comes aliquis, item Baro, item Nobilis eſt Monarcha reſpectu ſui territorii, ſuorum pagorũ nempe, aut oppidorum.

Monarcha imperfectus ratione territorii & poteſtatis ſimul, eſt, cuius & ditio parua eſt, & poteſtas à ſuperiore arctata.

Atque his quidem omnibus Monarchis imperfectis quadam proportione applicari debet omne id, quod ſupra prolixè de monarchia in genere & communiter docuimus.

Finis libri primi.

GENERALIS PARTIS
Syſtematis Politici
LIBER II.
DE STATV REIPVblicæ imperfecto.

CAPVT I.
De ſtatu Polyarchico in genere.

EXpediuimus diuinâ gratiâ doctrinam de ſtatu Reipubl. primo & perfectiori, nempe de monarchia ſiue principatu; reſtat vt agamus de ſtatu Reip. eo, qui à primo oritur, quique ſua natura eſt imperfectior.

Status Politicus imperfectior eſt, in quo plures ſimul imperant, qui ſtatus Polyarchicus dicitur.

Omnis enim ſtatus Reipubl. referri poteſt ad 2. ſpecies; nempe vel ad Monarchiam vel Polyarchiam,

chiam, ſiue ad imperium vel vnius, vel plurium.

Polyarchia eſt vel ſimplex, vel mixta.

Simplex Polyarchia eſt, quando imperium plurium ſimpliciter ſpectatur, ſine mixtura, ſiue temperamento.

De ſimplici Polyarchia ſunt hi Can.

1 *Polyarchia eatenus eſt laudabilis, quatenus habet in ſe ſimilitudinem & repræſentationem monarchiæ, atq; adeo quatenus illi plures, qui imperant, reducuntur ad vnitatem, & ſunt inter ſe vnanimes, atq; concordes.*

Machiauellus in diſcurſibus Politicis aliquoties hoc repetit, *quod non poſſit eſſe imperium penes plures pari poteſtate pollentes: quia*, inquit, *non poſſunt eſſe concordes*; vbi autem nulla eſt concordia conſultantium, ibi nulla eſt vel conſiliorum concluſio vel executio. Et ſanè certiſſimum hoc eſt, quatenus plures conſiderantur vt plures & diuerſi, eatenus non poſſe à pluribus vllum legitimum imperium vel condi, vel adminiſtrari. Quatenus verò iſti plures conſiderantur non vt diuerſi, ſed tanquā in vnū cōſpirantes, atq; adeò vt vnū facti, tam ſenſu animorū, ſiue cōſiliis, quā adminiſtratione ſiue actione exequendi cōſilia, eatenus etiā à plurib. Reſp. gubernari poteſt. Et h.e. quod dicimus, Polyarchiam eatenus bonū eſſe & legitimū ſtatū reip. quatenus ad Monarchiā ſiue vnitatē reducitur, ſiue quatenus monarchiæ ſimilitudinem aliquā in ſe habet. Quod etiam accidit in aliis ſpeciebus genere imperfecto participantib. Nam ibi ſpecies perfecta ſic eminet, vt altera ſpecies generis naturam non habeat, niſi quatenus ad perfe-

ctam iſtam ſpeciem refertur: Accidens non eſſet ens, niſi ad ſubſtantiam referretur. Amicitia iucunda & vtilis non eſſet amicitia, niſi quatenus ad amicitiā honeſtam referretur. Sic Polyarchia nō eſſet legitimus ſtatus reip. niſi ad Monarchiam reduceretur, vel niſi Monarchiæ ſimilitudinem aliquam contineret.

2 *Quæcunq; de Monarchiæ, ſiue Monarchæ fundamentis & cauſis conſtituentibus, item adiutoribus eius, ſiue conſiliariis & officiariis, itemque de partib. officii, ſiue cura Monarchica, nempe de rectione ſiue gubernatione, & huius norma, nempe de legibus atque adeo de requiſitis iſtius gubernationis, deque iudiciis, de defenſione, item amplificatione & exornatione; deniq; de oppoſitis monarchiæ, ſiue de ſtatu mōarchico affecto hucuſque à nobis explicata ſunt, ea omnia quoq; ad Statum Polyarchicum pertinent, & ad eum certa proportione debent accommodari, ſic, vt breuis eſſe poſſit & facilis tota doctrina Politica, quæ adhuc reſtat de Statu Polyarchico.*

Nempe qui in Metaphyſica explicuit naturam ſubſtantiæ, tanquam perfectioris rei, ſiue Entis, is facili negotio abſoluet doctrinam accidētis; quia quicquid de ſubſtantia explicatū eſt, id certa proportione ad Accidens accommodatur. Qui in Ethicis explicuit doctrinam de amicitia honeſta, is deinde parum habet laboris in amicitia iucunda & vtili declaranda; quia quicquid de amicitia honeſta tanquam perfectiori actum eſt, id certa ſimilitudine & proportione ad amicitiam imperfectam, nempe iucundam & vtilem transfertur.

§ 3 *Debet ergo magiſtratus Polyarchicus repræſentare vnum in imperando, & iuribus maieſtatis admi-*

adminiſtrandis, in quibus vnam voluntatem & poteſtatem habere debent ſinguli & vniuerſi, qui ſunt in iſto magiſtratu.

4 *Natura magiſtratus Polyarchici requirit, vt quilibet ſocius huius ſtatus, ſiue imperii, in omnes ſubditos ſigillatim id exercere poſſit, quod in omnes collectim vnus ſolus, ſine ſocio exercere non poteſt.*

Vide Bod.lib.2.c.6.

5 *Quia in ſtatu Polyarchico exercitium & vſus communis iuriſdictionis non eſt penes quemlibet in ſolidum, nec à quolibet in ſolidum exerceri poteſt, idcirco conſultum & vtile eſt, vt communi & concordi ſuffragio vſus iuriſdictionis communis per aliquem miniſtrum communiter & indiuiduè exerceatur, tum nempe, quando vſus iſtius iuriſdictionis communis commodè diuidi non poteſt.*

6 *Quod ſi verò vſus cõmunis iuriſdictionis commodè diuidi poſſit, ea erit æqua partitio, quam quiſque maiorem vel minorem in territorio eodem habet.*

7 *Vel etiam poterit alternis menſibus aut annis, prout maiorem vel minorem iuriſdictionem habet quisq;, iuriſdictio concedi in ſolidum.*

8 *Sed tamen etiam plures coniunctim, ſi nempe ſinguli, vel etiam maior pars conſentiat, poſſunt ex communi approbatione vti iuriſdictione communi.*

Hos Canones habet Althuſ.c.32. Politicæ, ex Couarruuia & Boërio ICtis Practicis. Ad quos tamen, quatenus ICti ſunt, non pertinet iſta doctrina, ſed quatenus Politici ſunt. Nam Politica ſunt hæc conſilia, de diuiſione poteſtatis inter

plures,in magiſtratu Polyarchico. Rectè.n.addit ibidem Althuſius, cum diuiſio Iuriſdictionis fit „ pro ratione territorii cuilibet aſſignati, conſti- „ tui ibi duas ſeparatas & diuerſas ſpecies imperii. „ Nec poſſe diutius dici vel amplius Polyarchiam, ſed eſſe duas ſeparatas Monarchias ſiue regna. Quando.n.vnum regnum diuiditur in duo ſeparata,quæ iura maieſtatis communia non habent, illa diuiſio non facit Polyarchiam,ſed duas Monarchias. Vt quando regnum vnum populi Iſraelitici fuit diuiſum in 2. partes ſub Rehabeam, ibi non fuit ſtatus Polyarchicus;ſed fuerunt 2.diſtinctæ Monarchiæ.Sic etiam Romanum imperium, cum fuit diuiſum in Orientale & Occidentale. Plura exempla regnorum ſic diuiſorum vide apud Tol.lib.35.c.2.

9 *In Polyarchia conſilia numeranda fuerint ſic, vt vota ſiue ſuffragia plurium præpolleant ſuffragiis pauciorũ: in quo etiam imperfectio Polyarchiæ apparet, ſi comparetur ad Monarchiam, in qua Princeps vota non tam numerat, quam ponderat.*

10 *In Polyarchia ergò plurium conſilium ſequendum & exequendum eſt neceſſario, alioquin ſtatus Polyarchicus turbatur. Nec eſt in Polyarchico ſtatu liberum arbitrium adminiſtrãtium,ſiue magiſtratum gerentium in conſiliis vel retractandis, vel mudandis;ſed imponitur iis neceſſitas parendi.*

Vide egregia de hac re apud Toloſ.libr.22.c.2. & lib.24.c.vlt.

11 *In periculoſiſſimis ergò rebus pertinentibus ad ſummam Reſpub.ſæpè extraordinariis conſiliis opus eſt in Polyarchico Statu; ſic nempe, vt ex communi*

conſenſures vni vel alteri committatur, atq; ita conſilia non tam numerentur, quam ponderentur.

12 *In Polyarchico ſtatu vtile eſt & neceſſarium, vt illi, qui rerum ſummæ præſunt, diſtinguantur in 3. ordines, nempe in ſenatum, ſiue conſiliarios reip. in magiſtratum, ſiue eos, qui ordinent & diſponant iſta, quæ à Senatu concluſa ſunt; & denique in Iudices, qui præſint cognitioni cauſarum & iudiciis tam forenſibus, quàm cenſoriis.*

Ariſtoteles aliquoties in Politicis monet, vt iſti 3. ordines in Repub. diſtinguantur, nempe Senatus, Magiſtratus, & Iudices. Id quod præcipuè in ſtatu Polyarchico valere exiſtimandum eſt, vbi cum res non geratur vnius autoritate, facilè confuſiones oriuntur, niſi munera Reip. rectè diſtinguantur.

13 *Tempore motuum bellicorum in ſtatu Polyarchico Dictator creandus eſt, penes quem ſit ſumma rerum, ex communi conſenſu & decreto; quia turbata Reip. tempora non poſſunt ferre moram in conſiliis, quæ mora ſolet eſſe coniuncta Polyarchicæ.*

Vide de hoc Canone Alex. ab Alex. libr. 1. c. 6. & Richt. axiom. 59. Pol. Exemplum fuit in Repu. Romana, Spartana: & eſt hodiè adhuc in Repub. confœderatarum prouinciarum Belgicarum.

14 *Quia, quo plures imperant, eò etiam grauius eſt periculum diſcordiarum: ideò periculoſa ſunt in ſtatu Polyarchico propugnacula, arces & loca munita; vtpote, quæ facile occupari poſſint, & ad euertendam Remp. teneri ab iis, qui dominatum præ cæteris quærunt,*

Vide Toloſ. lib. 2. c. 3.

Et ſic de Polyarchico ſtatu in genere: Eſt autē ſtatus Polyarchicus ſimplex, vel Ariſtocraticus, vel Democraticus.

CAP II.
De Ariſtocratia, ſiue de ſtatu optimatum.

ARiſtocratia eſt ſtatus Polyarchicus ſimplex, quando coniunctim & indiuiduè aliquot excellētioribus datur imperium & ius maieſtatis in rel quos ſingulos & vniuerſos.

Ariſtocratia Latinis eſt imperiū optimorum, ſiue optimatum; Et quia optimi pauci ſunt, ideo eſt paucorum imperium, ſic vt Polyarchia diſtingui poſſit in regimen paucorum, & in regimen omnium, ſiue tale, in quo omnes ſimul regunt. Tractat autem de Ariſtocratia Ariſtot libr. 5. Pol. c. 11. Bod. lib. 2. c. 6. tit. 6. lib. 6. c. 4. Toloſ. libr. 5. c. 1. Iun. part. 1. quæſt. Pol. quæſt. 4. Quæritur h. loco: „ Quale fuerit imperiū, quando Imperator Roma- „ nor. aſſumpſit collegā in adminiſtratione imperii; vt quando Antoninus Pius habuit Lucium Verum, Valerianus habuit filium Galienum, Diocletianus Maximianum, Conſtantius Lucinium, Theodoſius Honorium, Valentinianus Valentem. Et putant quidem nonnulli Politici, inter quos eſt Althuſ. c. 32. iſtud imperium collegarum fuiſſe Ariſtocraticum. Sed putarim potius fuiſſe Monarchicum imperfectum, ſiquidem iſti Collegæ diſtribuebant inter ſe Romani imperii pro-

nin-

uincias & plerumq; longè à ſe inuicem aberant, vt Ariſtocratica forma non poſſent conſilium capere.

Circa Ariſtocraticum ſtatum tria nobis ſunt conſideranda; 1, Eius proprietates & requiſita; 2, Eius diſtinctiones, & deniq; tria eius oppoſita.

Proprietates & requiſita ſtatus Ariſtocratici explicantur his Canonibus:

1 *Vt omnis Polyarchia, ita quoq; Ariſtocratia dependet à ſimilitudine ſtatus Monarchici, atq; adeo reduci debet ad vnitatem, ita nempe, vt tamdiu bona ſit & legitima hac adminiſtratio, quamdiu iſti plures optimates, qui imperant, inter ſe conſentiunt, & vnum fiunt.*

2 *Ariſtocratia magis accedit ad Monarchiam, quam Democratiam; quia pauci ſunt viciniores vni quam multi ſiue omnes; idcirco vt Monarchia ſimpliciter & abſolutè conſiderando eſt praſtantiſſima forma Reipub. ita Ariſtocratia eſt accommodatiſſima forma ad conditionem & imbecillitatem humani generis ſiue natura humana, qua ſic eſt comparata, vt vnus vix poſſit ſuſtinere onus regiminis; vix ipſe idonea conſilia inuenire; vtpote qua facilè poſſit degenerare & delabi in omne genus licentia ac ſcelerum: Contra verò plures plura vident, & plurium optimorum virorum optima ſunt conſilia; quin & vnus alterum retinere poteſt in officio, atq; ita aquilibrium in Rep. conſeruari.*

Hoc Canone breuiter rationes omnes comprehendi, quibus Ariſt. lib. 5. Pol. commotus fuit vt hanc formam Reip. iudicaret eſſe omnium o-

primam; quando nempe ſumma eorum eſt penes paucos virtute præditos. Iudicaret, inquam, optimam non abſolutè, & ſimpliciter loquendo de natura ſtatus, ſiue regiminis conſiderati extra imbecillitatem humanæ naturæ, (ſic enim monarchiam eſſe optimam ſupra ab initio politicæ prolixè probauimus) ſed reſpectu humanæ conditionis, & hominum qui regunt in hoc imbecillitatis humanæ ſtatu. Et ita etiam reſtringenda ſunt argumenta Megabyzi, qui apud Herodotum magnificè diſputat, quod nulla ſit præſtantior Reip. forma, quam Ariſtocratica.

3 *In hoc ſtatu virtus imperantium maximè ſpectanda eſt, quæ niſi conſtãter ſeruetur, ſtatim labaſcit Reip forma, & in Oligarchiam aut Monarchiam mutatur.*

Vide Ariſt. Pol. c. 7.

4 *Pluribus ſocius ſiue collegis ex æquo ius imperandi indiuiſim competit in eoſdem ſubditos.*

5 *Curæ Ariſtocraticæ reducuntur ad curas monarchicas; ita ut tot ac tam varia curanda ſint pluribus in hoc ſtatu, quot & quam varia curabat vnus in ſtatu Monarchico.*

6 *Ius conuocandi collegas ad conſultandum de Repub. atq; adeo poteſtas proponendi ſuffragia, colligendi reliquorum collegarum conſenſu in vnum transferri debet, vel perpetuo, vel, quod conſultius eſt, anniuerſariè.*

7 *Optimates inter ſe conſilia ſua ſecreta habeant, nec quicquam de iis ad populum emanare ſinant, aut vllam rimam aperiant, qua poſſit in illorum poteſtatem illabi.*

Et ſic

Et ſic de officio Magiſtratus Ariſtocratici, officium ſubditorum Ariſtocraticorum habet hos Canones:

1 *Subditi in ſtatu Ariſtocratico id præſtent omnib. & ſingulis optimatibus, quod in ſtatu Monarchico vni præſtatur.*

2 *Ament ſubditi ſuos optimates, & conſiderent, quod maiori libertate ſub hoc ſtatu frui poſſint quã ſub ſtatu Monarchico; itaq; Deo & Reipubl. grati ſint pro tali beneficio, & ſtatui huic ſe accõmodent.*

Sequitur Ariſtocratiæ diſtinctio: Nam primò Ariſtocratia vel perfectior eſt, vel minus perfecta.

Et perfectior iterum eſt vel ratione eligentium, vel ratione electorum, vel ratione poteſtatis, vel deniq; ratione temporis.

Perfectior Ariſtocratia ratione eligentium eſt, quando optimates eliguntur vel ſorte (quod tamen rarum & extraordinarium eſſe debet, & tum præcipuè fieri, cum primò conditur imperium Ariſtocraticum) vel ab optimatibus aliis eliguntur.

De hac Electione Canon eſt:

Quia optimates regni ſiue ſtatus publici naturam ſoli optimè norunt; ideo electio aliorum optimatum ab his fieri debet: Et erit optima eligendi ratio, ſi præſtantiſſimus virtute ius habeat ſui ſimilem eligendi: & hic electus tertium eligat, tertius quartum, & ſic deinceps, donec numerus gubernantium impleatur.

Vide Toloſ. lib. 4. c. 5.

Perfectior Ariſtocratia ratione electorum eſt, cum in perſonis eligendis præcipuè ſpectatur virtus, non verò externa alia; aut quando & virtus ſpectatur, & cum virtute coniuncta cum aliis bonis externis, nempe opibus, potentiâ, ſplendore familiæ.

Perfectior Ariſtocratia ratione poteſtatis eſt, cum optimates nullius poteſtatem præterquam ſolius Dei agnoſcunt.

Vt optimates in Rep. Veneta; quamuis ibi ſtatus ſit non ita purè Ariſtocraticus.

Perfectior Ariſtocratia ratione temporis eſt, cum optimates indeſinenter imperant quamdiu viuunt.

Imperfectior Ariſtoc. etiam eſt vel ratione eligentium, vel ratione electorum, vel ratione poteſtatis, vel deniq; ratione temporis.

Ratione eligentium imperfecta Ariſtocratia eſt, cum poteſtas eligendi optimates eſt penes populum; de qua ſunt hi Canones:

1 *Populo electionem optimatum concedere periculoſum eſt; vtpote qui ſibi poteſtatem in electos optimates ſit vendicaturus, atque ita Democratiam obtruſurus, & qui de bonis & prudentibus, id eſt, de veris optimatibus iudicare non ita poſſit.*

Canon eſt Bod. lib. 2. c. 6.

2 *In hoc ſtatu ſuffragia populi centuriatim, curiatim & tributim fuerint colligenda ab ipſis optimatibus.*

Ra-

Ratione Electorum imperfectior Ariſtocratia eſt, quando valdè ſpectatur vel cenſus & diuitiæ; vel ſplendor generis, vel ætas ſenilis, ita vt non tanta habeatur ratio virtutis, quanta horum accidentium.

Imperfectior Ariſtocratia ratione poteſtatis eſt, cum optimates agnoſcunt, alium dominum ſuperiorem in his terris.

Vt Norimbergenſes optimates agnoſcunt Imperatorem Romanum, quamuis nec Norimbergæ ſit penitus pura Ariſtocratia.

Imperfectior Ariſtocratia ratione temporis eſt, in qua vel ſingulis annis, vel bienniis noui optimates eliguntur.

Eſt & Ariſtocratia alia maior, alia minor.

Maior Ariſtocratia eſt, cum tota aliqua prouincia & regnum regitur ab optimatibus.

Talis Ariſtocratia fuiſſe videtur populi Iſraëlitici Politia ſub ſenioribus & tribuum ac familiarum ſingularum Principibus, quando nullus adhuc erat Rex. Vide Ioſ. 22. Iud. 1. Eſdræ 9. Nehem. 5. Hoc ſtatu etiam gubernata fuit Polonia ſub 12. Palatinis circa annũ à nato Chriſto 700. de qua Ariſtocratia ſic Herbortus libro 1. Hiſtor. Polon. cap. 3. *Cum ſtirps Lechi defeciſſet, ab vnius imperio ad paucorum dominatum traducta fuit Reſpub. Nam 12. Palatini diuiſa in totidem regiones Polonia in Principes eligebantur, quo quiſque ſuæ regioni præeſſet*: Et cap. 7. *Poſt Vendæ obitum,*

cum nemo regiæ ſtirpis ſupereſſet, cõmutata eſt rurſus Reipub. forma, a duodecimque iterum Palatinis Polonia cuncta aliquandiu adminiſtrata. Ex quibus allegatis verbis non ſatis liquidò patet, vtrum iſti 12. Palatini tanquam collegæ optimates coniunctim Poloniam rexerint, an v. diuiſim quilibet ſtatu Monarchico rexerit certam partem. An apud Romanos hic ſtatus purè fuerit, & an hodie alicubi ſit, vide Bodinum libro 2. capite 6.

Minor Ariſtocratia eſt, quando vrbs aliqua aut pagi aliquot optimatum imperio reguntur.

Reſtant oppoſita Ariſtocratiæ, quæ ſunt vel ex parte optimatum, vel ex parte ſubditorum.

De oppoſito ſiue mutatione & conuerſione Ariſtocratiæ ex parte optimatum, ſunt hi Canones:

1 *Quando diſcordiæ oriuntur inter optimates, ſtatim nutat & labaſcit Ariſtocraticus ſtatus.*

2 *Quando regnum diuiditur inter plures magiſtratus pari poteſtate inſtructos, iſta diuiſio diuturnitati ſtatus publici inimica eſt.*

Althuſ. c. 32. huc accommodat illud Chriſti, Matth. 12. & Luc. 11. *Regnum in ſe diuiſum, deſolabitur*: & interim addit, tamen iura maieſtatis etiam in iſta diuiſione plurib. communia ſunt, eorumq; adminiſtratio communis conſenſu communi peragenda.

3 *Degenerat Ariſtocratia in Oligarchiã, tanquam proprium huic ſtatui morbum, ſiue mortem:*

quam-

quando nempe pauci ex plurium optimatum numero cæteris conſortibus & collegis excluſis, inuadunt imperium, & pro ſua cupiditate leges inflectunt, & ad reliquam multitudinem opprimendam conſpirant.

Vt Romæ factum fuit, quando Triumuiratũ conſtituerunt Cæſar, Pompeius, & Craſſus.

4 *Talibus reliqui optimates reſiſtere debent; ſin a. illi non ſufficiant; populus debet iis ſuccurrere delectis è ſuo numero præſtantioribus & ſenioribus, qui tum officium optimatum vicariè gerunt, & conuentu habito, in ſuos optimates debent ea peragere, quæ optimates poſſunt peragere in Monarchia contra Monarcham tyrannum.*

Vide Toloſanum libr. 4. cap. 5. Et Althuſ. c. 32. Politicæ.

Status Ariſtocraticus turbatus reſpectu ſubditorum eſt, quando populus pertæſus Ariſtocratiæ, Democraticum ſtatum vult conſtituere; de quo notentur hi Canones:

1 *Democratici metuunt plerumq; & oderunt Ariſtocraticos, & populus indole ſuâ adhuc propendet ad id, vt Ariſtocratia in Democratiã mutetur; quia nempe putat ſe tanquam numero partem maximam, eſſe debere etiam maximam poteſtate, ſiue maximam habere poteſtatem, iuxta illud;*

Herr omnes meinet er ſey Herr/
Weil der ſelben ſeyn deſto mehr.

2 *Optimates caueant ne populus nanciſcatur inſtigatores contra ſtatum optimatum, atque adeo vindicet & vlciſcatur eos, qui contume-*

lis & inſimulationibus ciues & ſubditos concitant contra ſtatum optimatum.

CAPVT III
De Democratia ſiue ſtatu populari.

DEmocratia eſt ſtatus Reip. quando populi ſiue ciuium vel vniuerſorum, vel magnæ partis nomine, quidam alternatim cæteris omnib. ſingulis & vniuerſis imperant, & ſecundum populi ſuffragia iura maieſtatis, & ſummam poteſtatem vſurpant.

Δημοκρατία dicitur, ἀπὸ τοῦ δήμου, populo, & κρατεῖν, *imperare*, q.d. *populare imperium*. Tractat a. de ea Ariſt. 4. Pol. c. 4. & ſeqq. & 6. Pol. c. 2. & ſeqq. Bodin. lib. 2. c. 7. & lib. 6. c. 4.

Circa Democratiam de trib. etiam tractabitur; 1, eius proprietates aliquot Canonib. exponemus, poſt Diuiſiones, ſiue diſtinctiones indicabimus, & deniq. oppoſita addemus.

Canones quib. continentur proprietates Democratiæ, ſunt hi:

1 *Si naturā regiminis abſolutè & in ſe ſpectes, vtique imperfectiſſimus Reip. ſtatus eſt Democratia; vtpote, quæ à perfectiſſimo regimine, nempe à Monarchia longiſſimè recedit, atque ita ab vnitate ad multitudinem quam maximè vergit: ſi vero ſpectes ſingulares circumſtantias nonnullorum locorum, temporum & perſonarum, poteſt eſſe* αἱρετὸς, *ſiue eligibilis, etiam hic ſtatus, ſicut in rebus humanis plu-*

rima

rima ſunt eligibilia propter circumſtantias, quæ tamen ſuâ naturâ non ſunt præſtantia.

Hic Canon determinat quæſtionem politicā, *Vtrum Democratia ſit numeranda inter ſtatus Reipub. cum ita ſit imperfecta, & tam varius mutationibus obnoxia*, vt ſuo loco exponetur: Et deniq; *cum abſurdum ſit, vniuerſos ſimul & parêre & imperare; cum alius debeat imperare, alius obœdire.* Reſpondet a. Canon priori obiectioni, nempe ſi natûram regiminis abſolutam ſpectes, vtiq; eſſe imperfectiſſimum hunc ſtatum: ſin v. perpendas id, quod propter certas circumſtantias ſit eligibile, etiam ſuum huic ſtatui locum eſſe poſſe. Ad poſteriorem v. obiectionem reſpondemus, abſurdum eſſe omnes ſimul & imperare & parêre, ſi vno eodemq; reſpectu imperent quo parent, Iā v. in Democratia vniuerſus populus diuerſo reſpectu imperat, nempe per ſuos deputatos, & diuerſo reſpectu paret, nempe quatenus ſe iſtis deputatis vltro ſubiicit.

2 *Populus vniuerſus huius ſtatus repræſentat naturam Monarchiæ, ſiue regni, ſiue ſummi magiſtratus, cuius arbitrio iura maieſtatis adminiſtrantur à deputatis illis, qui populum repræſentant, & omnia conſenſu & iuſſu populi agunt: Vices v. optimatum & ephororum in hoc ſtatu tenent præfecti collegiorum, tribuum, centuriarum, aut claſſium à populo delecti.*

3 *Popularis ſtatus ſumma hæc eſt, vt omnes omnib. æquentur, nec aliter parêre velint, quam vt viciſſim imperent iis, quib. paruerunt. Itaq; natura Democratiæ poſtulat, vt honorum æquabilitas ſit & libertas, & ἰσονομία, ſiue iuris æqualitas.*

Vide de hac æqualitate in ſtatu Democratico Toloſ.lib.14.c.5.&lib.5.c.2.Bod.lib.6.c.4.Iunium parte 1.quæſt.Pol.quæſt.4.

4 *Populare igitur eſt, omnes ſecundum numerum cenſeri & haberi, non ſecundum qualitatẽ vel generis, vel virtutis, vel diuitiarum; atq; ita eos qui deputantur à populo ita imperare, vt debeant iterum parere, & cæteris per omnia exæquari: contra v. eos, qui parent, ita parêre, vt poſſint iterum imperare.*

Vide Ariſt.6.Pol.c.2.

5 *Hinc nempe populari ſtatui ſemper inimica & velut exitioſa fuit ciuium præſtantium opulentorũ & potentium autoritas, vt mirum fuerit Athenienſes & Lacedæmonios legiſlatores ferre potuiſſe, quorum fuit præ aliis maior exiſtimatio: ſed diſtincta fuit olim Legiſlatorum autoritas ab autoritate magiſtratus.*

6 *Vult populus in ſtatu Democratico timeri, & inſtar Monarchæ haberi, eamq; ſummam iudicat eſſe leuitatem, vt ſumma deliberationum non ſit penes alium, quam penes ſeipſum.*

Vide Ariſt.4. Pol.c.4.& 6.Pol.c.2. Bodin.libr. 6.c.4.& Iunium proximè citato loco. Atq; vt talis exæquatio fieret, nec tam qualitate quam numero haberētur omnes, ideo Athenienſes Oſtraciſmum, Lacedæmonii Petaliſmum excogitarunt, quo viros præſtantes, opulentos & diuites, qui videbantur ſtatui populari præiudicaturi, ad tempus exulare iuſſerunt.

7 *Populare eſt, ſuperioribus comitiis Reipub ac conſiliis publicis omnes ciues intereſſe, & iudicare & ſua vota dare poſſe; adeoq; populare eſt vnumquemq; omnib præeſſe, & omnes vnicuiq;.*

Vide Danæum lib.6.Polit.c.5.

8 *In Democratia hæ leges, & hæc ſtatuta vtilia ac neceßaria ſunt, quibus nempe cauetur, ne pœna publicationis & confiſcationis bonorum obtineat; ne nempe exhauriantur & atterantur vires popularium.*

9 *Vtile ac neceſſarium etiam eſt hoc inſtitutum, vt publicæ popularium accuſationes ſint rariſſimæ & magna pœna ſanciatur in eos, quia magni criminis falsò alios accuſant.*

Nam ſi multi publicis accuſationibus condemnentur, ſi grauia ſcelera & crimina multis impingnantur, decreſcet popularium & autoritas numerus, ac facilè præualebunt Ariſtocratici.

10 *Sed & hoc inter arcana Democratiæ inſtituta numerandum eſt, quod conuentus, conuerſationes, & collegia ciuium debeant eſſe crebra; vt nempe hac ratione concordia atq; amicitia inter eos foueatur, & ſarta tectaq; ſeruetur; vbi tamen caueri debet, ne eiuſmodi conuerſationibus & amicis ſalutationibus ac viſitationibus facultates ſuas exhauriãt; vtpote quibus opus eſt ad ſtatum & autoritatem tuendam, eo præſertim tempore, cum in ſenatum, ſiue magiſtratum eliguntur.*

De duobus priorib. ſtatutis Democraticis videri poteſt Toloſ. lib.5 c.2. De tertio vero, nempe de crebris conuentib. ciuium in populari ſtatu, legatur Bod.lib.3.c.7. Exemplum v. eiuſmodi conuentuum in ſtatu populari licet obſeruare in gente Heluetica, apud quam obtinet etiam magna ex parte ſtatus Democraticus.

11 *Curæ gubernationis in ſtatu Democratico eæ ſunt, quæ in ſtatu Monarchico: itaq; omnia*

iſta, quæ de curis Principis explicata ſunt, certâ proportione etiam ad hunc ſtatũ debent accommodari.

12 *Populare eſt, in magiſtratuum electione non reſpicere cenſum, ſiue diuitias, & alias eiuſmodi prærogatiuas.*

13 *Populare eſt, ſummi magiſtratus omnes ex quouis ciuium ordine eſſe capaces.*

Vide Toloſ.lib.4.c.5.& lib.5.c.2.

14 *Populare eſt, vt magiſtratus ab aliquo tantum ſemel geratur, & tempore quidem non longo: nam perpetui magiſtratus repugnant Democratiæ; excepto tamẽ tempore Reip.turbatæ, quo bellum geritur: Nam tali tempore Dictatore opus eſſe, vt in omni ſtatu Polyarchico, ita inprimis in Democratico Politici omnes docent: qui iidem etiam ſuadent, ne in ſtatu Democratico arces vllæ vel in vrbe Democraticà, vel in prouincia extruantur, exceptis tamen prouinciæ limitibus, vt ſupra etiam docuimus.*

Vide de eo, quod Magiſtratus Democraticos oporteat eſſe tẽporarios, non perpetuos, Danæũ lib.6.Pol.c.5. Nam etſi in genere certum ſit, perpetuos magiſtratus præferendos eſſe tẽporariis; vtpote quorũ adminiſtratio variis mutationib.ſit obnoxia, vt multis rationib.docet Bod.lib.4.c.4. Et Iunius parte 1.quæſt.Pol.quæſt.26.tamen pro ratione circũſtantiæ, & pro natura ac proprietate Democratiæ cõſultũ eſt, vt magiſtratus ſint tẽporarii. Sic.n.euitabitur inuidia; quæ certè oriretur, ſi à magiſtratu alii excluderẽtur. Præterea illi ẽt qui magiſtratũ gerunt, dulcedine quadam dominãdi illecti, ſeſe cõfirmarẽt, & de mutãdo Reipub.ſtatu noua conſilia caperent. Vide eximium diſcur-

diſcurſum de magiſtratibus perpetuis non ferendis in Democratico ſtatu apud Toloſan.lib.5. cap.5. De eo vero quod diximus dictatorem in ſtatu Democratico eſſe tempore belli eligendũ, vide Alex.ab Alex.lib.1.Genial. dierum cap.6. & Zwingerum in theatro vitæ humanæ, volumine 28.lib.2.De arcibus deniq; non extruendis in Democrat.ſtatu, vide Toloſan.lib.2.c.3.

15 *Vtile eſt duplicem eligendorum magiſtratuum rationem obſeruare in Democratia; vnam per ſortem, alteram vero per electionem, ſiue ſuffragia: Nam illa eſt popularis, qua libertas conſeruatur; per hanc vero eliguntur meliores & idonei ad imperandum.*

Vide Toloſ.lib.5.c.2.de electione magiſtratuum, partim per ſortem, partim per ſuffragia inſtituenda.

16 *In electione autem iſta ſors & ſuffragia apte miſceri poßunt; ita nempe, vt ex omni numero ciuium per ſortem depingantur pauciſſimi aliquot competitores; ſiue illi qui nominentur a magiſtratu. poſtea vero ex illis paucis in quos ſors cecidit, per ſuffragia eligantur certi.*

17 *Sed & hoc vtiliſſimum eſt & prudens inſtitutum, vt illi qui debeant nominare magiſtratũ per ſortes, deligantur ex omni numero ciuium, & delecti nominent certos ciues, proq; iis fidem ſuã interponãt Reip. Poſtea vero per calculos ſinguli ſua ſuffragia ordine dent, & ex nominatis certos eligant per iſtos calculos, non per ſuffragia oretenus pronunciata.*

Magna eſt difficultas in ſtatu Polyarchico, & inprimis Democratico circa electionem magiſtratus. Sed placet præ omnibus iſte modus quem

obſeruat Reſpu. Veneta, & quem latè ac pulchrè deſcribit Caſpar Contarenus in libro de Repub. Veneta, pag.16.& ſeqq.Bodinus quidem in methodo Hiſtor. c.6. ſtatuit Venetam Rempub.eſſe democraticam;ſed de eo hîc non diſputo;illud tantum moneo,rationem creandorum magiſtratuum quam Veneti tenent, Democratico ſtatui videri accomodatiſſimam.

18 *Electio magiſtratuum debet fieri centuriatim, curiatim, vel etiam aliquando tributim: in quibus rebus tamen omnibus & toto actu electionis mos patribus cuiuſque loci, & lex cuiuſq; vrbis vel regionis inſpiciendus eſt.*

Vide Bod.lib.2.c.7.Toloſ.lib.4.c.5.

Et ſic de proprietatibus Democratiæ, atq; adeo de electione magiſtratus in ea: ſequitur Democratiæ diuiſio, ſiue diſtinctio.

Eſt.n. Democratia vel laxior, vel reſtrictior.

Laxior Democratia eſt, in qua omnes ſimpliciter & promiſcuè oportet ad magiſtratum euehere.

Reſtrictior Democratia eſt, in qua quidem ex omni ordine popularium ſiue ciuium magiſtratus eliguntur, ſed tamen interim in iſto ordine ratio aliqua habetur perſonarum magis idonearum ad regimen, ita vt hæ reliquis aſſentientib. præferantur, & ad magiſtratũ aſſumãtur,

Sic in Belgio quidem ex omni ordine eliguntur ſtatus;ſed ita tamen, vt habeatur ratio magis idoneorum reliquis non abnuentibus.Et hoc eſt q Bod.dicit *Democratiã eſſe, vbi vel omnes, vel maxima pars ad magiſtratum ſuo tempore aſſumitur.*

Eſt & Democratia alia maior, alia minor.

Maior Democratia eſt, cum tota aliqua prouincia Democraticè regitur.

Sic plerique exiſtimant ſtatum Democraticũ fuiſſe in Politia Iudaica, quando ex conuentu & ſuffragio totius populi de ſumma rerum ſtatuebatur, vt ex c.20.&21.Iudicum,& ex 1.Samuel.10. & 12. aliisque locis colligitur;& id annotat etiam Althuſius c.32.Polit. Hodiè Democraticè etiam regitur prouincia Heluetiorum, vt paulò antè diximus.

Minor Democratia eſt, quando vrbs aliqua Democraticè regitur.

Vt olim Democratia erat Athenis.

Reſtant oppoſita Democratiæ; quæ vel in genere conſiderantur, vel in ſpecie.

De oppoſitis Democratiæ in genere, ſunt hi Canones:

1 *Status Democraticus maximè omnium obnoxius eſt mutationibus.*

Propter cauſas ab initio quoq; indigitatas, quia nempe ab vnitate maximè recedit ad multitudinem, atque adeo à concordia ad diſcordiam. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles 8.Eth.c.10.ait, Rerumpublic.tres ſunt formæ, nempe *regia, optimatum* & *democratia*: Harum autem omnium eſt optima Regia, deterrima democratia. Et.lib.5.Politic. cap.1.inquit, popularis ſtatus obnoxius eſt mutationib. quia ex eo natus eſt, quod ii, qui in aliqua re pares erant, omnino ſe pares & æquales putarent. Richterus ad axioma 61. Politicum allegat

memorabilia verba Caſparis Peuceri, qui ita inquit: *Verum eſt quod ſenſerunt Philoſophi omnes, nullum ſtatum eſſe deteriorem Democratiâ* Et Plato rectè dixit, *Mera Democratia non eſt Politia, ſed eſt velut forum venale omnium Politiarum.* Quia in Democratico ſtatu pauci incitāt animos reliquorum captatione auræ popularis. Et eſt veriſſimum quod Plutarchus dicit, *Democratia eſt inſaniæ quidam morbus, non lenior ipſâ tyrannide.* Et Ariſtoteles de Democratia dicit: *Mera Democratia eſt extrema Tyrannis.* Vide etiam latius de hac re Caſum ad caput 5. lib. 5. Polit. Ariſtotelis, vbi cauſas recenſet, ob quas facilè mutetur Democratia; quas quidem cauſas ſeptem ēt memorabilibus exemplis declarat Richterus ad axioma 63. ex Toloſ. lib. 22. c. 2.

2 *Populare imperium principio gratioſum ac præclarum videtur; contra, Monarchicum imperium durum: ſed euentus triſtior eſt ſæpe in Democratia, quam Monarchia.*

Vide Richterum dicto axiom. 63. vtentem verbis Bod. lib. 6. de Repub. c. 4.

3 *Si popularium imperiorum veterem memoriā repetamus, inueniemus populares aut cū ciuibus internum, aut cum hoſtibus externum bellum perpetuo geſſiſſe: Et quandiu floruerunt Democratiæ, non populari, ſed ſapientiſſimi cuiuſdam ciuis imperio, nutu, conſiliis q. regiâ quâdam poteſtate gubernatas & moderatas fuiſſe.*

Vide Richter. axiom. 62. vtentem verbis Bod. lib. 6. de Rep. c. 4.

4 *Cum aliæ Rerumpubl. formæ lentius mutentur, Democratia in momento mutari ſolet, veluti cū*

agger

agger aliquis rumpitur à violento flumine: nam cũ electio magiſtratuum ſit penes populum populus autem nihil habeat moderatum, facile fieri poteſt vt voluntate in momẽto mutata, nullos velit magiſtratus eligere, & tum ſtatim neceſſe eſt in momento deſinere formam Reipub.

Oppoſitum Democratiæ in ſpecie conſideratur vel ex parte magiſtratus, vel ex parte ſubditorum.

De mutatione & turbatione democratiæ ex parte magiſtratus, ſunt hi Canones:

1 *Quando magiſtratus affectat vel Ariſtocratiam vel Monarchiam, tum neceſſe eſt laborare Democraticam formam; quia hac ratione imminuitur populi robur per fraudes occultas.*

2 *Quando diuites aliquod in populo rapiunt ad ſe imperium excluſis pauperioribus, tũc Democratia fit Timocratia.*

Ariſtoteles diuerſimodè admodum loquitur de Τιμοκρατίᾳ· nam interdum facit eam vitioſam Reipub. formam, vt lib.8.Ethic.c.10. & alibi, vbi Timocratia Ariſtoteli eſt vitium quoddã Democratiæ, quando honoratiores (nam ab honore Timocratia dicitur) & opulentiores excluſis plebeis & pauperiorib. trahunt ad ſe regimen. Quomodo etiam cap.39. Rhetoricorum ad Alex. monet ſæpè à ditioribus plebem affici contumeliâ, & tum eſſe vitioſum ſtatum Reipublic. interdum vero Timocratiam ſumit pro ſtrictiori Democratiâ, in qua reliquis conſentientibus, ſi reliquo populo conſentiente magiſtratus geritur ab iis,

qui magiſtratu ob honorem & virtutem maximè digni ſunt: nos hoc loco Timocratiæ vocabulum accipimus priori ſignificatione.

3 *Non eſt licentia concedenda magiſtratib. Democraticis, ſed maturè occurrendum & reſiſtendum ei, quando exorbitat.*

Vide Toloſ. lib. 22. c. 2.

4 *Democraticus magiſtratus operam dare debet non tam vt placeat multitudini, quam vt conſulat utilitati communi. Sunt enim plures, qui cum id efficere ſtudent, vt populo placeant, Rempublic. vel ad interitum, vel ad confuſionem deducunt.*

Canon Toloſ. lib. 5. c. 2.

5 *In Democratiis mutandis & euertendis plurimum poteſt adulatorum petulantia, qui diuites calumniis onerant, & excitant popellum contra potentes & nobiles, quales adulatores populi coercere debet magiſtratus.*

Vide Iunium parte 1. quæſtion. Politic. quæſtion. 5. vbi exemplis Canonem illuſtrat: Et Ariſtoteles citato libro 5. Politic. cap. 5. Et ex eo Richterus citato axiom. 63. inter ſeptem cauſas, quibus Democratia mutatur, primam ponit peruerſitatem & inuidiam adulatorum, qui ſeſe duces populo præbent, non coercente eos magiſtratu.

Quales quidem olim Athenis *Demagogi* vocabantur, quorum vices & perſonas hodie gerunt in Rebuſpublic. nonnulli importuni concionatores.

Ex

Ex parte populi ſiue ſubditorum, opponitur Democratiæ, Ὀχλοκρατία, & Αναρχία, de quibus ſunt hi Canones:

1 *Vniuerſo populo iuſtè gubernanti opponitur* ὀχλοκρατία, *id eſt, confuſio, quâ non amplius populus vult deputare certos, qui magiſtratū gerant, ſed omnes ſimul volunt regere, nemine parente.* Wann Herr omnes regieren will.

2 *Ochlocratia ſtatim importat Anarchiam; itaque non tam vitioſa eſt Reſpublic. quam nulla.*

Sunt verba Ciceronis; *Cum*, inquit, *populus omnis imperat, maxima eſt tyrannis. & tunc non tam vitioſa eſt Reſpub: quam nulla.* Nec populus iſte abſque iuſtitia imperans, iam populus eſt, ſed ſæuiſſima potius belua, immo quauis immani fera crudelior, vti Xenoph. in libro de Repub. Athenienſi, & Plato in libro de Repub. conqueruntur. Et res ipſa in populo Romano per ſeditioſos Tribunos plebis agitato, monſtrauit ſæpiſſimè, inquit Danæus ſub finem, lib. 1. Polit.

CAPVT IV.

De mixta Republica in genere; & in ſpecie, de temperamento Monarchiæ cum Ariſtocratia.

Conſiderauimus hucusq; formas Reip. ſimplices; ſequitur vt de mixtis etiam tractemus. Eſt ergo ſtatus mixtus, in quo plures ſimplices ſtatus coniunguntur & temperantur.

Bodinus peculiarẽ quandam habet ſententiam de formis Reipubl. quamuis ſibi ipſi mea ſententia non videatur conſtare. Nam lib.2.de Repu.cap.1. dicit: Ad tres determinatas formas Reipub. nempe ad Monarchiam, Ariſtocratiam & Democratiam, reliquæ omnes formæ partim ab Ariſtotele, partim à Platone, & aliis propoſitæ, reuocari poſſunt. Et addit, ſe ex duabus vel pluribus mixtam Rempublic. nullam admittere. Quam eius ſententiam etiam honorificè citat Richterus ad axio. 57. interim tamen non negat Bodinus, poſſe vnam formam alterius gubernandi ratione temperatam eſſe, velut Monarchia Ariſtocraticâ gubernandi ratione, vel etiam Democraticâ. At vero hoc ipſum eſt quod volumus, nempe poſſe inter ſe temperari ſimplices iſtas Rerumpub.formas.

Canones generales de mixtis Reipub. formis ſunt hi:

1 *Natura rarò res accuratè miſcet. nil ergo mirum, ſi induſtria humana formas Rerump. ita exactè miſcere non poſſit, vt aliquis in ea mixtura ſit vel exceſſus vel defectus. difficillimum enim eſt, res diuerſas ita inter ſe copulari, vt exactũ temperamẽtum & harmonia ſeruetur.*

2 *Sicut in natura rerũ mixtũ ſequitur naturam ſimplicis, ita quoq; in imperiis & formis Reip. mixtis accidit, vt nempe ſequantur naturam ſimplicium formarum.*

1 *In mixta Reipublic. forma curæ etiam magiſtratuum mixtæ ſunt, & ad curas ſimplices reducuntur.*

4 *Mixtis*

4 *Mixtis formis tot praua formæ oppoſitæ ſunt, ex quot bonis formis miſcentur.*

Porrò mixta Reip. forma eſt vel principalis, vel minus principalis.

Principalis forma mixta eſt vel Monarchia cum Ariſtocratia, vel Ariſtocratia cum Democratia, vel deniq; temperies ex his omnibus tribus, nempe Monarchia cum Ariſtocratia & Democratia.

Temperies Monarchiæ cum Ariſtocratia, eſt vel propriè, vel impropriè dicta.

Propriè dicta temperies Monarchiæ cum Ariſtocratia eſt, vbi principes & optimates ſic regunt, vt tamen Rex ſiue Princeps regiam poteſtatem etiam habeat, & non tantum nomine, aut titulo ſit Rex.

Dicitur hæc in Canone propter Rempub. Venetã, in qua titulotenus tantum Rex, ſiue princeps eſt, non autem poteſtate & iure.

In hac temperie duæ partes temperiem iſtam ingredientes, conſiderandæ ſunt, nempe Monarcha, ſiue rex, & princeps, deinde optimates; nam horum duorum imperium inter ſe temperatum, humano generi accommodatum eſt admodum, & mutationibus minimè obnoxium.

Plerorumque Politicorum conſenſu conſtitutus eſt Canon, quod ſtatus Monarchicus mixtus cum Ariſtocratico accommodatiſſimus ſit humano generi, & minimè obnoxius mutationibus: ſicuti fusè probat Richterus axim. 57. Vnde factum eſt, quod nonnulli Politici, inter quos eſt Althuſius, omnia præcepta principalia Politica

Nn

ad hunc ſtatum accommodauerint, tanquam ad normam & regulam omnium ſtatuum. Sicuti quidem ad hũc ſtatum pene ſolum totam Politicam ſuam, alioquin laude digniſſimam, Althuſius accommodauit, ſic vt de reliquis Reipub. formis & inprimis de Monarchia abſoluta breuiſſime tantum attingat: vnde ſanè confuſio magna in Politicis præceptis oriatur neceſſe eſt; quandoquidẽ & ipſa natura & lex methodi poſtulat, vt ſimplicia præmittantur compoſitis, & mixtis, atq; adeo, vt ſimplex ſit norma ſiue idea mixti ſiue compoſiti. Nam ſi quis dicat; *Quod in quoq; genere eſt optimũ, id eſt menſura reliquorum, & ab eo debet fieri tractationis initium*; reſpondemus dupliciter: primò, quod in quoque genere, nempe ſimplicium, eſt optimum, non compoſitorum, non mixtorũ, ab eo debet fieri tractationis initium. 2, quod in quoq; genere eſt optimũ, nẽpe ſuâ naturâ, & abſolutè ac per ſe, non vero reſpectu certarum circumſtantiarum, ſiue reſpectu quodam externo & accidentali; ſicuti quidem temperies Monarchiæ & Ariſtocratiæ eſt optima, primo inter mixtas, ſecundo eſt optima, non ex natura regiminis abſolutè, ſed externo quodam reſpectu circumſtantiarum in humano genere.

Vt ergo de officio Monarchæ in hoc ſtatu primo agamus, notari debent de eo hi Canones:

1 *Monarcha in hoc ſtatu mixto cogitet ſe non eſſe Monarcham abſolutè, & ſimpliciter; itaque in principalibus regni negotiis nihil agat ſine ſcitu & conſenſu optimatum.*

Vide

Vide hunc Canonem probatum ex Reipu. Iudaicæ forma apud Cornelium Bertramum in libro de Politia Iudaica, c. 11. apud Brutum in vindiciis contra Tyrannos, quæſt.3. Hotomannum libro de antiquo iure regni Galliæ, c.12. & Althuſ. c.14. Polit.

2 *Alioquin monarcha in hoc ſtatu reſpiciat monarcham ſimplicem, tanquam ideam, & curas ſuas diuidat ſecundum curas illius.*

Altera pars huius ſtatus ſunt optimates, qui variè appellātur: Interdum patritii, *interdum* ſeniores, *interdum* principes, *interdum* ordines regni; *interdum* ſtatus: *item* vindices, cuſtodes, defenſores *&* conſiliarii regni: *vſitatiſſime autem dicuntur* Ephori.

De variis appellationibus optimatum in ſtatu regni mixto ex Monarchia & Ariſtocratia, vide Alex. ab Alex. libr.6. cap.24. Nos retinebimus cum Althuſio & aliis Politicis imitantibus Lacedæmoniorum politiam, nomen Ephororum.

De Ephoris ergo tria nobis videnda ſunt, primò quidem de eorum conſtitutione, poteſtate & electione: ſecundò, de ipſorum numero, & deniq; de officio,

De conſtitutione, poteſtate, iure & electione Ephororum, ſunt hi Canones:

1 *Quandoquidem Deus ſoli populo Iudaico immediatè dedit magiſtratum, cæteris v gentibus ab ipſo iure naturæ liberam poteſtatem fecit ſibi eligēdi magiſtratus & principes; ideo qualibet gens ſiue*

populus in humano genere poteſtatem regiminis poteſt & debet transferre in vnum, vel plures, prout ratio circumſtantiarum vel fert, vel exigit.

2 *In eum ergò, vel eos, quos populus ſibi magiſtratus eligit, transfert etiam ius ſuum, & totam poteſtatem adminiſtrationis ac regiminis.*

3 *Cum ergò in ſtatu hoc Reipub. de quo agimus, præter Regem populus ſibi elegerit Ephoros, adeo populus ſe iis credit, ſuumq; ius, poteſtatem & actiones in eos omnes transfert; ita vt quod hi faciunt, omnes ciues facere videantur, & eorum ſuffragia eo loco cenſenda ſint, quo omnium ciuium conſenſus.*

Vide Dan. lib. 1. Pol c. 4. Toloſ. lib. 4. c 5. Et lib. 6. c. 1. & Althuſium cap. 14. penitus in hac materia ſequentem ſententiam Couarruuiæ lib. 1. quæſt. pract. c. .

1 *In conſtitutione optimatum ſinguli ciues & regnicolæ ſunt inſtar pupillorum, ipſi verò Ephori ſunt inſtar tutorum: nam ſicuti pupillus, licèt ſit rerum ſuarum dominus; tamen quia eas tutori adminiſtrādas dedit, non poteſt de iis diſpenſare aut obligare ſeſe abſq; cōſenſu & autoritate tutoris: ita quoq; ciues, ſiue reliqui ſubditi, quia Ephoros vel tacito, vel aperto conſenſu tutores ſuos conſtituerunt, ideò nihil ſine horum autoritate agere poſſunt: Et Ephori merito ſibi id ius vſurpant in populo, quod tutores ſibi vſurpant in perſona & rebus pupilli.*

Vide autores modo citatos.

5 *Ephori repræſentant corpus totius regni; atque idcirco etiam poteſtate totius regni vtuntur, idq; nō tantum populo conſentiente, ſed etiam ipſo rege, qui in hac mixta Reipubl. forma conſenſit, eique pactis certis*

certis ſeſe obſtrinxi; quæ quidem pacta inter Monarcham & Ephorum fundamentum ſunt, ſiue cauſa efficiens proxima totius huius ſtatus.

6 *Ephori iuramentum præſtare debent primo quidem corpori totius regni, quatenus nempe ſunt pars magiſtratus, qui ſimul cum rege regnant, deinde etiam ipſi regi, qui tamen prius iuramento ſeſe etiam cum toti regno, tum etiam optimatibus totum regnum repræſentantibus, debet obſtringere.*

Iuramenta Ephororum ſolennia apud Laced. fuiſſe ſcribit Xenophon in Republ. Lacedæmon. teſtaturque Reges & Ephoros ſingulis menſibus mutuo iurare conſueuiſſe; Ephoros pro ciuitate, Reges pro ſeipſis. Regum iuſiurandum fuiſſe, ſe ex legum ſcriptarum præſcripto regnaturos; Ephororum autem & ciuitatis, ſe firmum regnum & ſtabile reddituros, ſi Rex iuramentum ſeruauerit. Vide etiam de iuramento Ephororum Craium libr. 2. de Rep. Lacedæmoniorum, cap. 4.

7 *Populus Ephoros conſtituit cauſa tum vtilitatis, tum neceſſitatis.*

Vide Althuſium dict. lib. ſic docentem ex Couarruuia, quomodo tum vtilitatis, tum neceſſitatis cauſa Ephori in Republica conſtituantur.

8 *Conſtituuntur Ephori & eliguntur vel populi ſuffragiis, quando nempe ab initio Reſp. conſtituitur, vel etiam Regis ſiue Principis arbitrio, vel ſumuntur ex ſucceſſione durante in præcipuis & nobilioribus regni familiis pro conſuetudine nempe cuiuſque gentis, & pro cuiuſque regni natura.*

De vario modo conſtituendorum & eligendorum Ephororum, vide Toloſan.libr.7.c.4.& 14.& 15.

9 *Præſtare videtur vt perpetui ſint Ephori, quàm vt ſint temporarii.*

Apud Lacedæmonios Ephororum magiſtratus tantum annuus erat, id ita nempe ferente naturâ iſtius Reip. Aliàs communiter loquendo, conſultius eſt, vt ſint perpetui; ſic.n.longo vſu & experientia regni iſtius conſuetudines rectius diſcent intelligere, & conſilia ſua ex regni vſu inſtituere, niſi quod permutatio quædam officiorum & certi gradus Ephororum ſecundum temporum vices diſtribui poſſint.

10 *Ephori vniuerſi ſummo magiſtratu ſunt ſuperiores, non per ſe, nec ſinguli ſeparatim, (ita.n.ſunt inferiores) ſed ex pacto ſpeciali, quatenus ſc.ſummus magiſtratus, ſiue Princeps conſenſit ſpecialiter in hãc formam Reip. vt Ephori eſſent inſpectores & obſeruatores Principis.*

Grauis eſt diſputatio apud Politicos, *An Ephori ſint ſuperiores Principe?* Et Hotomannus quidem lib.1. de antiquo iure regni Galliæ, c.12. vt & Iunius Brutus quæſt. 3. vindiciarum contra Tyrannos, ſtatuunt Ephoros ſummo Magiſtratu eſſe ſuperiores; & afferunt hæc argumenta.1. *Synodus, concilium, capitulum, vniuerſitas ſuperior eſt Epiſcopo, Pontifice, actore & Syndico: Ergo & optimates ſunt ſuperiores Principe.* 2. Ratio. Quia his Ephoris data eſt poteſtas prius, quam Principi Reip. ſumma eſt commiſſa; quod igitur in Ephoros eſt collatum ſemel, hoc alteri magiſtra-

ſtratui dari non poterit. Hos Althuſius ſequitur autores c.14. Politicæ. Exiſtimarim tamen diſtinguendum eſſe inter id, quod ſuâ naturâ eſt tale, & id quod ſpeciali pacto ac cõditione receptum eſt. Suâ naturâ quidem Princeps eſt caput etiam Ephororum. Speciali autẽ pacto Ephori ſuperiores cenſentur Principe quatenus eius inſpectionem & regni cuſtodiam habent.

Et ſic de conſtitutione & electione Ephororum. de Numero Ephororũ vnicus eſt Canon:

Numerus Ephororum certus & definitus non eſt, ſed pro amplitudine & anguſtia Reip. vel maior vel minor eſſe poteſt: interim tamen exempla Rerump. id videntur requirere, vt is numerus ad pauciſſimos contrahatur.

Althuſius, & alii Politici 3. Ephoros Regi adiungunt. Apud Lacedæmonios quinque Ephori fuerunt. Vide Craium citato loco. Sed vt Canon dicit, non poteſt is numerus ita generaliter determinari, cum pendeat à conditione & circumſtantia particulari cuiuſq; Reip.

Iam porro de officio Ephororum agendum eſt, de quo ſunt hi Canones:

1 *Reſpublica commiſſa & commendata eſt Mõarchæ, ſiue Principi, vt ſupremo capiti; Ephoris v. vt contutoribus, inſpectorib. & obſeruatorib. Principis.*

2 *Itaque tenentur Ephori ſimul cum Principe Reip. tutelam gerere, & imputatur iis etiam tutelæ male adminiſtratæ culpa, quando Princip: nimium conniuentes id, quod ex Reipub. vſu eſt, negligunt:*

Quare videat quilibet Ephorus, ne ſe tacente Reſp. aliquid detrimenti capiat.

Vide Brutum quęſt.3.vindiciar.contra Tyran. Hotom.d.l.c.19.& 23.

3 *Ephori conſilium dant in maioribus & grauioribus negotiis publicis, atque adeo ſunt conſiliarii ſummi magiſtratus, ſine quorum conſenſu in reb. ad Remp. pertinentibus nihil facere poteſt.*

Vide Danæ.lib.6.Pol.c.3.

4 *Penes principem tamen eſt ius conuocandi, & ius exſequendi ea, quæ conſultationibus Ephororum concluſa ſunt.*

Vide Danæum ibidem.

5 *In magnis negotiis rex nec literas ad exteros ſcribat, nec ſigillo eas obſignet, niſi Ephoris conſciis & probantibus.*

Videantur Hotto.& Brutus d.l. vbi refert vterque tantam Ephororum in regno Galliæ eſſe autoritatem & poteſtatem, vt litteræ Regis niſi à ſecretario regni ſubſcribantur, & ſubſcriptæ à Cancellario obſignentur, nullam habeant autoritatem, & alia negotia concernentia regnum non niſi conſultis Ephoris & approbantibus valeant. Ex quo Politici nonnulli, & inter hos Althuſius capite 4. Bodinum cupiunt refellere, qui ſtatuit Galliæ regnum eſſe abſolutè Monarchicum.

6 *Habent igitur Ephori ius principem intra officii limites continendi, eum monēdi, corrigendi, refrenandi, eiusq; licentiam conſtringendi.*

7 *Habent & Ephori ius gladii ad expediendum munus ſibi commiſſum.*

Vide

Vide Brutum d.quæſt.3. Hottom.lib 1.de iure regni Galliæ,cap.12.& ſeqq.Obrecht.theſ.de bello,theſi 161.Vrſinum parte 3.diſpoſ.Theolog.diſpoſ.44.Danæum lib.6.Pol.c.2.& 3.Caſman.c.10. Polit.

8 *Quilibet Ephorus poteſt publicè conqueri, ſi à Principe non ſit vocatus ad conſultationem.*

Vt probat Althuſ.ex cap.8.& 12.Iudicum,& 2. Sam.19.& 1.Reg.12.

9 *Ephori debent publicè indicare, vtrum Princeps rectè ſuo munere fungatur, nec ne: ſi qui autem adulentur Principi, ii grauiſſimè ab aliis collegis puniendi ſunt.*

10 *Ephori inter ſe concordiam ſtrictè ſeruent, nec vllis artificiis patiantur ſe diſtrahi.*

11 *Interim Ephori ſine conſenſu & approbatione Principis nihil faciant in Reipub.negotiis; quandoquidem executio, vt ſupradixi, eſt penes Principem, tamdiu nempe, quamdiu rectè imperat.*

12 *Cum Princeps degenerat in Tyrannum, Ephori in hoc ſtatu plus libertatis habent in Principe remouendo, quam Ephori ſiue optimates officiarii in ſtatu Monarchico ſimplice; quia hic ſpecialia pacta & iura intercedunt.*

13 *Debent tamen etiam in hoc ſtatu Ephori diligenter obſeruare iſtas cautelas, quas ſupra enumerauimus, nempe cui ſit reſiſtendum, quomodo, quando, & quamdiu.*

14 *Quando neceſſitas Reipub.poſtulat, vt Ephori reſiſtant principi male imperanti, tum omnes ſimul debent ad iſtam reſiſtentiam vnanimi conſenſu accedere, & eos, qui ſe eo tempore ſubtrahunt, ac reliquos collegas iuuare nolunt, pro deſertoribus & ho-*

ſtibus habere; vtpote qui oppreßam patriam neglexerint.

Canon eſt ex Iunio Bruto, quæſt. 3. vindiciarũ, qui allegat *l. 3. §. vlt. ff. de re militari.* Vide etiam Danæum lib. 6. c. 3. & Althuſ. c. 14.

15 *Ephoris iuſtâ cauſâ principi tyranno reſiſtentibus, alii ciues patriæ ſuccurrere, & opem ferre debent.*

Vide Althuſ. ex 1. Sam. 22. & 25. item 1. Chron. 12. & 18.

Cæterum in ſtatu hoc mixto ex Monarchia & Ariſtocratia duplex eſt temperies: præualet enim vel Monarchia, vel Ariſtocratia.

De ſtatu in quo præualet Monarchia, ſunt hi Canones:

1 *Vbi præualet Monarchia, ibi valere poteſt ſucceſſio, & eſſe magiſtratus hæreditarius.*

2 *Poteſt etiam in hoc ſtatu ius eligendi Ephoros ac ſenatores eſſe penes ipſum principem.*

3 *In hoc ſtatu multa etiam Rex negotia conficere poteſt, non omnibus Ephoris, ſed præcipuis tantum conſciis.*

4 *Nec opus eſt in hoc ſtatu frequentibus comitiis ſiue conuocationibus ordinum regni.*

Talis ſtatus mixtus ex Monarchico & Ariſtocratico, in quo tamen præualet Monarchicus ſtatus, eſt in regno Daniæ, de quo Bodinus pag. 168. Method. hiſt. dicit, quod regnum Daniæ ſit Ariſtocraticum; quia nobilitatis ibi magna ſit poteſtas. Sed ſi rem diligenter conſideres, mixtus ſtatus eſt ex Monarchico & Ariſtocratico; ſic tamen, vt

vt Monarchicus præualeat Ariſtocratico; quod ex eo manifeſtum eſt, quia ius ſucceſſionis, vel ſaltem conſuetudo ſucceſſionis ibi obtinet, & rariſſima etiam habentur comitia, in quibus rex referat ad omnes ordines regni de negotiis publicis. Talis ſtatus etiam eſt in Ducatu Würtembergico, cuius ordines maximam habent poteſtatem in gubernatione, ſic tamen vt præualeat Principis autoritas.

De ſtatu, in quo prædominatur Ariſtocratia, ſunt hi Canones:

1 *Vbi Ariſtocratia prædominari debet, ſucceſſio & hæreditas imperii admitti non debet, ſed manere electio ſummi magiſtratus penes optimates, ſiue Ariſtocraticos.*

Bodinus in Methodo Hiſtorica, cap. 6. monet ſicut in abſolutis monarchiis fugienda eſt electio, ita omnino eam retinendam eſſe, vbi non eſt ſtatus Monarchicus: id quod hoc loco applicamus ad ſtatum illum mixtum ex Monarchia & Ariſtocratia, in quo Ariſtocratia debeat prædominari; ſiquidem præcipuè optimatum autoritas & eluceſcit & confirmatur in libera electione Principis, & princeps tanto obſtrictior redditur Ariſtocraticis, quanto maior eorum fuit libertas in hoc principe vel aſſumendo, vel repudiando.

2 *Officia & beneficia principalia regni, magis ſint in poteſtate optimatum, quam Principis: Et optimates plus iuris habeant in iis distribuendis.*

Neruus. n. & vinculum regni ſunt officia primaria & beneficia;ideoq; horum diſtributionem non patiantur ſibi adimi optimates, qui nolunt Monarchiam prædominari, præſertim cũ Monarchia hac ratione poſſit in ſuas partes pertrahere multos optimatum, & hac ratione efficere, vt Monarchia prædominetur Ariſtocratiæ.

3 *Theſaurus Reip. magis ſit in poteſtate optimatum, quam Monarchæ.*

4 *Sigillum Reip. itidem magis ſit in eorum poteſtate, quam Monarchæ.*

Atq; hæc quidem etiam de diuerſa Temperatura Monarchię & Ariſtocratiæ, quâ nempe fit, vt interdũ præualeat Monarchia, interdum præualeat Ariſtocratia; quamuis & tertia ratio addi poſſit, ſiue tertia temperies, quæ videtur omniũ adhuc temperatiſſima, in qua nempe ſecundum quid præualet Monarchia, & ſecundum quid Ariſtocratia. Ad quam tertiam rationẽ & temperiẽ exempli loco non incommodè afferri poteſt Poloniæ regimẽ, de quo ita Boterus in lib. cui tit. eſt, *de Imperiis mundi*: vbi de Polonię regimine ſic inquit: Poloniæ regimẽ potius reip. quàm regni eſt, quod nobiles qui magnam autoritatem in comitiis regni obtinent, Regẽ eligunt, dantq; ei autoritatem quam volunt; ita tamen, vt ipſorum poteſtas maior ſit. *Et poſtea addit*: Etſi autem Regis autoritas ita ab electione dependeat, tamen autoritas iſta cum electus eſt Rex, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius enim muneris eſt conuocare diætas, id eſt, conuentus publicos, aſſignare tempus & locum, vt ipſi placet. Eligit conſiliarios, nominat Epiſcopos, eſt abſolutus executor decretorum

rum in conuentib. factorum: eſt ſupremus iudex "
nobiliũ in cauſis criminalibus: habet in manu o- "
mnes modos remunerandi, beneficio afficiendi, "
quos ipſi placet. *Hucuſq; Beterus.* "

Porro ſtatus ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus, eſt vel ſtrictior, vel laxior.

Strictior eſt, vbi pauci tantum ſunt Ephori, qui ſimul regunt cum principe.

Vt in Dania pauci ſunt conſiliarii regni, quos vocant. Siue *Ephori*, qui ſimul cum rege gubernant.

Laxior eſt, vbi plurimi ſunt ſtatus, ſiue ordines, vicem Ephororum obtinentes.

Et in hoc ſtatu Ephori diſtinguuntur in generales & ſpeciales.

Hanc diſtinctionem ex aliis Politicis colligit & explicat Alth. c. 14. Politicę.

Generales Ephori ſunt, quibus totius regni & omnium prouinciarum tutela & inſpectio demandatur; ſiue qui curam & tutelam habent omnium partium Reip. ſimul; quique adeo principalem locum obtinent, inter ſtatus ſiue ordines Reipubl.

Generalium Ephororum exempla Althuſ. ex autoritate aliorũ Polit. hæc affert: In populo Iudaico nempe ſeptuaginta ſeniores, de quib. Numerorum 11. Deu. 27. Ioſuę 24. Iudicum 21. Eſdræ 8. & 9. Nehemiæ 4. In Imperio Romano Electores Imperii, in regno Galliæ, Cancellarius; Franciæ Principes pares illi, qui ex ſanguine regio na-

ti ſunt *Maior palatii*, qui *comes ſtabuli* hodie dicitur, *Marſchallus*, *Ameralius*, *Magnus Reuerendarius.*

Speciales Ephori ſunt tum illi, qui certæ tantum parti in Republic. tutores præficiuntur, tum illi, qui minus habent poteſtatis in Republic. ita vt in propria perſona vota dicere nõ poſſint, ſed tantùm per legatos, ſiue deputatos ſuos.

De his Ephoris ſunt hi Canones:

1 *Specialis Ephorus quilibet, qui certæ parti reipubl. cuſtos datus eſt, eam in iſta parte poteſtatem intelligitur habere, quæ correſpondeat poteſtati ſummi magiſtratus, ita in rebus & negotiis arduis totam iſtam prouinciam, cui cuſtos datus eſt, concernentibus peculiarem conuentum conuocare poteſt; inque eo deliberare de commodis & ſalute iſtius loci ſiue partis, & prouinciæ.*

Vide Danæ. lib. 6. Polit. c. 2. & Brutum in vind. contra Tyrannum, quæſt. 3. vbi dicit, in Imperio Romano ſpeciales Ephoros eſſe ſtatus Imperii inferiores, vt ſunt Duces, & Principes, qui non ſunt Electores. Item, Marchiones, Comites, Barones, Prælati (Abbates, Canonici) Nobiles, & denique ciuitates Imperii. In Gallia ſpeciales Ephori ſunt, Pares curiæ, Vaſalli, Nobiles, Comites.

2 *Horum Ephororum ſpecialium & inferiorum neceſſarius vſus eſt in Rep. Ariſtocratica & Monarchica maiori, tum, quia optimates ſiue Ephori ſuperiores & generales omnibus partibus regni ita commodè præeſſe non poſſunt; tum etiam quia ſi officium*

ficium ſuperiores optimates non faciant, hi poſſunt ſuccedere.

Vide Brutum d.quæſt.3.& Althuſ.ſub finem cap.14.

Eſt & ſtatus ex Monarchia & Ariſtocratia mixtus, alius maior, alius minor.

Maior eſt, qui plures vrbes vel prouincias complectitur.

Minor eſt, qui vel vnam tantum vrbem, vel anguſtiorem aliquam prouinciam complectitur.

Opponitur ſtatui huic primò tyrannis, quatenus nempe Monarcha degenerat: ſecundò oligarchia, quatenus pauci optimates excluſis reliquis, cum Monarcha conſpirant contra reliquos collegas.

Et ſic de ſtatu ex Monarchia & Ariſtocratia mixto propriè dicto: Impropriè dictus eſt, in quo optimates quidem ſiue Ephori reuera imperium habent: Monarcha v. ſiue Princeps titulum magis habet quam rem.

Bodinus huc refert Ducem Venetorum, quem dicit titulo magis quam re Ducem eſſe: cum tamen Caſpar Contarenus libro 2. de Rep. Venetorum, magnam quoq; autoritatem & poteſtatem huic Duci tribuat.

CAP. V.

De ſtatu Reip. temperato ex Ariſtocratia & Democratia.

STatus Reip. temperatus ex Ariſtocratia & Democratia eſt, in quo optimates ita imperant, vt ſimul quoque imperii particeps ſit populus, ſiue ciues vniuerſi.

De hoc ſunt generales Canones:

1 *Status huius natura, vt & aliorum mixtorum, iudicari debet ex natura ſimplicium ſtatuum, ita nempe, vt intelligatur habere proprietates & Ariſtocratiæ & Democratiæ, prout ſcil. alterutra ex his magis vel minus prædominatur.*

2 *In ſtatu hoc velut duplex eſt Senatus, duplex conuocatio, duplicia ſuffragia, nempe tum optimatum, tum populi & ciuium.*

3 *In hoc ſtatu populus cum optimatibus tractat per certos delegatos ſiue tribunos ſuos.*

Eſt autem hic ſtatus vel maior, vel minor.

Maior eſt, qui obtinet in integris prouinciis.

Minor eſt, qui obtinet in vrbibus. communiter autem vocant Politici, das Stattregiment.

Per eminentiam hic ſtatus vocatur ſtatus vrbium; quia hodie vrbes pleræque iſtâ formâ reguntur, ita, vt qui velit Politiam vrbium particulatim deſcribere, eum oporteat præcipuè reſpicere ad hunc ſtatum mixtum ex Ariſtocratia & Democratia.

Canones de ſtatu ciuitatum generales ſunt hi:

1 *Sta-*

1 *Status mixtus ex Ariſtocratia & Democratia eſt accommodatiſſimus ciuitatibus ſiue vrbibus; vtpote in quibus præcipuè debeant florere mercatores & opifices, qui cupiunt gaudere ſuis libertatibus ſi florere debeant, & idcircò diffidunt ſtatui Monarchicò & Principum miniſtris atque aulicis; præſertim cum hodiè tam magna ſit aularum licentia.*

Olim Reſp. florentes mercaturâ & opificiis eſſe potuerunt, etiam ibi, vbi ſtatus fuit Monarchicus; quia nempe minor fuit aularũ & aulicorum licentia in mercatores & opifices, qui præcipuè vigent in ciuitatibus. Spartani Regem ſuum habuerunt, ſed cõtinentiſſimę aulæ. Veneti Ducem ſuum habent, ſed cuius aula mercatoribus & opificibus nullo ſit obſtaculo.

2 *Quia mercatores & opifices præcipuè vigent in ſtatu ciuitatum, ideo earum potentia breui tempore valdè creſcere poteſt; quia penes mercatores eſt vis pecuniæ: penes opifices omne genus armorum, & inſtrumentorum. Et hinc etiam eſt, quod regimen ciuitatum plerumq; ſit durabilius.*

Cæterum ea, quæ ad regimen ciuitatum pertinent, ſunt vel communia cum ſtatu perfecto, ſiue Monarchico, vel ſunt particularia & ſingularia, ſiue propria ciuitatibus.

De communibus Canon eſt:

Officium & virtus magiſtratus in ciuitate proportione reſpondet virtuti & officio Principis: idcircò quot & quam variæ curæ ſunt Principis, totidem etiam & tam variæ curæ ſua proportione &

modo ſunt magiſtratuum in ciuitate: Sed & officium ſubditorum in ciuitate proportione reſpondet officio ſubditorum qui ſunt ſub Principe.

Propria verò & ſingularia ciuitatum partim conſiſtunt in norma regiminis, partim in ipſo regimine.

Norma regiminis propria ciuitatum conſiſtit in iuribus municipalibus ſiue ſtatutis vrbanis, apud nos vocant die Willkühr.

Ipſum regimen ciuitatis conſiderandum eſt ſuis partibus integralibus; nempe tribus ordinibus iſtud regimen conſtituentibus. Primus ordo eſt ſenatorius, alter eſt iudicum ſiue ſcabinorum; tertius eſt ordo populariuṁ.

Ordo ſenatorius conſideratur vel quoad conſtitutionem ſiue electionem, vel quoad ſubiectū, ſiue perſonas, quæ ſunt in ſenatu, vel deniq; quoad cauſas adiuuantes & inſtrumentales.

Circa conſtitutionem ſiue electionem tria cōſiderantur. 1, perſonarum aptitudo. 2, modus electionis, & deniq; iuramentum, quod præſtat electus.

Perſonæ ſenatum conſtituentes conſiderantur, vel quoad numerum, vel quoad gradus, vel deniq; quoad officium.

Quod ad numerum attinet, is pendet à circumſtantia cuiusque ciuitatis: ſunt enim in vna ciuitate plures, in alia pauciores ſenatores.

Gradus

Gradus ſenatorum conſideratur vel externo, vel interno reſpectu.

Externo reſpectu gradus conſideratur, quando aliquis è numero Senatorum repræſentat perſonam externam, nempe alicuius Principis, ſiue Regis, vt apud nos Burggrauius, in aliis ciuitatibus, præfecti.

Gradus interno reſpectu cõſiderati ſunt vel ſuperiores, vel inferiores.

Superiores gradus ſunt Conſulum, ſiue, vt apud nos vocantur, Prçconſulum; *inter quos iterum certi gradus anniuerſarii, nempe Proconſulis ſiue præſidis, cuius eſt proponere in Senatu vicepræſidis, & reliquorum conſulum inferiorum.*

Inferiores gradus ſunt ſenatorum, ſiue, vt etiam apud nos vocantur, Conſulum.

Officium conſideratur vel communiter, vel ſpecialiter.

Officium conſideratum communiter conſiſtit in conſultationibus de ſalute Reip.

Huius conſultationis conſiderandum eſt tum antecedens, tum partes conſtituentes.

Antecedens eſt conuocatio Senatorum.

Partes cõſtituentes ſunt, tum propoſitio conſultãdarum rerum, tum collectio ſuffragiorum, das vmbfragen; *tum denique concluſio ſiue decreta & ſententia.*

Particularia officia ſunt vel maiora, vel minora.

Maiora ſunt cuſtodire ſigillum Reipubl. reſignare literas aliunde miſſas, recipere libellos ſupplices, quæ ſunt officia præſidis ſiue præconſulis.

Minora officia ſunt præfectura ærarii, præfectura portus, & vectigalium, cuſtodia clauium ciuitatis & ſimilia.

Cauſæ adiuuantes ſunt vel primariæ, vel ſecundariæ.

Primariæ cauſæ adiuuantes ſunt Syndici, Secretarii.

Secundariæ cauſæ ſunt Scribæ varii generis, itē officiarii inferiores, quos vocamus die Lehnsleut / *& quicunque officia Reipublicæ inferiora præſtant.*

Inſtrumentariæ cauſæ ſunt vel propiores, vel remotiores.

Propiores ſunt libri, in quibus acta ciuitatis perſcribuntur, die Stattbücher.

De quib. & eorum variis generibus, vide Tractatum Germanicum Alberti Pulmanni; [a] quem paulò pòſt citaturi ſumus.

[a] Pagina 16.

Inſtrumenta remotiora ſunt varii generis machinæ, & ædificia ciuitatibus propria, quæ tamen ex ſuperioribus facilè intelliguntur, vbi nempe

nempe egimus de rebus mobilibus & immobilibus, quas Princeps curare debet.

Alter ordo ciuitatis eſt iudicum, in quo ordine etiam conſiderari debent conſtitutio gradus, officium & cauſæ adiuuantes, atque inſtrumentariæ.

Conſtitutio ſiue electio Iudicum etiam conſtat certo modo, & proceſſu, & deinde certa iuramenti formula.

Gradus Iudicũ eſt vel ſuperior, vel inferior.

Superior gradus eſt Iudicum, qui vocantur propriè Iudices, *vel* Scabini.

In his conſiderantur tum præſes, & eius adiunctus, tum aſſeſſores.

Inferior gradus eſt Cẽſorũ, der Wetthern.

Officium Iudicum etiam eſt vel ſuperius, vel inferius.

Superius officium eſt circa cauſas grauiores & criminales.

Inferius officium eſt circa cenſuras.

Adiuuantes cauſæ ſunt ſcriba iudicii, & eius adiutores.

Inſtrumentales cauſæ ſunt libri iudiciorum, die Gerichtsbücher.

De quib. vide Pulmannum cit. loco.

Reſtat ordo popularium, qui vel conſideratur vt pars magiſtratus, vel vt ſubditorum.

Circa ordinem tertium, ſiue popularem con-

ſideratum, vt eſt pars magiſtratus, hæc ſpectanda ſunt ordine: 1, Numerus, nempe quotnam ex populo ſint eligendi in magiſtratum tertii ordinis: Apud nos quidem ſunt Centumuiri. 2, ipſa Electio: 3, Horum Tribuni, ſiue, vt apud nos vocantur, Quartarum magiſtri: *4, Conuocatio; nempe quando & ad quæ negotia, ſiue quas conſultationes ſint vocandi; 5, Suffragia ipſorum.*

Ordo popularis conſideratus vt ſubditus, eſt vel primarius, nempe ipſi ciues; vel ſecundarius, nempe inquilini, non ciues.

Circa ciues duo ſpectanda ſunt: 1, Eorum receptio, ſiue collatio iuris ciuitatis, atq; adeo præſtatio iuramenti ciuilis. 2, Ciuium diſtinctio per certa collegia, nempe mercatorum & opificum, vt ſupra latè tractauimus.

De inquilinis non ciuibus Canon eſt:

Dabunt operam Ariſtodemocratici, vt ciuitatem ſuam reddant quàm populoſiſſimam, atque adeo non ſint difficiles in exteris recipiendis & fouendis.

Memorabile eſt quod Bodinus pag. 261. method. Hiſt. ſcribit, Venetorum Remp. vel eo nomine maximè florere, quod peregrinos ſummâ proſequantur humanitate, eoſque non difficulter admittant in ciuitatem ſuam.

Porrò ſtatus ciuitatis eſt vel maioris ciuitatis, vel minoris.

In

In minoribus ciuitatibus hoc peculiare eſt, quod habent vnum aliquem primarium Scribam, den Stadtſchreiber.

De cuius officio integri libri ſunt editi à variis.

Status ciuitatis maioris habet hũc Canonem peculiarem.

Cum ciuitates maiores plerumq; habeant regimini ſuo ſubiectos pagos & vicos, ideo diſtinguant regimen ciuium à regimine ruſticorũ, & diſtinguant territorium ſuum in certas præfecturas, ac præfecturis præficiant vnum ex conſulibus, alterum ex ſenatoribus.

Quæſtio illa huc pertinet: *An ciuitates ruſticis ſibi ſubiectis debeant permittere mercaturam*: quã quæſtionem vide prolixè tractatam in libello nõ inutili, quem edidit Paulus Megelinus Germanicum, ſub titulo, von Bürgerlichem Stande/ lib.1.c.10.

Status ciuitatis eſt vel liberior, vel minus liber.

Status liberior eſt, qui ſuis ſpecialibus libertatibus & priuilegiis gaudet.

De hoc Canon eſt:

Ciuitas liberior ſua priuilegia accuratè cuſtodiat, & ſtrenuè ac fortiter defendat, cum nempe priuilegiorũ libertas ipſa velut anima ſit & ſpiritus ciuitatum.

Minus libera ciuitas eſt, quæ ſuperiori ita ſubiicitur, vt priuilegiis & libertatibus peculiaribus non gaudeat.

Eſt & ſtatus ciuitatum talis, in quo prædominatur Ariſtocratia, vel talis in quo prædominatur Democratia, vel deniq; talis, in quo vtraque ſuas quaſdam prærogatiuas habet.

De ſtatu in quo prædominatur Ariſtocratia, ſunt hi Canones:

1 *Vbi Ariſtocratia debet prædominari, ibi ex primariis tantum ciuib, nempe ex mercatorib. magiſtratus ſunt conſtituendi, non v, ex opificibus.*

2 *Optimates in hoc ſtatu ſua regalia tueantur, vt ſunt electio magiſtratuum, cuſtodia ærarii publici, iura patronatus: nec patiantur ſibi aliquid à popularibus in hac parte vel præiudicari, vel eripi.*

3 *Primicerios in collegiis opificum optimates ipſi conſtituant, & è ſuo medio ſemper aliquos ordinent, qui collegiis & conuentibus opificum interſint.*

Status in quo prædominatur Democratia, habet hunc Canonem:

Vbi Democratia prædominari debet Ariſtocratiæ, ibi omnia contra fieri debent, nempe vt etiam opifices allegentur in Senatum & magiſtratum, vt ſua habeant collegia, & conuentus, & inſciis optimatibus & non præſentibus, & primicerios ſuorum collegiorum ipſi conſtituant.

Status ciuitatis vbi ſecundũ quid præualet, Ariſtocratia; ſecundum quid, Democratia: habet hunc Can.

Vbi ſecundũ quid debet prædominari Ariſtocratia, & ſecundũ quid Democratia, ibi nonnulla quædam ſpecialia iura & prærogatiua concedenda ſunt opti-

optimatibus, ſed alia iura non minus grauia etiam concedenda ſunt popularibus.

Opponitur huic ſtatui reſpectu optimatum quidem, oligarchia, quando pauci aliquot rapiunt ad ſe imperium; reſpectu populi verò Ochlocratia, quando populus vult ad ſe rapere iura optimatum.

Atque hæc etiam de ſtatu temperato ex Ariſtocratia & Democratia: quæ cũ ſit in pleriſq; ciuitatibus, ideò diximus κατ' ἐξοχὴν Politia vocatur, das Stattregiment / de quo plura vide in libro Lauterbacii, cui tit. eſt Regentenbuch, item in libello German. Pauli Negelini, cui tit. eſt, von bürgerlichem ſtand; item in libro Alberti Pulmanni, cui titulus eſt wie ſich Amptstragende in Stätten verhalten ſollen; videatur etiã die Policeyordnung der Statt Nürnberg, item aliarum ciuitatum.

CAPVT VLTIMVM partis generalis.

De ſtatu temperato ex tribus formis ſimplicibus; & ſimul de ſtatu mixto minus principali.

RE ſtat ſtatus mixtus principalis tertius, qui nempe temperatur ex omnibus tribus formis; ex Monarchia, Ariſtocratia & Democratia: De quo ſtatu ſunt hi generales Canones:

1 *Status hic plurimis locis & rebuſpub. valde eſt accommodatus, quia continet in ſe omnem Reipubl. formam, atque adeo omnis formæ Reipubl. virtutes*

& effecta, & ſimul continet in ſeſe triplex vinculum; ſic vt ſtatus Monarchicus contineat ſtatum Ariſtocraticũ & Democraticũ: contra verò ſtatus Ariſtocraticus & Democraticus contineat in officio Monarchicum; & denique duo inferiores ſe mutuo contineant in officio.

3 *Plerumq; hic ſtatus in Rebusp. ortus eſt ex eo, quod ſubditi pertæſi ſint puræ & abſolutæ monarchiæ, aut etiam puræ Ariſtocratiæ.*

Confirmatur hic Canon duob. exemplis; quorum prius ſumitur à Repub. Lacedęmoniorum, cuius forma à principio fuit purè Monarchica, poſtea facta eſt purè Ariſtocratica, tandem facta eſt ex tribus mixta, ſicut pulchre ex hiſtoriis probat Craius lib. 1. de Repu. Lacedæmon. c. 4. Alterum exemplum habemus in Republica Polona, quæ etiam initio fuit Monarchia, aliquando etiam purè Ariſtocratica, donec tandem ex omnibus tribus mixta eſt, vt quidem vult Cromerus lib. 1. de magiſtratu & Rep. Polonorum. vbi ordine exponit, quomodo ex ſtatibus ſimplicioribus in hunc ſtatum mixtum Reſp. Polonorum progreſſu temporis fuerit deuoluta. Quod autem diximus hunc ſtatum eſſe multis locis apprimè accommodatum, & valde vtilem ac laudabilem, id memorabilibus verbis declarat Caſpar Contarenus lib. 1. de Repub. Venetorum, pag. 9. vbi verba ſunt notatu digna: quamuis multorum ſentẽtia regius dominatus aliis habeatur præſtantior; crediderim tamen ego, tametſi vnius principatus, qui verè regiam dignitatem ac iura ſibi vendicaret, ſi res per ſe conſideretur, optimus omniũ eſt; nihilominus propter labile in deteriorem par-

partem ingenium hominis, ac vitæ breuitatem, ſtatum optimum minimè eſſe ſub regio principatu; ſed multitudinis gubernationem ciuili ſocietati magis conuenire; idque experientia luculenter docet. Nam nullum regium principatum apud veteres extitiſſe vnquam legimus, neque noſtro tempore conſpeximus, qui non breui in tyrannidem lapſus ſit; contra, plurimas Reſpubl. multis ſeculis perduraſſe ac pace belloque floruiſſe. Et paulò pòſt: Præclariſſimi Philoſophi rempublicam temperatam extollunt, & Lacedæmon. formam ſummoperè laudant, in qua reges & Ephori & Senatus fecerunt mixtionem quandam, vt bene dignoſci nequeat, ſub quanam gubernationis ſpecie fuerit ea Reſpublic. collocanda. Idem repetit ſub initium libr. 3. vbi oſtendit, Venetam Rempublicā etiam ex tribus mixtam eſſe. Cæterum id quoque breuiter moneo, κατ' ἐξοχὴν Reſpublic. dici eas, quæ tali ſtatu reguntur; vnde Boterus loco ſupra citato dicit Poloniam non tam regnum eſſe, quam Remp. Eodem modo vocabulum *Reip.* in citatis verbis Contarenus vſurpat, ita nempe, vt regno ſiue principatui opponat.

Eſt autem hic ſtatus, vel minor vel maior.

Minor eſt, cum vrbs tali mixta ex tribus formis conſtitutione regitur.

De hac Canon eſt:

Forma Reipubl. mixta ex omnibus tribus præcipuè competit illis vrbibus, quæ habent ſub ſe amplas ditiones.

Vt fuit Reſpub. Spartana ſiue Lacedæmoniorum, quæ integram Peloponneſum ſub ſua ditione habuit, & hodie eſt Reſpub. Veneta, quæ ſub ſe habet Cretam inſulam, & multas ditiones in Italia, ita vt nulla hodiè reperiatur vrbs, quæ quidem cognita ſit in orbe terrarum, cuius dominatus tam amplus ſit, vt vrbis Venetæ. Bodinus quidem in Methodo Hiſtorica planè negat formam Monarchię eſſe in Republ. Veneta, & aſſerit eſſe merum ſtatum popularem: ſed multa ſubinde Bodinus ex affectu ſcribit magis, quam ex iudicio, quod alioquin, vbi vir ille eſt immunis ab affectibus, ſummum & admirabile habet.

Maior ſtatus eſt, cum non tantum vrbs aliqua, ſed ampliſſima prouincia immediatè regitur hac forma ex tribus mixta.

Sic olím regnum Arragoniæ habuit formam ex tribus mixtam. Et Cromerus & alii Poloniæ regno eandem hanc formam tribuunt. de quo paulò pòſt à nobis aliquid amplius dicetur.

Porrò ſtatus hic ex tribus mixtus, eſt vel æquabilis, vel talis, qui habeat prædominium.

Æquabilis ſtatus eſt, in quo æquabiliter omnes tres formæ mixtæ ſunt, vt non poſſis dicere hanc vel illam prædominari.

Status cum prædominio eſt iterum duplex. vel enim vna tantum forma prædominatur aliis, vel duæ formæ prædominantur tertiæ.

De ſtatu, in quo vna forma prædominatur, Canon eſt:

1 Sicut ex mixtione Elementorum in humano corpore varia in variis indiuiduis humanis temperamenta oriuntur; ita, vt in illo corpore ille humor, in alio corpore alius humor prædominetur; ita quoq; fit in ſtatu mixto ex tribus formis; nam in vno loco vna forma, in alio loco alia forma prædominatur; & ſicut in corpore humano tamdiu durat vita; quamdiu humor prædominans alios humores non planè ſupprimit; ita quoque in hoc ſtatu accidit, vt nempe tamdiu duret Reſpubl. quam diu forma prædominans vna alias non extinguit, ſed ſuum locum iis quoque relinquit; ita vt virtutes ex triplici forma prodeuntes perdurare poſſint; quarum virtutum periodi ſunt non minus, quam ipſorum imperiorum.

Vide Richterum axiom. 282. vbi inquit: *Sicut artes, ita & virtus habet ſuas periodos in imperiis; virtus nempe quæ fouetur & conſeruatur apta temperie formarum in mixto Reipublicæ ſtatu.*

Prædominatur autem in hoc ſtatu vel Monarchia, vel Democratia, vel Ariſtocratia.

Status, in quo prædominatur Monarchia, habet hunc Canonem:

Si Monarchia prædominari debeat reliquis ſtatibus, neceſſe eſt eam peculiaribus libertatibus aduerſus reliquos ſtatus ita muniri, vt eos facilè in officio poſſit continere; neque concedantur Ariſtocratiæ vel Democratiæ ſingulares quidam conuentus & collegia, in quibus non adſit vel præſit Monarcha.

De ſtatu, in quo prędominatur Ariſtocratia, Canon eſt:

Si Ariſtocratia prædominari debeat Monarchiæ & Democratiæ, neceſſe eſt Ariſtocraticos ſpecialibus iuribus & præeminentiis gaudere; ita, vt poſſint habere ſua collegia & conuentus diſtinctos à collegiis & conuentibus Monarchæ, & Democraticorum, in quibus nempe conuentibus deliberare poſſint de præeminentia tuenda contra Monarcham & Democraticos.

Status, in quo prædominari debet Democratia, eſt vel humilioris, vel eminentioris Democratiæ.

Status humilioris Democratiæ eſt, in quo omnis populus promiſcuè, etiam inferior & humilior prædominatur Monarchæ & Ariſtocraticis: cuius ſtatus exemplum hodiè non facilè reperitur.

Status Democratiæ eminentioris eſt, in quo præter Monarcham & Ariſtocraticos, partem ſtatus ac regiminis habet etiam populus, ſed non omnis, verum pars ſolummodo populi eminentior & genere ac poſſeſſionibus præſtantior.

Ariſtoteles 3. Polit. c. 5. dicit eſſe 3. Reipub. formas; nempe regnum, Ariſtocratiam & Timocratiam; capite verò eodem vt & c. 7. dicit eſſe 3. reipubl. vitia, Tyrannidem, oligarchiam, & Democratiam. Hunc locum ſic explico, & cum aliis locis concilio, in quibus Democratiam refert ad rectas Reipub. formas: quod per Timocratiam in iſto capite intelligi velit eiuſmodi ſtatum popularem, in quo non promiſcua plebs, ſed melior & hono-

honoratior populi pars imperat. Siquidem expreſſe in iſto cap. Timocratiam definit, quod ſit imperium legitimum populi (ſubintellige honoratioris. nam à τιμῆ, honor, Timocratia dicitur) ad vtilitatem communem ſpectans, quaſi dicas, honoratiores in populo ſpectant commune bonum Reipublic. reliqui ſpectant plerumque priuata tantum. Et ſic etiam intelligo Caſparem Contarenum, qui dicit Venetam Rempubl. eſſe mixtam ex tribus formis, nempe ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia; & tamen addit Venetiis in Senatum non admitti, niſi nobiles & patritios, qui annum ętatis 25. exceſſerunt. Eſt ergò Venetiis Democratia mixta cum reliquis formis, ſed Democratia eminentior, & quæ ad Ariſtocratiam propinquo gradu accedit. Quibus ita explicatis, iudicari rectius poterit de ſtatu regni Polonię: an nempe ſtatus ille mixtus ſit ex duabus tantum formis, videlicet ex Monarchia & Ariſtocratia, an verò ex tribus, nempe ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia. Bodinus in Methodo hiſtorica dicit Polonorum imperium eſſe Ariſtocraticum, pag. 269. vbi hæc verba ſunt: Ac reuera dici poteſt Ariſtocratia Danorum & " Polonorum, apud quos nobilitas legum, pacis, " armorum, vitæ ac necis ius habet: Princeps ele- " ctus nihil horum per ſe ipſe efficere poteſt, ac ne " nobilis quidem vllus à Principe aut ab alio ma- " giſtratu, quā ab optimatibus iudicari poteſt, vbi " agitur de illius capite, vita & fama. "

Vbi quidem illud per omnia probari non poteſt, quod dicit *Nobilem à principe ſiue rege indi-*

cari non poſſe in cauſis criminalibus: cum tamen in comitiis Rex iudicet cauſas criminales nobilium, tanquam ſummus iudicii criminalis præſes, qui etiam ſententiã pronunciat. Quod verò dicit *Polonorum eſſe Ariſtocratiã*, nempe *ſimplicem*, id etiam falſum eſt: ante enim ex Botero veriſſima verba citauimus, quod Rex habeat partes abſolut dominii, non paucas, nec paruas. in quibus ſan ſupra Ariſtocraticos eminet. Sin verò per Ariſtocratiam intelligere velimus eiuſmodi Reip. ſtatũ, in quo eminentiores Democratici, qui ob magn cognationem cum Ariſtocraticis etiã Ariſtocratici dici poſſint, cum Rege ſimul prædominantur, vtique hoc ſenſu Ariſtocratia Polonorum dici poteſt. Et ſanè ſi ſtatus nobilium referatur a ſtatum Ariſtocraticum, non ita abiectæ habebũtur ciuitates etiam reliquæ præter Cracouienſem in Polonia, nec pro mancipiis cẽſebuntur ii, qui non ſunt nobiles: vt quidem Cromerus in libro de magiſtratu Polonorum dicit, reliquam plebem pro mancipiis haberi; Et denique minor etiam erit nobilium licentia in reliquam populi partem, & maiores erunt pœnæ cædium, quæ in eos patrantur, qui nobiles non ſunt. Nec interim tamen repugnarim Cromero, qui in citato libro ſtatum regni Poloniæ mixtum eſſe vult ex tribus formis, eumque cum ſtatu Reip. Lacedæmoniorum comparat.

Sequitur ſtatus Reipub. in quo prædominantur duæ ſimul formæ. qui iterum eſt vel talis, in quo prędominatur ſecundum quid Monarchia, & ſecundum quid

Ariſto-

Ariſtocratia, vel talis in quo prædominatur ſecundum quid Monarchia, & ſecundum quid Democratia: de quo poſteriori ſtatu ſunt hi Canones:

1 *Talis ſtatus, in quo prædominatur Monarchia & Democratia, κατ' ἐξοχὴν etiam Reſpub. dici ſolet.*

2 *In hoc ſtatu, in quo prævalere debet Democratia ſimul cum monarchia, debet ſemper Democratia eſſe eminentior, i. tantum debent cum monarcha dominari genere & poſſeſſionib. nobiles ac clari, ac magna pœna ſtatui in eos, qui nobilitati ſe miſcẽt, & hũc titulũ ſibi vendicant, cum genere ſint plebei. Deniq; omnib. modis cauendum eſt, ne numerus nobilium in immenſum creſcat.*

Memorabile eſt quod Cõtarenus ſcribit, apud Venetos hunc eſſe morem, vt ſi quis ſe patritium eſſe profiteatur, debeat 500. aureos penes Remp. deponere, dum certis teſtimoniis probet ſe patritium eſſe, pag. 14. de Repub. Venetorum.

3 *Prædominium ſtatus Democratici ortum eſt ex virtute bellica, quando nempe Monarchæ egue-runt ordine nobilium, ſiue ordine equeſtri ad defenſionem regni.*

Sic in Polonia prædominium nactus eſt ordo equeſtris vſq; adeo, vt propter virtutem bellicam à Sigiſmundo Rege primus ordo in regno Poloniæ appelletur ordo equeſtris, ſicut diſertè videre eſt in ſtatutis Herborti.

4. *In hoc ſtatu multa bona regni reſeruanda ſunt Reip. & Regi ſiue Monarchæ certa quædã aſſignãda.*

5 *In hoc ſtatu eminẽtiores Democratiæ habeant ſua peculiaria collegia & iudicia diſtincta à iudiciis*

regiis, vtpote in quib. prædominiũ maximè conſiſtit.

6 Democratici eminentiores ſuos deputatos ad publicos regni conuentus magna cautione eligant, eosq; poteſtate etiam magna in votis ac ſuffragiis ferendis arment.

De hoc Canone in Polonia obſeruato Boterus ſcribit loco paulo ante citato, quod nempe ſumma ſit poteſtas nũciorum terreſtrium, vt vocant, id eſt, eorum qui ab eminentiorib. Democraticis ad publica regni comitia deputantur.

Reſtant oppoſita huius formæ, ex triplici forma mixtæ, de quib. oppoſitis Canon eſt:

Sicut hic ſtatus Reipublic. miſcetur ex tribus; ita quoq; tria vitia ei opponuntur; reſpectu monarchiæ, tyrannis; reſpectu Ariſtocratiæ, Oligarchia; deniq; reſpectu Democratiæ, ochlocratia.

Fuit forma Reipub. mixta principalis: supereſt forma Reip. mixta, minus principalis, i. talis, in qua miſcetur monarchia cũ ſola Democratia.

De hac Canon eſt:

Sicut duo extrema in rerum natura non facile copulantur, aut ſi copulantur, minus recte & firmiter copulantur; ita quoq; in ſtatu publico duæ extremæ formæ, nempe Monarchia & Democratia, non ſatis commodè, rectè & firmiter temperari poſſunt: nec extant huius formæ memorabilia aliqua exempla.

Idcirco non eſt quod hîc diutius immoremur, & ſi qua eſſent exempla huius formæ, de iis facillime iudicari poſſet tum ex ſimplici Monarchia & Democratia, tum ex rectiorib. & vſitatioribus formis

formis mixtis, de quib. cum, quantũ ſatis eſt, tractauerimus, idcirco generalem, i. præcipuam & maximè neceſſariam ſyſtematis Politici partem nunc concludemus, & de ſpeciali Politicæ prudentiæ parte vno poſt hac capite breuiter pertractabimus.

POLITICI SYSTEMATIS

Pars ſpecialis, vnico capite breuiter comprehenſa.

ABſoluimus diuino beneficio, generalem & potiſſimã ſyſtematis Politici partem; ſupereſt ſpecialis, & minus præcipua, in qua agitur de ſtatu Politico particulari, i. tali, qui particularibus & ſingularib. circumſtantiis, certorũ locorum, gentium ac temporum accommodatus, atque etiã propter illas ſingulares circumſtantias à ſtatu politico generali in nonnullis diſcrepat.

De ſtatu politico particulari hi Canones notentur:

1 *Sicut ſtatus Oeconomicus habet ſuas peculiares obſeruationes, in particularib. locis, temporibus & perſonis: alia n. eſt œconomia hominis plebei, alia nobilis, alia regis, alia eſt œconomiæ ratio in Italia, in Germania, in Polonia: ita quoq; ſtatus Polit. habet ſuas ſingulares & particulares determinationes, pendentes a circũſtantiis certorum populorum, locorum, temporum.*

2 *In diſtinctione iſta ſtatus Polit. generalis & particularis fũdata eſt diſtinctio iuris Polit. q.d' nẽpe aliud ius ſit cõmune, aliud particulare & municipale.*

3 *Arcana Rerump. quæ ſic vocantur, ad hãc Politicam ſpecialem pertinent.*

Arcana enim Rerump. ſunt particularia quædam inſtituta accommodata certis circumſtantiis perſonarum & locorum, in qualibet particulari Politia. Sic Romana Reſpub ſua arcana habuit Romano populo accommodata: Qualia quidẽ arcana collegit Arnoldus Clapmarius in libro, cui titulum fecit, *de arcanis Rerumpub.*

Porro Politia omnis particularis eſt vel vetus, vel hodierna.

Vetus iterum eſt, vel maior vel minor.

Maior iterum vel ad finem abſolutum directa, vel ad finem eminentiorem.

Ad finem abſolutũ directa maior Politia iterum eſt vel principalis vel minus principalis.

Principalis eſt monarchia quadruplex illa, nẽpe Aſſyriorũ, Perſarũ, Græcorũ & Romanorum.

Huc ergo pertinet ſpecialis tractatio de Monarchiis, & quæſtio illa, quam Bodinus mouet, *Vtrum ſint 4. Monarchiæ*: Quod quidem ille obſtinatè negat. Dreſſerus vero & Franckẽbergerus ſcriptis contra Bodinum in hoc argumento libris integris prolixè confirmant. Compendioſè de 4. Monarchiis ſcripſit Sleidanus, quem Meibomius eruditiſſimis explicationibus illuſtrauit.

Minus principales Politiæ maiores ſiue regna fuerunt Ægyptiacum, Macedonicum, Lydiorũ, Ponti & Scythiæ; Parthorum item, Gothorum, Vandalorum.

Vide de his Diod. Siculum, Herodotũ, & inter recentiores Munſterũ ac Crantzium.

Ad

Ad finem eminentiorem, nempe religionis, directa maior fuit Politia Iudaica.

De qua poſt ſacras literas videatur Ioſephus, & inprimis duo recentiores eruditiſſimi autores, qui de politia Iudaica ſcripſerunt, nempe Sigonius & Cornelius Bertramus, quibus & addi poteſt Guilielmus Zepperus de Politia Moſis.

Minores Politiæ veteres duæ ſunt, inprimis celebres & conſideratione digniſſimæ, Athenienſis & Spartana; quô referimus etiã Romanam, quatenus nõdum quartam monarchiã cõſtituit.

De Athenienſi Republ. multa Ariſtoteles in Politicis, multa etiã Plato & Xenophon ſcripſerũt, & Plutarch. inprimis. Sed omnia iſta præclarè collegit Sigonius peculiari libro de Athenienſiũ rep. De Rep. Spartana ſiue Lacedæmoniorũ Plutarch. ex profeſſo ſcripſit, & Xenophon ante eum, quæ omnia ex Xenophonte, Plutarcho & aliis autorib. diligenter ac iudicioſè collecta ſunt peculiari libro de Republ. Lacedæmon. quem Nicol. Cragius edidit; clariſſimus autem IC. & hiſtoricus Cuiacius, vt quidem audiui, ſcripſit. De Romana Repub. plurimi ſcripſerunt, qui per ſe noti ſunt.

Et ſic de veteribus Politiis: hodiernæ Politiæ ſunt vel Europeæ, vel Aſiaticæ, vel Africanæ, vel Americanæ.

Europæ Politia vel maior eſt, vel minor.

Maior eſt, vel Regnum, vel Ducatus, vel dominatus & Reſpub.

Regna Europæ hæc ſunt præcipua: Hiſpanicũ,

Germanicũ, Gallicũ, Vngaricũ, Anglicũ, Scoticũ, Polonicum, Danicum, Sueuicum, Neapolitanũ.

Ortelius in ſuo Theatro numerat 28. Europæ regna; ſed cõnumerat 14. illa quæ Damianus Goes conſtituit in ſola Hiſpania. Quocirca iſta omnia ad Hiſpanicum regnum referimus.

Ducatus ſunt vel maiores vel minores.

Ducatus maiores, ſiue magni ſunt Ducatus magnus Muſcouiæ, Ducatus magnus Florentiæ, & magnus Ducatus Lithuaniæ, qui regno Poloniæ eſt incorporatus.

Minores Ducatus ſunt vel liberiores, vel minus liberi.

Liberiores Ducatus ſunt principatus Germaniæ, & Italiæ; nã harũ duarum regionum principes liberiores ſunt.

Minus liberi Ducatus ſunt in aliis regnis, vt in Hiſpania, Gallia, &c.

Dominatus vero, qui nec regnorum, nec Ducatuum nomen habet.

Dominatus a. iſte qui nec regni, nec Ducatus nomen habet, eſt vel ſuperior, vt dominatus Papæ. Romani; vel inferior, & minor comitatus, Baronatus & inferiores Dynaſtiæ, *quas vocant Germanice* ein herrligkeit.

Reſpub. voco, quæ nec regnorum nec Ducatuum, nec dominatuum, atq; adeo nec comitatuũ, nec Baronatuum nomen habent.

Et hæ etiam ſunt vel maiores vel minores.

Maiores in Europa ſunt tres: 1, Reſp. Veneta,

confœderatæ prouinciæ Belgicæ, quæ iugum Hiſpanicū excuſſerunt, & deniq; Reſp. Heluetiorū.

Minores Reſpub. ſunt vel imperiales, vel non imperiales.

Imperiales ſunt Lubeca, Noriberga, Argentina, &c.

Non imperiales, quæ ſuis libertatibus quidē gaudent, ſed non ſub imperio Romano, vt hæc vrbs noſtra Dantiſcana.

Et ſic de Politiis Europæ: Politiæ Aſiaticæ ſūt vel in Aſia propiori, vel in Aſia interiori & remotiori.

In Aſia propiori, eſt imperium Turcicum. 2, imperium Perſicum; 3, imperium magni Cham, ſiue Tartaricum.

In Aſia remotiori & interiori, eſt imperium magni Magog; 2. Regnum Chinæ; 3, regnum Calecuthi; 4, regnum Iaponiæ.

Politiæ Africanæ præcipuæ duæ ſunt; 1, imperium Abyſſinorum, ſiue Presbyteri Iohannis; 2, regnum Feſſæ.

Alii diuidunt Africam in 5. imperia: 1. Barbariæ; 2. Nigritarum; 3. Guineæ; 4, Zanzibar; 5, Abyſſinorum.

In America celeberrimum fuit regnum Peru; ſed hodie notas omnes Americæ partes Hiſpania ſibi ſubiecit. ita vt de peculiaribus & liberioribus Americæ regnis ac dominatibus nihil magnopere dici poſſit.

Atq; hæc eſt breuis etiam delineatio ſpecialiũ ſiue particulariũ in orbe terrarũ Politiarũ: ad qđ argumentum pertinet totus lib. 2. Polit. Ariſt. in quo diuerſas & particulares Politias accuratè philoſoph. examinat. Pertinet huc libellus Heraclidæ Pontici, & fragmenta quædã Nicolai Damaſceni de morib. gentium: quos libellos Nicolaus Cragius addidit tractatui ſuo de Repub. Lacedemoniorũ. Pertinet huc nõ inutilis libellus Ioannis Bohemi de morib. diuerſarum gentium, item Coſmographia Munſteri, item liber tertius & quart⁹ voluminis 28. Theatri Zwingeri, in quo de ſpecialib. Politiis memorabiliter tractat. Deniq; huc referri debet lib. Politicę prudentię pleniſſimus, quem de præcipuis regnis Europæ, Aſiæ, & Africæ ſcripſit Iohannes Boterus Italus. Hi & ſimiles Autores legendi omnino ſunt iis, qui ex profeſſo ſtudium Politicũ tractare volẽt: Nec legendi tantum, ſed etiam ad methodum & locos communes dextros reducendi; quod quidẽ nũc, vt ſpero, difficile futurum non eſt, poſtquam *Syſtema Politicæ Prudentiæ* ſecundum artis Logicæ præſcripta adornauimus. Hoc Syſtema vt tantũ vtilitatis in publicum afferat, quantum in eo adornando anxii ſollicitiq; laboris ſuſtinuimus, id vero faxit primus ille & ſummus, & æternus Mõarcha, Rex Regũ, & dominus dominantium, qui ſolus regna & conſtituit, & transfert tanquã ſummus ordinis Politici & parens & vindex; cui ſit laus & gloria in omnem ſempiternitatem.

Finis Syſtematis Politici.

INDEX

INDEX TAM RERVM, QVAM VERBORVM, IN SYSTEmate Politico hoc, cum primis memorabilium, copioſiſſimus.

A

Abannung 115
Abbates 197 574
Abdicatio principis 425, 430,&c. regni 416,417
Abortus procuratus acriter vindicandus 176
Abſentia principis à regno 416
Abſtinentia 202
Academiæ 514
Ἀκαταστασία regnorum 117
Accipere omnium dulciſſimum 89
Accuſatio 293,551
Acies 453,494,495,496
Acinaces 476
Acquiſitio nobilitatis 335 per bella 505.regnorum 122 123
Acta inutilia 291.iudiciaria 291,325.tyranni 434
Actiones ad horologia cõponi ſolent 249
Actor 287,289,566
Actuarii 189
Actus bellici 486.iudicãdi ad actum regendi pertinet 75.iuſtitiæ primus quis 82. obſidionis 498
Adæquatio 336
Adæratio 335,336
Adiuncta belli 501
Adiutores magiſtratuũ 241. Principis in Eccleſiis regendis 518. rerũ in regno gerendarum 164
Adminiſter regni 145
Adminiſtratio iudiciorũ forenſium publica erit 300. regni talis eſt,quales miniſtri Principum 164. reip.ob venationẽ nõ negligẽda 99
Adminiſtri aſſeſſorũ 303 principatus 145.Principum qui 164,165
Admiſſio conſiliariorum 156,157,158
Adoptatio in familias alienas 260
Adrianus Imp. hiſtoriarũ amans 64

Aduenæ 263
Adulatores aulici 106. hoſtes veritatis, principis eiusq; regni ſunt 94. Imp. Cō ſtant gratiſſimi 170. ſubditos principū exhauriūt 106
Adulteratores monetæ 331
Adulteria grauiſſimè puniēda 204
Aduocati 241, 291, 303
Ædificia 226, 264, 318, &c. 336, &c. 354, 580
Ædiles 180, 185, 186
Ægri 254
Ægyptii cadauera mortuorum commodè vngere potuerunt 234, 411
Æmulatio 193, 213
Æquabilitas 87, 549, &c
Ærarium 91, 319, 328, 343, &c. 363, 374, 463
Æſopus 46
Æſtimatio patrimonii 338
Ætas 191, 456, 545. conſiliarii quæ eſſe debeat 160, 161. iuſta requiritur in principe 51. iuuenilis qualis *ib.* &c. nō tā reſpicienda eſt q̄ virtus 52. vſum rerum adfert 51
Affectio ſubditorum bona erga principem quid 128 vnde oriatur *ib.*
Affectus conſiliarii peſſimi 118
Affectus monarchæ quales eſſe debeant 55, &c.
Affines principis 370
Afflictio ſubditorum 435
Agendarii 384
Agens an patiente præſtantius 133
Ager è prato non faciendus 315
Agere prius eſt quam pati 30
Aggeres 190. 353
Agnati cognative primogeniti ad regnandū inhabiles tutores & curatores conſtituuntur 116. principis 370, &c, 400
Agri 185, 336, 501
Agricola 175, 185, 220, 251, 469, 500
Ahaſſuerus 77
Alchymia 361
Alea Martis 497
Alexander Magnus 53, 59, 70, 73. Achillis nō Paridis citharam voluit 98
Alexander Seuerus & pacis & belli temporib. hiſtoricis vtebatur 77
Alimonia 474, 475
Alimonia aulica 373, 374
Alphonſus, Arragoniæ rex 66
Altaria 295
Alutarii 251
Amaſis 209
Ambigua 264
Ambitio 512
Ameralius 574
Amicitia 215, 536. ſtudioſorum 194
Amicitiæ inter quos firmiſſimæ 193

Amiſſio armorum 484
Amœnitas ſyluarum & locorum ſimilium principi curæ erit 226
Amor liberorum erga parētes 132. principi debitus 396, &c.
Amor ſubditorum erga principē quam efficax 132. ſubditorum primus boni principis affectus eſt 56
Amyclæ 436
Anarchia 421, 430, 559
Angariæ 342
Angelus 407
Angli 510
Anglia 356
Anima ciuitatum 583. conſilii ſecretū 152. conſiliorum executio 164. corpori monarchicè dominatur 38. anima interdum reuiuiſcit 234. mala malè imperat 56
Anima excellens deforme interdum nanciſcitur hoſpitium 46
Animal nullum imperii tam impatiens eſt vt homo 65
Animalcula cœtū quendam ciuitatis imitantia quæ 10
Animi iniqui corpora habent deformia 43
Animi principum ſuſpicaces 168
Animus cultus corpori culto præſtat 96
Animus deformitate corporis non fœdatur 46. magnus fortunam magnā decet 94. ſtercoreus in corpore eburneo ſæpius habitat 46
Annales regni 324
Anni 348. climacterici 409
Annona 183, &c. Annonæ collectio 187. erogatio *ib.* & 189
Annulus aureus in mare per Venetos coniici ſolitus 312
Annus D. & DCC. cur reipub. fatalis 408. VII. & IX. 409. XXX. 410
Anſatici 391
Antiquitet-Kammer 327
Apennaium 115
Apes 10, 38, 45
Ἄπολις διὰ φύσιν 10, 18, 19
Apoſtoli 520, 530
Apparitores 282, 291, 295, 307, 364, 468
Appellatio 303, &c.
Apri 354
Aqua 311, 313. ſalſa quomodo dulceſcat 73
Aquæductus 190, 226, 313, 318
Arabes 420
Arbitri 405
Arbitria fouenda 287
Arbor 501. conſanguinitatis 256
Arbores glandiferæ 316
Arbuſculæ *ib.*
Arces 190, 355, 356, 357,

388,500,539,552,553.
Archiater exercitus 464
Archipincerna 238
Architectonica 321. Principem decet 74
Architectus 86, 226, 249, 318
Architalaſſus 510
Archiua 291, 325, 326, 327, 386
Arena 317
Areopagitæ 203
Ariſtocratia 32, 55, 540, 541, 542, 543, 544, 545, 546, 571, 572, 584, 586, 589, 590, 591, &c.
Ariſtocratici 551, 571, 590, 592
Ariſtodemocratici 582
Ariſtoteles an mundos plures eſſe crediderit 73
Arma 324, 447, 448, 449, 458, 459, 461, 472, 476, 482, 484, 506
Armamentaria 319, 324
Aromatarii 249
Arrogantia principi fugienda 95
Ars coquinaria 12
Ars imperii maxima ſine doctrina exerceri nequit 65. magiſtratus indirecta 342. rabularia 290. venandi nequiſſima 98
Artes 589. malæ 212
Artifex ſolus de artificio iudicat 65
Artifices 226, 249, 250, 251, 271, 282, 345, 473, 515
Artificia 381, 454, 455
Aſſeruatio redituum 343
Aſſeſſores 284, 303. 468, 485. 5. 1
Aſſyrii 420, 426
Aſtronomi 348, 515
Aſtus principē decēs quis 103
Aſyla 295
Ἀταξία regnorum 117
Athenę 436
Atomi 11
Auaritia principi deſpectum parit 90. prodigalitate pernicioſior 81
Auctoratio 455, 457
Aucupatio 349, 350
Auditio rerum bellicarum 453
Auena 475
Aues 310. pro exploratoribus 169
Aula 571 572, 573, 577
Aulæa 324
Aulici 372, 373
Aurifabri 251
Aurigæ 252, 467
Aurum mortuis addi per Athenienſes vetitum 233
Auſcultatores 424
Außbürgung 292
Αὐτάρκεια 205
Autores de educatione principis qui legendi 109
Authoritas 414, 454. collegii penes quē tota 262. Ephororum 568. iuuenum regentiū apud ſubditos nulla 51. legumlatoris mutatione legū viteſcit 142. noſtra ab auctoritate iurisdepēdet 82. opti-

optimorum 571. principis quanti momēti 222. in quo ſpectetur 148, 222. principū vnde dependeat 144
Autumnus 182
Auxilia 389, 390, 498
Auxiliatores 462

B

BAbylonii 180, 426
Baiuli 253, 467
Balnea 226, 314
Balbirer der Reyſigen 466
Baro 236, 279, 281, 533, 574
Baronatus 275
Baronia 22
Baſilides Muſcouius 61
Beatitudo ciuilis vel priuata vel publica eſt 1. Politica quid 23
Bartholom. Catta 45
Belgæ 508
Belgium 554
Belligeratio 486. huius partes 487
Bellum 426, 440, 441, 442, 445, 446, 447, 462, 503, 505, 507, 508, 509, 510, 511, 512, 524, 528, 530
Bellum, Germanicū per Carolum V. geſtū 81. iuſtum 123
Βέλτιον 37
Beneficentia naturæ humanæ accommodatiſs. 89
Beneficētia principis in de regno bene meritos magnū regni firmamētum eſt 9. publica debet eſſe 90
Beneficia principum lēta 399. regni primaria 572
Beneficarius 236, 243
Benemeriti remunerādi 277
Beneuolentia principis inconſtās 399. ſubditorum quā principi neceſſaria 128
Bernates ſunt ciues Geneuenſes 269
Beſtia peſtilentiſſima omnium quę 195
Beſtiæ feræ 310. non ſunt fallaces ob ſtultitiam 81
Bibliotheca 325, 326
Bibliothecarius 326
Bipennis 476
Blaſphemi 517
Bombardæ 358, 476
Bodinus 8, 560, 588
Bona 517. confiſcata 338. ereptitia *ib.* caduca *ibid.*
Bona cultui diuino cōſecrata num per principē profanari poſſint 351. defunctorum qualiter per principem hæredib. ſalua conſeruanda 230. fiſcalia 350. fortunæ inter fundamēta principatus cēſenda 53, 360. omnia tā animi quā corporis in principatū geſturo requiruntur 53. per naufragiū eiecta, nū principis littoris ſint 314
Bona publica 349. priuatis anteponendą 378, 402 repoſita vniuerſitatum 264
Bonum ciuile 513, 514
Bonum quoduis eſt con-

ſeruatiuum 24. reipublicæ ſummum quod 24
Brachia viam monſtrātia 346
Brandſchätzer 464
Breuitas vitæ 587
Brückenmeiſter 467
Brunſwiga 26,250
Bucephalus 53
Büchſenmeiſter 467
Bürger Recht groß vnd klein 269
Bulla aurea Caroli IV. 66,67,116
Burggrauius aulæ 372

C

Cadauera 182,234.496 500
Caduca quæ 338
Cadmus 295
Cædes 501
Cæſio per virgas 299
Cain 12
Cainon *ib.*
Calculi 553
Calendaria 348
Calones 468,473
Calores exceſſiui 353
Calumniæ inſignes inſigniter puniendæ 211
Calx 317
Cameli 474
Camera Imperialis 303
Camerarius 238
Campanæ 349
Cancellarius 166,240
Candelæ 354
Canes 309,474. inuiti ad venationem non ducendi 57
Canis timidus latrat vehementius, quàm mordet 96
Canon frumentarius 337. metallicus *ib.*
Canones de cura vel regimine Principis generales 131
Canonici 574
Capita familiarum conſtituenda 257
Capitaneus 166,241,452, 461
Capitatio 340,&c
Captiuitas 297,502
Capitulum 566
Captiuus 502
Captus ib.
Caput Principis nidus curarum 171
Caput Reipublicæ quod 48
Carceres 291,&c.319. ius Carcerum 292
Caritas annonæ magna vnde in Turcia 220
Carnes 181,202
Carnifex 301,&c.
Carolus Calabriæ Dux 49
Carolus IX. Galliarum Rex 94
Carolus Princeps Iuliacenſis 109
Carolus V. 40,81,391 508
Carpentarii 456
Carptor 368,372
Caſimirus Poloniæ rex 189

Caſ-

Caſſides 470
Caſſubii 228
Caſtigatio 486
Caſtra 453,464,484,490 491,500
Κατάσκοποι 168
Cato medicos è republ. eiecit 180
Cauponæ 251
Caupones 201
Cauſa belli iuſta quæ 445,&c.
Cauſæ criminales 581,591 &c. cur Politica diſciplinarum omnium ἀρχιτεκτονική vocetur 4,5. immunitatis 281,399. maieſtatis principis 129,130. mutationum in republica 406,&c. 411. odii ſubditorum in Principem 129. Principem principatumque efficientes remotæ 40. regni propriæ 109. ſanitatis 179. ſeditionis 435
Cauteria 299
Cautiones duæ circa Principis exploratores 167
Celeritas conſiliorum 454
Cellarius Principis 372
Cenſores 208,304,305, 306,307,308,581
Cenſura 304, &c.
Cenſus 338,545,552
Centumuiri 582
Centuriæ 549
Ceremoniæ 517
Certamen ſingulare 493
Chaldæi 411,420
Chiromantici 375
Chirurgus 466,467, 471
Choreæ 206
Chriſtiani, Iudæis goiim, impune occidi poſſunt 181
Chriſtus 510,530
Cibus 182,&c.
Ciconiæ 310
Cicuta 300
Cingulum militare 457
Circumcelliones 180, 181
Circumforanei 180
Circumſtantiæ iudicii forenſis 268
Ciſternæ 313
Citatio 293
Cithara Achillis Imperatorem decet 98
Ciuis 173,263,267,268, 269,270,461,515,582,583, 584,&c.
Ciuitas beata 23. interit vbi magiſtratus præeſt legi, nō lex magiſtratui 82. obiectum Politicæ 2. quæ durabiliſſ. 206. legib. malis vtens cōſtanter ob quid bonis vtente felicior 143
Ciuitates Anſaticæ 391.
De ciuitatibus plura inuenies paginis ſequentib. 17, 18,263,266,271,272,274, 356,357,576,577,580,582, 583,592

Clades 49,703
Clarigatio 450
Claſſis 510.549
Claſſis Hiſpanica aduerſus Angliam miſſa 151
Clemētia virtus eſt principum propria 105,106
Clerici 378
Clibani 337
Cliens 403
Cloacæ 180
Coci principis 368,372
Cœlum 411
Cœmeteria 235,351
Cœtus 261,368
Cogitata optimè, cadunt ſæpenumero peſſimè 153
Cognati principis 370, 371.400
Cognomina non temerè mutanda 258
Cognitio rerum ſingularum conſiſtit in minimis 13
Cohors 468,469,472
Collatio 333,334,335,336, 338,340
Collectio annonæ 187
Collector redituum 344
Collegia 195,199,261, 262,549,551,582,584 589
Colonia quando ducēda 174,176
Coloniæ 272,505
Columbæ 10. literarum delatrices 383
Comes 236,279,533,574
Comitas 212. principis quid 106
Comitatus 22,275
Comites legatorū 385.limitanei 346
Comitia 154.155,156,391, 550,570,571,572,592
Commeatus 474,475, 481,487,498,510
Commercia 246,390
Commiſſio regni extraordinaria quæ 122
Commodus 62
Comœdi 201,363
Cōmotio exercitus 488, 491
Commune 558
Communicatio inter collegas collegiorum, quarum rerum ſit 262
Communio arctiſſima familiarum Romanarum 258. inter homines violatis pactis tollitur 92,93 pagana 264. magis ciuilis quæ 260, &c. ſubditorū 256. vniuerſalior 263. ſubditorum maior 274
Comparitio 293
Competitores 553
Compotationes prohibitæ 203
Compromiſſa vtilia 287
Conchylia 312
Concilium 148,149,154 566
Concionatores 391,558
Concluſio iudicati 293
Concordia 225,301,388, 535,555
Conditio regni Anglici quę 43. item Scotici ib.
Conflictus 491
Confuſio actionū in republ.

publ.vnde 348, 349. ſtatuũ reip.vnde 243
Confuſiones 539
Confœderati 461
Cõgiarium populo quãdo dandum 126
Congreſſus leonum 359
Coniuges ciuium 267
Cõiugia 215. qualia quibusq; per principem concedenda 175, &c.
Coniuratio 439
Cõiux princip. 369, 400
Connexa belli 501. excubiarum 482
Cõnexio inter Ethicam, OEconomicã, Politicam 1 non interrumpenda 117
Cõquiſitores militis 455
Cõſcientia principis qualis eſſe debeat 59
Conſcriptio militis 455
Conſenſus ſubditorũ tacitus in ſucceſſione principis ſufficit 114
Conſequentia belli 503
Contractus primò volũtatis, pòſt neceſſitatis eſt 115
Cõſilia 454, 537, &c. 541. &c. bellica diuiſa, principibus Germanis cõtra Carolum V. bellũ gerentib. obfuerunt 34. calida & audacia, ſpecie prima læta, tractatu dura, euẽtu triſtia ſunt 162. &c. mala plerumq; recidũt in authores 148. morâ valeſcunt 163. principi ſæpè rapiẽda potius, q̃ capiẽda 102. reip. ſunt celanda 35
Conſiliarius non euentum, ſed fidem præſtare debet 153
Conſiliarii 145, &c 160, &c. 241, 345, 401, 414, 463, 518, 539, 563, 568. multi cur principi ſint habẽdi 151. principis obtuſine an acuti ingenii eſſe debeant 152. ꝓprietates conſiliarii boni 160
Conſilium 146, 479, 482
Contagium 182, 183
Contemplatio actione virtutis moralis præſtantior 27. ciuilis *ib.*
Contemptus imperio quã maximè aduerſatur 88. principis q̃ peſtilẽs ſit 130. vnde oriatur idem *ib.*
Conteſtatio litis 293
Continentia 213
Contractus empt. & vẽditionis nobilib. non interdictus 244, &c.
Contributio extraordinaria 340. modi eius varii ib. *Vide etiam pag.* 399
Cõtrouerſia 286, 287, 405
Contubernium 417, 472
Contumacia 415, 484
Contumelia 557
Conſiſtorium appellationum 304
Conſpiratio 224, 397, 439
Conſtitutio cenſorũ 305
Conſtitutio vrbium iuris gentium eſt 10
Conſtitut. incẽdiariæ 354
Conſuetudo 142, 406 mortuos in vrbibus, earũq;

templis, ſepeliendi quando cœperit 233
Conſules 579, 583
Cōſultata lentè feſtinãter exequenda 164
Conſultatio 149, 154
Conuenticula 397, 438. elandeſtina nō permittēda 261
Conuentus 261, 551, 584 589, 590
Conuitia, agnita videntur; ſpreta, exoleſcunt 94
Conuiuia 212, 334 quædam ſubditis permittēda 228
Copiæ auxiliares 481. ſubſidiariæ 495
Cor ocioſi cui ſimile 210
Corona mil. 485
Corpora iuuenum delectorum qualiter exercenda 197
Corpus animi pulchritudine ornatur 46. auguſtum perſonā principis auguſtā decet 43. ciuitatis aut principatus 263. robūſtū & ſanū rebus gerendis aptiſſimum 52
Corruptela morum 377
Corruptio hoſtium 480
Creta 588
Crimen læſæ maieſtatis 223
Criſta 477
Crux 301
Cubicularii 166, 238, 372 467, &c.
Cultura diſciplinarū omnium à iuuentutis educatione dependet 5
Cultus diuinus 516
Cunctatio 482
Cuniculi 499
Cupediæ 202
Cupediarii 182. 201
Cupido diuitiarum quátum mali cauſetur 206
Currus 323, 324, 477
Curſores 342
Curſus ſolis duodecies multiplicatus 409
Cuſtodes carcerum 291, 468. corporis principis 48, 166, 306, 368
Cuſtodiæ 291, 563
Cura aulica 367 368. legis politicæ triplex 139. legū interpretandarum & abrogandarum 141. obſtetricum & delectus etiam Principi incumbit 176. partis curā totius reſpiciet 194. peſtis 182. principis ad vitam ſubditorum commodam, honorificam & iucundam pertinēs 225, &c. principis circa mortem & ſepulturam ſubditorū 229. principis circa ſubditorum natiuitatem & educationem, 170, &c. Principis de Republica poſt mortem eius futura 393, &c. principis erga exteros 374. Principis erga ſubditos in ſpecie 352. Principis minus princeps 309
Cura magiſtratuum mixtæ

xiæ 560. ſtatus Democratici 551,&c.
Curatores prodigis conſtituendi 363. mercatorum 271.
Curia regni vbi habenda 156. ſenatoria 319
Curiæ iudiciales 291
Cygari 375.&c.

D

Damna 501
Dani 591
Dantiſcum 269
Danubius 313
Dapifer 238
Dardanarii 188
Dardanus magus ibid.
Darius 121
Deceptiones 212
Decimatio militũ mortem meritorum 285
Decoctores 361
Decuriones 468, 469, 471.
Decus imperii ſummum ad exteros non perferendũ 47
Deditio 487,499
Dedititii 392,505
Defendere naturale eſt 442
Defenſio 422,528. patriæ per ſe ardua 244. per Principem ſubditis eius debita 352,&c.
Defenſores 563
Definitio ciuis examinata 263,&c.
Deformia veteribus deprauata & inauſpicata fuerunt 44
Deformis facie mores bonos vix habere poteſt 45
Deformitas oris & corporis gloriam virtutis imminuit 45
Delator nullus fidelis 169, 424
Delectus iuuentutis inſtituendæ per magiſtratum habendus 198. principi habendus in omnibus 102
Delicta militum 484
Delphinus regni quis Gallis 116
Demagogi 436,558
Demetri⁹ Moſcouita 144
Democratia 541,544,547 548,549,554,555,556,557.
Democratici 590
Democraticum quid 214
Demolitiones 501
Deportatio 298
Deprædationes 364,501, 502
Deriuationes fluminum infauſtæ 312
Deſcriptio collationis 335,337
Deſertio pugnæ 484
Deſignator equeſtriũ diuerſoriorum 469,471
Deuotio Italica 348
Deus legis à monarcha violatæ ſolus eſt iudex 84. monarchicè regit 38. quare ſummus monarcha 114
Diadema principis nõ ſerico ſed ſpinis ſuffultũ 171

Dictator 452
Dies 348
Diffidatio 450
Diffidentia principi neceſſaria 102
Digeſtores 325
Dignitarius 236,243
Dignitas Ephororũ Lacedæmonicorum 194
Dilationes 291
Dimiſſio exercitus 506
Diſceptatio litigãtiũ 293
Diſciplina 274,458,517 519. aurigarum & nautarũ 252. bellica quam præſtãs 5. militaris 454,482. &c. operatrix quatenus principi diſcenda 74. Politica quãti momenti ſit 4,5. publica priuatæ præſtat 193. quælibet è generalibus & ſpecialibus conſtat 75
Diſciplinę inſtrumentariæ 67
Diſcordia 480,539,546, 555
Diſpenſatio redituũ 345
Diſputationes de religione ſubtiliores 524
Diſſectio hominis in partes 301
Diſſenſio ſubditorũ 439
Diſſenſiones in religione 523,524,526,530
Diſſimulatio 102, qualiter cum veritate nõ pugnet 93
Diſtinctio inter ſubditos principis ſeruãda 243, iudicum 288, mercaturæ 245, perſonarũ in xenodochiis inſtituẽda 255, redituum 343, Ariſtocratiæ 541,543
Diſtributio exercitus 471 prædæ 504, præmiorum & ſuppliciorum non minimũ reipubl. fundamentum 276 277
Diſtrictus 22, 187, 275, 302,320,321
Ditiones 587,588
Ditiores 557,558
Diuerſoria 252,375
Diues an pauperi præferendus ſit in magiſtratuum demandatione 53, &c.
Diuiſio vel diſtinctio belli 507. democratiæ 548,554. iudiciorum 293
Diuitiæ 545, 552. nimiæ quid cauſentur 54
Docti principi debẽt eſſe cari 91
Doctor 279 nouus àb Hetruria, i. *Machiauellus* 95
Doctrina cæleſtis 518. cũ modo habenda 66. quantarum vitium ſit 65
Dolus 48,478
Domicilia 318. puellarũ inſtituendarum 199
Dominatio multorum bona non eſt 38
Dominatus paucorũ 545. Venetiarum maximus 588
Domini magni plerumque pendent à nutu certorum quorundam 145.190
Dominia diſcõtinua nõ erũt 274. ſingulorũ ſunt 360

Domi-

Dominicani 233
Dominus 216
Domus 217.&c.non vio-
anda 364. è domo propa-
ata 15
Domus ob quid inter ſo-
ietates politicas non refe-
endæ ſint 14.vna politiam
ion facit 7
Dotes animi dotibus
orporis præferendæ 45
Ductio exercitus 488
Duplares 473
Duplica 293
Dux 236, 275 279,480,
481, &c 492, &c. 495 &c.
574.belli 451,453, &c. exer-
citùum generalis 166,240
Dux Florentinus 371. Ve-
netus 575,577
Dynaſtia 275
EBrietas 203, &c.
Ebrii ibid.
Eccleſia per Tyrannos
deſtruitur 429
Eccleſiaſtici 281
Edicta principum 60
Educatio 190, &c.iuuen-
tutis in publico fiet 195.
Principis in quibus conſi-
ſtat 107, ſpuriorum 177.
Eductio exercitus 487,510
Effœminati 415
Elbinga 269
Electio 117, &c. 553, &c.
557, 571, 572, 578, 5 1, &c.
cōſiliariorum 156, &c.mō-
archiæ imperfectæ cōueni-
entior eſt 114. principis an
ſorti cōmittenda 119. prin-
cipis digniſſimū quærit 112.
principis eſt cōſtitutio ar-
tificialis 110.principis num
curſibus equorū, certami-
nibusve ſimilibus cōmittē-
da 121.ſine libertate eſſe ne-
quit 118. ſucceſſione antiq-
or eſt 113
Electores 118
Eleemoſyna 218,228
Elephanti 474
Eligere quid 113
Eligibilia 549
Eliſabetha Angliæ regi-
na 68,151, 393
Eloquentia 12, principi
neceſſaria 70
Elterleut der Zünffte
262
Eluuiones maris & flu-
minum 314
Emanſio mil. 484
Emeriti 456
Emiſſarii 471
Emporia 226,247
Encomium eloquētię 12
Enſifer 238
Enſis falcatus 476
Epaminondas 59
Ephori 549. 587. Lacedæ-
onici 194
Ἐπιβολή 336
Ἐπικεφαλία 331
Epicurus 11
Epiſcopus 566
Epiſtola 324, 382&c.
Epulæ publicæ 91
Eques 279,458, &c.465.
peditibus multis præſtat
10

Equi 309,310,474
Equilia 310
Equiſones ibid.
Equites 495, Rom. mercaturā exercere potuerunt 143
Erbbuch 337
Erbverbündnuß 122
Erogatio annonæ 187,189. pecuniæ vel pecuniam valentis 399
Erogatores 189
Errones 181,375,&c.
Errores in præcepta Politica cōmiſſi piculoſi 5.
Eſau 100
Ethica 79
Euangelium 521,529
Euentus Democratiæ & Monarchiæ 556
Euerſio regnorū vnde 54
Exactio 332,333,334,337, 399,414,435
Exæquatio bonorū 217
Exaſperatio pœnarum Deo inuiſa 300
Exceptio litigantium 293
Excubiæ 474,482
Excuſationes iuſtæ, quæ à magiſtratu ſuſcipiēdo excuſent 58
Executio criminaliū 296 297. iudicati 293.iud. mil. 485.legum iudiciis & cenſuris fit 145
Executor rerum cap. 468
Exemplū principis malū quāti mali cauſa ſit 60. torturarū in ſacris nullum 296
Exequiæ principi præſtādæ 417
Exercitatio præceptis frequentior erit 69
Exercitia militaria 447
Exercitium corporis ſanitati conducit 98,&c.
Exercitus 446,472,488, 489,497,510
Exilium 297,&c.
Exploratores 167,&c. 295, 307,358,375 376,479
Expugnatio 499,500
Exectio linguæ 301
Exteri 186,414,582
Extirpatio 503
Extranei 263,379,405
Ἐξωλικοθεμέϊον 326

F

Faber lignarius 86
Fabri 456
Facetiæ principis 96
Facilitas audiētiæ in principe quid operetur 103
Facinora Brunſwicenſium præclara 26
Facinoroſi 297, &c. 365, 382, 388 vbi ſepeliendi 235. inſepulti nō relinquēdi ib.
Facta regū rumori obnoxia ſunt 60
Factiones 225.373,404, 439,440,512
Factores mercatorū 271
Fama malum, &c. 61. ſubditorum per principem aſſerenda 358,359
Fames 185, 187, 188, 189 354,481,&c. 498
Familia 256,&c. 259, 260. 431,

431. cuiq; ſua magni faciēda 158. quæ per mulieres regitur, nunquā felix eſt 41. vna politiam non conſtituit 7
Familiæ 404. per quid extinguantur 217
Familiaritas nimia contemptum parit 95,399
Famulus 216
Fatina 188
Faſti 348
Fauor aulicus 399. principum lubricus eſt 150
Fecialis 450,464
Feldmarſchalck 465
Feldwebel 470
Felicitas 454. ciuilis vel priuata vel publica eſt 1. Imperii vnde pendeat 65. nimia 435,436. principis quæ 129. vnde proficiſcatur ib.
Ferre leges ad iuſtitiā principis iudicialē pertinet 104.
Feudum 236, &c.
Fewerordnung 354
Fidelis ero Domino vero meo 236
Fidelitas ſubditorum erga principem 222,396,397
Fides 507,523,525,526. an hoſti data ſeruanda ſit 92. temp. quam maximè continet 92
Filii electorū cur in linguis variis inſtituendi 66, 67. Herculis 178
Filius 395. è primogenito iure primogenituræ patruo præferendus eſt 116. regni ſucceſſiui vtiliter à patre adhuc viuo prorex conſtituitur 116
Fines agrorum non mouendi 315
Finis bellorū quis eximius 506. cibi aſſumendi quis 25. eminentior monarchiæ 513. politiæ abſolutus quam neceſſarius 26. rei cuiuſque natura eius eſt 18. politicæ 24,25,27,28. redituum colligendorum 345, reipublicæ 29. ſtatus Politici 122.
Fiſcalis 345
Fiſcus 314,344
Fiſtula 477
Fiſtulator 471
Flagellatores annonę 188
Flexus conſiliariorum obliquus 162
Florentini 225
Flumina 226, 312, 349, 498,150
Focus 354. proprius cuique chariſſimus 322
Fœmina 159
ab officiis ciuilib. remouetur 41. ad imperium admiſſa aut nubet aut cælebs erit 42. ſed vt hoc, ſic & illud incōmodiſſimè poterit *ib.* num ad reipubl. gubernationem admittenda ſit 40. nō niſi extraordinariè gubernat 40.41. virtutibus imperandi ſingularib. inſtructa, ab imperio non eſt arcenda 42
Fœminæ 500. inuentæ

quæ curis virilib. vitia fœminea exuiſſent 43
Fodinæ metallicæ 317
Fœdifragi 392
Fœdus 389,390,&c. 462
Fœneratio 221
Fœnum 475
Fœnus animi funus 221
Förſter 317
Fontes 226,312,313
Fontes legum vndenam deriuentur 73
Fora 186,247
Forcipes igniti 301
Forma aciei. 494,&c. caſtrorum 490. legum ab executione pendet 145. negotiationis 247. ordinis antecedentiū & conſequentiū cōnexio eſt 117. reipubl. è formis trib. mixta quib. vrbib. præcipuè cōpetat 587. reip. Lacedæmoniorum 587,592. reip. monarchia num cæteris præſtantior ſit 37. reip. quæ præſtantiſſima 37
Formæ reip. mixtæ 559, 560,561. Vide *De formis reip.* 32,&c. 555,&c. 590
Formicæ 10
Formulæ principis inaugurandi 124,&c. ſalui cōductus 525
Fortes p principē beneficiis afficiendi 91
Fortitudo 210, 211, 415, 442,444,453,&c. cum primis principem decet 88
Fortuna 421. cōſilio non præferenda 120. ſubditorū principi curanda 358
Forum iudiciale 286
Foſſæ 18,314,356,464
Foſſilia 317
Foſſores 467,477
Fouere delationes quid indicet 168
Franciſcani 233
Fratres principis 370·400
Fraudatores & flagellatores annonæ 188
Fraudes 212,362,557
Frigora immodica 353
Fronsbergius 457
Frugalitas 202 204
Fruges 315,501
Fruitio aliqua p̄ter immunitatem alia 280,282
Frumentarii 282
Frumentum 188,189
Frutices 316
Fürſchneider 372
Fuga 183,484 497
Fulmina 353
Fundamēta belli primario dicti 440,442, &c. mōarchiæ remota principalia 55. principem principatūq; conſtituentia 40, 43, regni propinqua 109. reip. 191
Fundi 336,&c.
Furirer 342,469
Fures an ſuſpendēdi 284
Furni 337
Furta 212
Fußangel 121,495
GAleæ 476
Galli 529
Ganeæ 424
Ganeones 22

Geleits Recht 376
Genera acquirẽdi cur in republ. debeãt eſſe varia & diſtincta 220. bonorum tria 514. fœderum octo 392. imperfecta 441. iucunditatis publicæ duo 228. redituum Romanis tria fuerunt 343
Generatio ſobolis à Lycurgo cum primis cõſiderata 157
Geneuenſ e ciues ſunt Bernates 269
Genius 407
Gens 15, 22. Fabiorum 257 Morauiorum in Scotia *ibid.*
Gentes 418. barbarę 124. externæ 462. nullæ plebeiũ quendam euehunt 50. pleræque omnes ſibi monarchas præfecerunt 38 totæ ob libidines ſæpè deletæ ſunt 205
Genus hominũ triplex regno cuique neceſſarium quod 244
Geometræ 515
Gerere bellũ, Principis eſt 443
Gerichtsbücher 581
Germani 301, 420
Germanicus arrogantiæ fugiens 95
Gibellini 225
Gladiatoria 358
Gladius 476 iuuenis vmbra ſenis inualidior 51, &c.
Globi ignei 510. tormentarii 476
Gloria obſequii fœminis ſufficere debet 41. regis in quo ſita 321
Glückstopff 361
Gordius Phrygiæ rex 121
Gothi 420. regem ſuum iuuenem in literis erudiri noluerunt 64
Gradus delictorum iudici debent eſſe noti 294
Gradus excellentior bonum auget 25. excubiarum 482. iudicii 581. nobilitatis 259. pœnarum obſeruandi 284. prout delictorum *ibid.* ſenatorum 579
Græci muſica valdè fuere delectati 98, 420
Granaria 187, 319
Grandines 353
Gratiæ ſolennes 503
Gratitudo 211
Gratulationes 504
Grauitas in geſtib. principi maximè decora eſt 95
Graue 346
Grues 10, 38
Grundzinß 337
Gubernacula regni viro nõ fœminæ, committũtur 369. reipubl. nũ iuueni cõmittenda 51
Gubernatio 36, 51, 52
Gubernatio aulæ principis 367. reip. vnde æſtimetur 349
Gubernator 10
Guelphi 225
Gymnaſia 195, 319, 424
Gynæcæum 69

HAdrianus Imperator quomodo remp.ſegeſturum promiſerit 57
Hänſe Städte 390 391
Hæredes Principis depoſiti 431
Hæreditates peregrinorum, num iure, vel in totũ, vel ex parte fiſco principis cedant 337
Hæreticus 522, 524, 525, &c.
Haleces Sconienſes 312
Halitus è cadauerib. ſepultorũ prouenientes 230, 231
Haman 77
Hannibal 504
Harpagones 510
Haſta ſimplex 476
Haſtiludia 98
Häuptmañ der Schätzbawren 467
Hauſzarme 255
Heerpaucker 466
Ἡλικία 194
Heluetii 270, 551, 555
Henricus Brunſwicenſis 62
Hercules 178
Heroes 410
Herus 216
Hilares ad dandum procliues 228
Hiſtoriæ Principi vtiles ſunt 77
Hiſtorici duo vel tres ad latus principis eſſe debent 77. ſeculi præſentis quam ſint elegantes 63
Hofgericht 303
Hollandi 508
Homagium 222, 396
Homicidæ 296
Homines an ab initio ad inſtar pecudum in campis vagati ſint 12, 13
Homines Dei filii ſunt omnes 178. equis indomitis ſimiles 172. cui maximè repugnent *ib.* vt ſint ingeniati 393
Homo ab homine nõ niſi ſapientiſſimo regitur 65. beſtiæ collatus 138. cur cõditus eſſe videatur Cardano 81. homini fœtere nequit 213. natura animal eſt politicum 9. quæ ꝓpria habeat *ib.* & 10, 13. plãta inuerſa 175. præſtans vnus facilius inuenitur quam multi 36
Honeſtum vtili ſemper præualebit 28
Honoraria 345, &c. 485
Honoratiores 557. 591
Honor debitus coniugi principis vita functi 400. principi debitus 397, &c. ſubditorum per principem defendendus 359
Honores 278, &c. 379
Honorius Imper. 81, 295
Horæ 348
Horologia 348, &c. 394
Horrea 187, &c.
Horti 315, 317, 334, 501
Hoſpes ingratus 211
Hoſpitalia 255

Hoſpi-

Hoſpitalitas 212. principem decet 92
Hoſpitatio 340,341
Hoſpitia 251,375,377,380,&c.
Hoſticum 488
Hoſtis 355,486,491,493,454,502. in regnum non admittendus ſi prohiberi poſſit 151
Humationes ſub dio 232
Humilis eleuatus valdè aſper eſt 112
Hunni 420
Hyberna 490

I

IAcobus VI. Scotiæ Angliæque rex 71,99,117,393
Iactura formæ tolerabilis eſt, ſi virtus adſit 45
Iacula 476
Ianizeri 460
Ictus 294,479
Ἰδιοβουλητοί 148
Idioma patrium 402
Ieiuniũ Germanicũ 348
Ieſuitæ 379
Ignes ſuccenſi 11,504
Ignarus literarũ homo non eſt, nedũ princeps 66
Ignotum omne hominib. magnificum eſt 95
Illegitimi 178
Imbelles 415
Imbres 353
Immorati reip. nocẽtiores ſunt indoctis 199
Immorigeri 298
Immunitas 280,281, &c. 381,398
Imperator 458,460,540. Turcicus fratres cõtra naturam ſtrangulat 370
Imperaturus omnibus, ex omnibus eligendus eſt 113
Imperia 413.419. vrbium prima monarchica fuerunt 39
Imperium 535,538, &c. conſulare Romanum ſolis annũ XLIII. agẽtib.cõmitti ſolitum 52.cuiq; digniſſimo tribuendũ 112.in barbaros vi obtentũ quatenus iuſtũ 124. melius beneficiis q̃ armis cuſtoditur 89. Polonorum an Ariſtocraticũ ſit 591.fœminarum iuri tã humano, quam diuino repugnat 41.fœminarũ manutẽtum 42
Imperiũ fœminarũ pœna diuina eſt 41
Impetus heroicus principi neceſſarius 107
Impoſitio nominum 258
Impoſtores 360,517
Impreſſio 491,493
Improbitas in forma egregia raro comperta 45
Impudentia 21[illegible]
Inauguratio principis 125
Incendia 353,354,412,,501 509
Incendiarii 354,464
Inceſſus principis erit tardus 95
Incola peregrino præferendus 160

Incolæ 461
Incōmoda ex hoſtis contemptu 454. ex iure primogenituræ mutato 115
Indi Catheam incolētes 45. num iuſtè per Hiſpanū ſubacti 124,&c.
Indicatio familiæ 335
Indices 325
Indicia ciuitatis ægræ quæ 204. læta victoriæ 504. tyranni 423,&c.
Indictio belli 450
Indigena 405
Indigentia 398
Indiuiduum ſpeciei non præferendum 133
Indoles regionis ſuæ nota debet eſſe Principi, feliciter ei præeſſe volenti 65, 73. tyrannorum quæ 212
Induciæ 507,&c.
Induſtria 453
Infamia 2?9
Infans regni Hiſpanici more quis 116
Infantes 179,398,500. mutili num ſint abiiciendi 176
Infidelitas 415
Influxus ſyderū 411
Ingenia omnium non omnibus apta ſunt diſcendis 198,&c.
Ingenium exploratorū 168. hominis 586, &c. ſpuriorum 177
Iniuriæ 399. intolerabiles vnde 54
Inobedientia 415. liberorum & ſeruorum 506
Inquilini regni 173,269, 270,461,582
Inquiſitio facinoroſorum 295,&c.
Inquiſitores 524
Inſani 255
Inſidiæ 368,391,480,&c. 495
Inſignia 127,259,279,379 464
Inſolētia quid cauſetur 54
Inſpectores granariorū 187
Inſtigatores 295,307,547
Inſtitores ſerici & panni 249
Inſtitutio iuuentutis 192 193,&c. morum inſtitutioni virtutum intellectualiū præferenda 199
Inſtructio aciei 494, &c. pro legato 385
Inſtrumenta 136,323,&c.
Intellectus 101
Intemperantia 306, 413 literarum diſcendarum reprehenſa 66
Interceptio 481
Interceſſiones 529
Interitus reip. 512
Interregnum 111,117,417
Interruptio belli 507,&c.
Interualla imperiorū 408
Inuentio conſiliorū impeditur inter multos imperantes 33
Inuerecundia 21
Inueſtitura 126
Inuidia 213,552

Inuiti quando ad magiſtratum gerendum cogendi 58 ſtimulis ad bene agendum carent 57
Inũdationes 353,412,&c.
Inuſtio cauteriorum 299
Ioci Principis 96
Ioſephus 180
Ira principi cohibẽda 94
Irritamenta vitiorũ 200, 201
Irruptio 499
Ἰσονομία 549
Iſthmus 313
Itinera 246,345,&c.
Iudæi 360,379,&c.
Iudicare 66,75,287
Iudex 287,&c. 302, 463, 485,539,578,581
Iudicia 288, 405, 414, 484,539
Iudicium 276, &c. 285, 286. 302,304,&c.
Iudicium de cõtrouerſiis ſine doctrina fieri nequit 64
Iugatio 340
Iulianus apoſtata cur *Græculus literio* dictus 69
Iupiter nec canit, nec citharam pulſat 98
Iura amoris & ſtorgarũ 257,&c.
Iura bellorum 487. ciuitatum 271. municipalia 578
Iuramentũ 457, &c. 525 565,578,582. fidelitas 222.
Iuriſdictio principis gratè agnoſcenda 520
Iuriſdictiones 533,537
Iuriſprudentia politicæ ſubordinata 293. principi neceſſaria eſt 75. Romana cur hodie pro generali habeatur, 76
Ius carcerum 292. ciuitatis 267, 269. cõmerciorum ob quid introductum 246. feudorum 257. magiſtratus in ſubditos 395. maieſtatis principis quod ſit, tam in genere quã ſpecie 130, &c. 516,520. naturæ 528.536. primogenituræ 115. reſiſtentię 429.
Iuſtitia 276. &c. diſtributiua principem decet 89. iudicialis à diſtributiua quid differat 104. principi cura ſingulari adminiſtrãda 282 vniuerſalis principem ornat 81
Iuuenes an in conſilium ſint admittendi 160. multi ſunt animo ſenes 52. quare gubernationi præficiẽdi *ib.*
Iuuentus 2,191,194,516
Kammerjungen 372
Kredentzer *ibid.*
Kriegs Räthe 463
Küchenmeiſter 372
Kürſer 459

L

Labes animi deprauati quo tegatur 46
Labor conuenit viris 96
Lactatio 179
Lacus 311 314
Landgrauius 230, 346, 389
Lapidatio 300,&c.

Lapides limitanei 317, 388
Lapicidinæ 317
Largitiones immodicæ principi fugiendæ 91
Laſciuia cohibenda 206, 207
Latio legum ad dignitatem regiam pertinet 83
Latrones 8,355,358,479
Latrocinia 364, 507
Lautia 385
Lazarus Suendius 194
Lectio rerũ bellicarũ 453
Legata 338
Legati 384,&c.
Legationes 464
Leges 187,519. cur degenerare non poſſint 82. eleemoſynarię 254. hoſpitaliũ & xenodochiorũ 255. maiorum an mutãdæ 142. pœnariæ 432. politicæ 136,137. pro Iudæis 379. pro libitinariis 233,&c. regni fundamẽtales 433. ſumptuariæ 204. veſtiariæ 207. veteres quo reſpectu non mutandæ 143, 144
Legiones 472
Legislator idem cũ principe hodie eſt 140
Lehnsleut 580
Leibsgeding 339
Lenones 201,252
Leuitas animi è veſtitu perſpicitur 208
Leutenant 465
Lex 482,&c. ab Ariſt. Deo cõparata 138. cum principe cur regere debeat 138. Draconis in ocioſos 298. dupliciter cõſideratur in politicis 84,85. è cõſuetudine vim habet 144. inter amicum & inimicũ non diſcernit 139. naturæ quid requirat 58. politica 139, &c. vitioſa nũ ſtatim mutanda 143
Libelli famoſi 359. ſupplices 276,580
Liberi 191,216. ciuiũ 267. culpã parentum non luent 178. non tam parentibus quam reip. naſcuntur 175
Liberalitas liberalitate perit 91. naturæ humanæ accõmodatiſſima eſt 89. ſubditorũ inter ipſos per principem fouenda 212. regni vnde pendeat 49 Reip. electione principis ſtabilitur 113. Vide plura p. 523, 529, 543,&c.
Libidines 204,&c. 413
Libitinarii 233
Libri famoſi & turpes 201
Libri iudiciarii 291
Libri p aulicos ſcholaſticis relinquendi 63. principũ pro exemplis principum poſiti 108. Vide p. ſeqq.
Licentia aulica 577
Lictores 291, 295, 468
Lignum 191, 530
Ligones 477
Limitanei 460
Limites 315, 346, 388, 552

Lin-

Lingua fictitia 376. Latina ob quas cauſas in Europa tota tam frequens facta ſit 68
Lingua patria 402. vel antiqua vel noua eſt 67. *Vide etiam* p 227,228
Linguæ quæ cur principi cum primis diſcendæ 67
Lis 286
Literæ clarigationis 450
Literæ commeatus aut paſſus 365
Literæ credentiæ 385. execrabiles quæ 199. fidei 385, 387. illegibiles 479. publicæ 507. ſalui conductus 375. *Vide etiam* 382,568
Lites coniugum 306. in conuiuiis ſæpe componuntur 228
Littus 314,349
Lixæ 468,473
Loca negotiationum oportuna erunt 247. periculoſa 364. ſepulturarũ & monumentorũ 230. Vide plura 235,345,346,453,500,539.
Locus aſſeruandorum redituum 344. Bibliothecæ 326. comitiorum 156. communionis vrbanæ 266, &c. iudicii forenſis 286. pugnæ 493. ſuppliciorum 302
Logica 86
Logica in quantum principi cur diſcenda 68,69
Logica qualis ars 69
Λογοθέτης 344
Loricæ 476
Loſung 482
Lotterbuben 362
Lotterey 343,361
Lucrũ ex monetæ valore mutato, quatenus principi licitum 331
Ludere fidibus principi minus eſt decorum 97
Ludi principibus cõuenientes qui ſint 98. publici 91. Vide etiam 206
Ludouicus XI. Galliarũ rex 64,93,180
Lupanaria 424
Lupi 354
Luſtratio 455,457
Luſus quidam certi ſubditis ob quid per principem concedendi 228
Luxuria ſpecie liberalitatis imponit multis 91
Luxuries 512
Luxus ſeuerè cohercendus 204,415
Lytrum 502

M

MAcellarii 456
Machæra 476
Machinæ 318,327,381 455,467,476,498,580
Macula regnorum fœdiſſima quæ 211
Mæcenas quomodo ſe geſſerit erga exploratores 170
Magi 517
Magiſter 463
Magiſter principis aulæ

magnus 372. equitum 465. pontium 467
Magiſtratus à inuitis obtrudendus 57. an ſubditis prior 30. Ariſtocraticus 55. cui committẽdus 54. educationem iuuentutis Lacedæmonicæ curans erat duplex 194. eſt longum cuſtos & vindex 145. legi non præerit 62. ob executionem legum præcipuè conſtitutus eſt 145. politicus ad quid teneatur 23. quid ſit 132. ſenio confectus per conſiliarios ſubleuandus 53. *Vide* plura 241, 539, 552, 557, &c.
Magiſtri quartarum 582
Maieſtas 445. diuina legib. ſubiecta num ſit 82. è longinquo venerabilior 95. geſtuum externorũ principem maximè decorat ibid. principis 129. vnde hæc oriatur, ibid. & 130
Maior palatii 574
Malũ 191, &c. culpæ 526
Maſuetudo principẽ ornat 92, 94
Manſiones 464
Magnanimitas principẽ decet in primis 88
Magnates regni 245, 376 385, 408
Magnus reuerendarius 574
Mauritius Naſſouius fortiſſ. Belgarum dux 74
Maximilianus II. Imper. 98, 100
Marchio 279, 346, 389, 574
Maeck 341
M. Antoninus Philoſophus 99
Mare 311, 349, 510
Maria Scotiæ regina 46, 92, 368
Marſchall⁹ 166, 240, 372 574
Marggrauius 236
Maritus cũ vxore corpus vnum 400
Mas gubernationis eſt capax 4
Maſiniſſa 75
Maſſilienſes ſacrificulos ob quid eiecerint 209
Mathematica principi quatenus diſcenda 73, &c.
Matres 192
Matrices margaritarum 312
Matrimoniũ reiectione ſpuriorum honorandũ 177
Mechanica Principi vtilis eſt 74
Medicamenta 182
Medici 179, &c.
Medicina principi non inutilis eſt 74
Medicus 466
Mediolanum 250
Megabyzus 542
Membra ciuitatis 267. diſtorta animorũ diſtortorũ ſunt indicia 44. familiæ eiusdem 404
Memoria æui præſentis præſenti potentia non extinguitur 61. Cyro quãta 134
Mendici 218, &c. 255

Mens

Mens inceſta 204
Menſes 348
Menſuræ 247. annonariæ 184
Mentiri ſimulare vel diſſimulare non eſt 93
Mercatores 186,220,242,244 263,365,577,582
Mercatura 242.243,&c.
Mercatus publici 250
Mercenarii 253
Merces 242,247,249. ſeplaſiariorum 186
Mercurius 178
Metallarii 317
Metator 342,465,468
Methodus diſciplinæ politicæ difficilior q̃ aliarum omnium 5,6
Meth. diſciplinarũ quid primo omnium ſpectet 37
Metrocomia 265
Metropolis 272,*&c.*
Michael Imper. Conſtãt. 64
Migratio gentium 418
Miles 242,270,281,283,345,357,447,452,454,& deinceps
Milites Chriſtianorũ vnde colligi ſoleant 197. mille ducenti quantum poſſint 457
Miniſter aulicus 166. principis apertus & occultus 167
Miniſtri cubiculi 372. culinæ 166. publ. 364. redituũ publicorum 344. verbi 516
Minores annis XX. 398
Μισάνθρωποι 10
Mixtum 560
Modeſtia artem vincit 199
Modi cõtributionis varii 399. hoſtem inuadendi duo 487
Modii 184
Modus examinãdi captiuos 480. in literis addiſcendis principi quis tenẽdus 66 in ludis epuliſq; publ. principi tenendus 91, &c. in regnis ſuccedendi quis 117. mercaturæ exercendæ 247. militis conſcribendi 455
Mœnia 18,20,351,356, &c.
Molendina 318,337
Molendinum quãdo ſeipſum conſumat 210
Monachi 230,231,&c.
Monarcha num ſine optimatib. de negotiis arduis ſtatuere poſſit 155. *Vide plura* 40,55,82,84,531
Monarchia Aſſyriorum 35. cum Ariſtocratia temperata 559,561. nũ Ariſtocratiæ & Democratiæ præferẽda 37. *De hac vide plura* 29. 32, 114, 356, 395, 406,422, 432,513,531, & 538, 541,542, 547,586
Monarchicum quid 214
Monaſteria 196
Moneta. 247,329,&c.
ius Monetæ cudendæ 329
adulteratores Monetæ 331
ſignatio Monetæ *ib.*
Monetarius 330
Monomachia 358,&c.

Monopolium 248,249
Mons 315 316
Monumenta per Spartanos in templis nõ permiſſa 232 235
Mora 481,539
Morbus popularis 182, 398. principis 416
Mores aulici 372,386, externi 304. hominum è lingua ipſorum iudicâtur 128. hominum varii leges varias exigunt 142
Mores nautarũ 242. noui 376. puellarum & puerorum 200. Vide plura *De moribus* 388,402,406, 411, 456
Moriones 97
Mors pace turpi potior 505
Mortui extra vrbes & tẽpla ſepeliri ſoliti 230, &c. quidam capulo effracto reuixerunt 234. quando efferẽdi *ib.*
Mos longitudine tẽporis fit 144. *De more* vide etiã p. 554
Moſcouitæ 227
Motus bellici 539. ſyderũ 411
Mulctæ 308,338,486
Mulieres focariæ 473. illegitimæ liberos ſæpe procreant præcellentes 178
Multitudo diuiſionis mater eſt 35
Multitudo regentiũ felix regimẽ impedit 36. Vide plura 183,456,462,558
Municeps 280
Munitiones per naturã edoctæ 357
Munia principis boni duo 352
Munimenta 388
Munus legationis 385. legũlatoris quã præſtãs 140. principatu in terris nullum magis arduum 57. principi debitum 398. *De munere* vide etiam p. 333,385,485
Muri 356
Muſica 11, 12. iucunda principem non dedecet 97
Mutatio nominum 258. regiminis 407,408, regiminis Polonici 410. regni 425. rerump. crebra vnde oriatur 52,208, &c. valoris moneta 331

N

Nachſtewre 337
Natura Democratię 549, 552
Natura doctrina perficienda eſt 63. magiſtratus polyarchici 537. monarchię quæ 55. mortaliũ imperii auida eſt 111. particularis obſequitur interdũ vniuerſali 58. principũ qualis eſſe debeat 107. rerum nõ temerè mutãda 311, &c. populi quæ 169. populorum generaliter æſtimari ſolet 134
Naturæ contentioſæ coercendæ 287
Naturalia omnibus communia

munia ſunt 350
Naues 323,477,501
Naufragi 312
Nauicularii 282
Nauigatio 312. tuta quæ 253
Nautæ 252
Negotiatio num magnatibus permiſſa 243
Nemo in cauſa propria rectè iudicare cenſetur 154. principi leges ſcribit 83. poteſt multa rectè gerere 165. ſibi ipſi vim infert 84
Nemus 316
Nero 46,59,&c.& 98,169 313
Nerui poſſeſſionum domeſticarum præcipui quib. incidantur 215
Neruus reip. 217,&c.
Neutrales 434,&c
Neutralitas 512
Nigredo felix quęnā 46
Nimrodus 100
Nobilis ad regni gubernacula potius admittendus q̃ ignobilis 50. *plura vide* 236,244,533,&c.
Nobilitas Anglicana prata in agros, & hos in illa temerè commutat 315. *Vide plura de nobilitate, paginis ſeqq.* 50,259 279,572,591
Νομάρχος 209
Nomen metatoris 342. (ſ. nomen per metatorem ianuæ cuiquam aſcriptum) 342
Νομοφύλακες 306
Non-ciues 582
Noriberga 250
Noribergenſ. ob leges veſtiarias cōmendabiles 207
Norma diſcip.mil. 482
Noſodochium 182,219 343
Nota reip. malè cōſtitutæ 254
Notæ literarum occultæ 383. tyrannidis 368,423
Notarii 303, 307, 325
Notatio oppidi 20
Nouitas legum ingrata 143
Nubiani 375
Numerus 408. conſiliariorū numero ſubditorum principis reſpondebit 174. Ephororum 567. militū nō erit nimis magnus 456,457. ſubditorum quare principi ſubducendus 173
Numiſma 329
Nummi num proiiciendi ſint in populum 92
Nuncii 184
Nundinæ 250
Nuptiæ 335
Nutrices 179

O

OBedientia principi per ſubditos debita 222, 395,397
Obiectum actus bellici 486
Obiectum iudicii 286
Obiectum ſtatus politici 1,2,7,22,&c.
Obreptio 118

Obſeruantia aliorum erga alios 211
Obſeruationes cæleſtiũ ſuperſtitioſæ non probãdæ 411
Obſeſſi 498
Obſeſſio *ib.*
Obſtetrices 177
Obſidio 487,498
Occaſio 190,487
Occupationes ocioſis p principes demandandæ 410
Ochlocratia 559,585
Ocioſi non ferendi 209
Ocium *ib.*& 435
Odiũ adulationis ad ſtudium veritatis pertinet 94. ſubditorum aduerſus principem vnde 128
OEnopolæ 249
Officia 579.580. primaria quib. per principem conferenda 165. quorum odioſa 364. regni in multos diſtribuenda 164. regni primaria 572. veſtitu diſtinguenda 208
Officiarius 236,292,371, 401,455,462,&c.465.
Officinæ 182
Officioſitas ſubditorũ inter ipſos per quæ principia fouenda 212
Officium carnificis 301. cenſorum Rom. 305. Ephororũ 567. magiſtratus ariſtocratici 543. monarchæ in ſtatu reipub. mixto 562,&c. principis 131,&c. publicum 183. ſubditorũ erga principem 395,399. erga Principi adiunctos 400. erga ſeipſos & alios 401
Oligarchia 546,575,585, 590
Onus 333. perſonale 398. reale 399
Operæ officiariorũ principis non impediendæ 401
Opera ruſtica 185
Opes imperii per quæ imminuãtur 148. nimiæ cũ principi, tum ſubditis ipſis nocuæ 206
Opifices 220,248,263,271 282,313,473,577,582,584
Opificia 448,461
Opinio in hominib. gubernandis quantum poſſit 173
Oppida minora muro qualicumq; cincta vici vocantur 16. *De oppidis* vid. etiã 13,20,190,264,320,461
Oppoſita Ariſtocratiæ 541,546. democratiæ 555
Optimates multi pro magiſtratu vno habentur 33. *De his vide plura pag. ſequentib.* 432,540,&c.
Optimi 540
Optiones 472
Opulenti 219,557
Oratio ducis apta quantũ valeat in bello 70. ornata principẽ magis decet q̃ veſtis 70. preſſa viri magnanimi propria 95
Oratores mali 436
Ordines conſiliariorum prin-

principi diuerſi ſunt habēdi 553. in ſtatu reip. polyarchico 559. iudicum certi erunt 288 regni 563
Ordo aureæ periſcelidis 179. S. Michaelis ib.
Ornamenta Principi in inauguratione adhiberi ſolita 146
Ornatus in militiam abiturorum 477. mulieribus conuenit 96
Orphani 216,&c.
Orſacus I 417
Oſtraciſmus 550
Oxus fl. 59

P

Pabulatio 491
Pabulum 475
Pactum 462,&c.
Pædonomi 194
Pagi 13,&c.
Palæſtræ pugilum 358
Palatini Poloniæ 545. principis 166,236
Palatium principis 374
Palinodia 359
Paludes 314
Parangariæ 342
Paraſangæ ibid.
Parentes 192,216
Πάρεργα 373
Pares curiæ 574
Parlamentum Pariſienſe 303
Partes Philoſoph. practicæ tres 2. proceſſus iudicialis 293
Parthi 420
Paßport 507
Paſquilli 359
Paſquinus 359
Paſtores 183,466,469
Pater 395. quæ domi ſuæ curæ habeat 226
Paterfamilias ſolus familiā regit monarchicè 38
Patibulum 301
Patientia 453
Patria 47,58,&c.
Patritii 563,591
Patronus 403
Pauperes 54,189,228,254
Paupertas morbus eſt reipub. magnus 54
Pax 25,28,382,388,445, 446,&c.
Peccata magiſtratuum pertinent ad vniuerſos 240 principum quanta 60
Peccatum ſub cenſuram cadens 306
Pecunia 334,474
Πηγή 15
Pedes 458,495
Peloponneſus 588
Penſio 337
Peræquatores 336
Percuſſio gladii 300
Percuſſiones 294
Peregrinantes 364,374, &c.
Peregrini in vrbes nō admittēdi 47. quatenus ad cuſtodiā corporis regii poſſint admitti 50. *De peregrinis vide pag. ſeqq.* 263,375,&c.
Peregrinatio 268,&c.
Peregrinaturus qualiter inſtructus eſſe debeat 227

Perfractores domuũ grauiter puniendi 364
Pericles in publicum rariſſimè prodiit 95
Periodi regnorum 408, 414. virtutum 589
Periodus millenaria 418
Periſcelis aurea 279
Peritia militaris 453, 454
Periuri 517
Periuria 413
Permutatio captiuorum 502
Perſæ venatores 99, 420
Perſecutio 524
Perſona gubernationis capax 40. principi gratioſior 401
Perſonæ aulicæ 369. duplices principibus educandis præficiendæ 107. è priuato viuentes 241. Eccleſiaſticæ 520. eminentes 376. integræ 241, &c. iudiciales 290. mercantes 242, 246
Perſonæ miſerabiles 254, 350, 363
Perſonæ nobiles 50. publicæ 364
Perſuaſio ſcientiæ quam peſtilens 193
Peſtis 180, &c.
Petaliſmus 550
Petardæ 499
Phaſalli 236, &c.
Pharmacopolæ 182
Philip. Landgrauius 90
Philippus Macedo 211
Philoſophandum eſt, ſed paucis 69
Philoſophia Practica principi notiſſima erit 75
Phylarchi Hebræi 257
Phyſici 515
Piaſtus 51
Pictores 251
Picturæ 327
Picturæ obſcœnæ 201
Pietas 515
Pigmentarii 286
Pinnæ turrium 320
Piratæ 355
Piſcatio 311, 349
Piſcatores 459
Piſces 181, 311
Piſcinæ 190, 311
Piſtores 186
Plateæ 347
Plebeii cur aliquando regnis præficiantur 51
Plebs 557, 590
Πλεονεξία principem non decet 88
Plumæ milit. 477
Pocula 334
Pœna criminis læſæ maieſtatis 123
Pœna iuuentutis effrenatæ 195
Pœnæ 277, 283, 297, &c.
Pœnitentes in gratiam recipiendi 213
Pœnitentia largitionis nimiæ ſubitæq; comes eſt 91
Poeta laureatus 279
Poetica in quantũ principi diſcenda 71, quid Eraſmo ib.
Polemica 494

Poli-

Politia ad legem naturæ pertinet 10. ciuitatis vnius olim maxima 10. generaliter accepta in ciuilē & Eccleſiaſticā diuiditur 3. Latinis reſpublica, ſtatus publicus, & regimē eſt 3. nū futura aliqua fuiſſet, ſi homo lapſus nō eſſet 12. per quos floreat 147. Prima minor & maior 17. quā efficientē habuerit 11. quod habeat materiale 7. quod itē formale 7. quotupliciter Ariſtoteli ſumatur 3

Politia vnde deriuata fuerit 2. *Vide etiam p.* 521, 530

Politiæ num feliciores ſint, ſi ſingulæ vrbes à ſingulis regibus regantur 21

Politica ciues honeſtos equidē facere poteſt, pios facere nequit 24. diſciplina eſt architectonica 102

Politica methodo reſolutiuâ tantū tradenda 6 πασῶν ἐπιστημῶν 4. item ἀρχιτεκτονική *ibid.*

Politica tractatu difficillima 6. vnde dicta 2. quid 3, 7, 8, 9

Politici hodie qui 103

Polonia 49, 545, 587, 591

Polyarchia 421, 422, 535, &c.

Polygraphia 383

Pomœrium 267

Pompa funebris 233

Pondera 184, 247

Pons Lithuanicus 348

Pontes 346, 477

Pontifex 347

Pontificii 522

Popinæ 424

Populare 550, 552

Populares 550, 556, 578

Populi Septentrionales 135. Orientales, *ib.* Meridionales *ib.*

Populus ā magiſtratu dignior 132

Populus principi ſuccedenti, quàm electo libentius obedit 111

Populus quâ naturâ quoue ſit ingenio 134

Populus quid 9

Populus vbi corruat 147 *Vide plura* 167, 169, 172, 176, 205, 214, 544, 547, vſque 559

Portus 246, 314, 318, 334. &c.

Poſſeſſio prædiorū 378

Poſſeſſores frumētorū 188

Poſtæ 342

Potentes 408

Potētia 414. principis 386

Poteſtas nobilium Polonorum 572. optimatum 432. vnius poteſtati pluriū præferenda 59

Poteſtates 407

Potus 182, &c.

Præbitio veneni 300

Præcepta artium de idea potiꝰ eſſe debēt, q̄ de defectu 33 gubernationis cur multa ſint; obſecūdation. pauca 33

Præcognita Syſtematis Politici 1
Præconſules 579
Præda 497,504
Prædatio 488,491
Prædia 336. num peregrinis concedenda 378
Prædones 8,355,358
Præfecti carcerum 291. cõmeatus aulici 166. rerum gerendarum 145. vrbium ſingularium & pagorũ 166. *De Præfectis vide etiam paginis ſequentibus* 184. *vſque* 579
Præfecturæ 275,580
Præfectus aulæ 166,372 cõmeatus aulici 372. equitum 166,466. peditum 166
Prægustatores Principis 368
Prælati 574
Prælium 495, 495,511
Præmia delatorib. conſtituta 169. *De præmiis vide etiam* 277. *& d.*
Pręparatio obſidion. 498
Pręrogatiuę 273,486,&c
Præſides 166,294,407, 579
Præſidia externa 48
Præſidia perpetua 357. vrbium ob quid quæſita 20 *Vide plura* 388,500
Præſidiarii 460
Præſtãtia Monarchiæ p Platonem multis aſſerta 38
Pręſtigiatores 201
Prætor equeſtris 466
Prætoriani 460
Praga 19
Pragmatici 290
Pratum in agrũm non commutandum 314
Primicerius 262
Precia epidemica 342. annonæ 186
Primogenitus etiam minus cõmodus ad regnũ aſſumendus eſſe videtur 115. ex anteceſſoris hæredib. matrimonio legitimo natus, fratrib. omnib. pręferendus eſt 115. idq; ſiue ante, ſiue poſt regnum patrium natus fuerit 166
Princeps ad regni gubernacula iãdeſtinatus nũ peregrinari debeat 108. alios iocantes potius audiet, quam iocabitur ipſe 97. abſolutæ poteſtatis eſt, & ita ſolutæ poteſtatis à legib. 82. aduenã 376. adulatores auerſabitur 94. agnatos & cognatos cur in conſiliũ adhibere debeat 159. alienigena 47. an eruditus eſſe debeat 62. an itẽ Muſicus 74. an gentes barbaras non laceſſitus ſibi ſubigere poſſit 124. an legib. ſubiectus ſit 59,81, &c. an ſine legib. pro arbitratu ſuo regere debeat 139. an nimis callidus nimis ſimplici p̃ponẽdus ſit 79. an ob ætatẽ decrepitã ſit ab imp. remouendus 53. an per ſucceſſionem vel electionem creandꝰ 110. an potius ſimplex, an calli-

callidus & verſutus eſſe debeat 79. auarus odio ſubditis eſt 128. beneficus & magnificus erit 89. bonorũ regni ꝓprietarius nõ eſt 366. bonus imago Dei eſt 82, 429 collegii 262. comitia ſfutura maturè promulgabit 155. cõitiis perſonaliter intererit 156. coniugia indiſcretè nõ admittet 175. conſilia aliorũ libẽter audiet 147. cõſilia conſiliariorum ſuorũ diligenter excutiet 151. cõſilia ſua nõ propalabit 149. conſultationib. ipſemet intererit 149

Princeps cum lege regere tenetur 138. cur conſiliarios omnes æquè caros habere debeat 153. cur cõſiliarios peregrinos non facile debeat admittere 160 iam moriturus quæ facere debeat 394. in bona regni quantum ius habeat 366. in cauſa religionis dupliciter conſideratur 527, &c. in electione conſiliariorũ præceps non erit 157. in omnib. delectum adhibebit 102. in primis beneficentiam in duo hominum genera exercebit 91. inprimis veritati fideique ſeruandæ ſtudebit 92. in quãtum diſciplinam operatricem deguſtare debeat 74. in quantum Poetarũ ſtudioſus eſſe debeat 72. in regno eſt, quod pater in domo 226. illiteratus, eſt aſinus coronatus 66. infamiam metuet 60. inhians alienis, ſua negligit 88. iniurias ad perſonam ſuã ſpectantes, quatenus contemnere debeat 94. curabit ne quis ocioſus ſit 210. de reb. religionis ſæpe iudicare tenetur 76. diſcordias inter magiſtratus inferiores maturè componet 239. è gente cui imperat, natus eſſe debet 46. è Mathematicis artib. vtilitatẽ magnam percipere poteſt 74. & citò & facilè curſum ſtudiorum ſuorũ percurret 63. exemplo ſuo bono felicius quã mandatis & edictis ſubditos regere poteſt 60. extraordinariè corrigendus 305. grauitatem in corporis geſtib. omnib. præ ſe feret 95. habet ſemper oſores 173. habet poteſtatem ordinandi religionem 516, &c. hiſtorias regni ſui vicinorumq; ſciet 76, 77 homines ſuos ad inſtar molæ truſatilis nõ verſabit, &c. 80. perfectus quis 515, &c. Philoſophus practicus erit 75 populi mores perſpectos habebit 167. principem in bello cauſæ communis nõ deſeret 309. qualiter legem mutandam mutare debeat 144. quam delationem ſpernere debeat 170. quando prælio intereſſe debeat 492

&c. quando ſimulator eſſe poſſit debeatq; 102,&c. quatenus à ſubditis deponi poſſit 430,&c. quatenus cūcta poſſideat 360. quatenus exploratoribus fidere debeat 167. quatenus populo ſuo dignior ſit 133. quib. primaria regni officia cōferre debeat 165

Princeps quidā German. literatos nullos apud ſe tulit 63. quo reſpectu caput Ephororū ſit 567. regendorū ingeniū moresq; perſpectos habebit 133. regni dilatandi nō nimiū cupidus erit 88. ſecundū legē imperabit 138 ſermone plebeio nō vtetur 68. ſibi ſoli periculosè fidit 146. ſubditis obligatus eſt 395. ſubditos afflictos querētes audiet, atq; ſolabitur 358. ſubditos nimium ditescere non ſinet 205. ſubditos ſuos noſſe debet 173. ſupplicantes facilè audiet 276. temperans, vigilans & caſtus erit 86. Theologiam è Bibliis addiſcet 76. vrbanus erit 96. virtutib. moralibus veris præditus erit 78. vulgo ſe familiarē non præbebit 95

Princeps vnus nō omnia ſolus obire poteſt 164

Princeps Venetus titulo tenus princeps eſt 561

Principalia minus principalibus anreferenda 45

Principatus 22. 29. regius an apud antiquos aliquis fuerit 587. vnius an optimus omnium 586,587

Principes 563,574 Auſtriæ filios & filias in lingua Latina curant inſtitui 68. electi quid operam dent 112

Principes Germani monarchę ſunt 531,533. Germani multi literati ſunt 64. inſipientes per cōſiliarios fieri poſſunt ſapientes 148. ob diuitias electi regnis inauſpicati 118

Principes perfecti potius optantur q̃ habentur 147. quo reſpectu ſubditis priores ſint 31

Principium bene imperandi ſummum quod 73

Priuata publicis poſtponenda 280

Priuati 243

Priuatio commerciorū quam damnoſa 246, &c.

Priuilegia 280,351,366, 381,&c

Probatio militū 455,457

Probitas ingeniū vincit 199

Proceres Poloni nō temerè peregrinos ad regni adminiſtrationem admittunt 49. Vngarici 427

Proceſſus iudiciarius 252 ſupplicii capitalis 301

Procuratio proditionis 480

Procuratores 241,291,&c. annonæ 184

Pro-

Prodigalitas potius optãda, quã auaritia 81. principis regnum eius exhaurit 91
Prodigi 363
Prodigia 493
Proditio 224,484
Productio teſtiũ 293
Profana quæ 531
Profeſſio 335
Profligatio hoſtis 503
Prognoſticon ruinæ regnorum quod 148
Progymnaſmata bellica 448. rerum bellicarum quę principi decora 98,99
Promiſſio obedientiæ per ſubditos principi quib. conditionibus fiat 397
Promiſſiones principis firmitatis prope diuinæ erunt 93
Proprincipes 241
Proprium animi magni quod 94. ciuitatum 578. hominis 9
Proprietates Ariſtocratiæ 541. aulæ 373. conſiliarii boni 160. Democratiæ 548. legũ particulariũ 139. monarchiæ 38. regulæ veræ quę 142. tyranni 424. viri magnanimi 95
Propugnacula 355,539
Proſcriptio 298
Proviantmeiſter 463, 468
Prouincia 13,22,274, 302,545,588
Prouiſores ſanitatis 179
Prouocatio 303
Proximus ſapientiſſimo quis 147
Prudens quis 101
Prudentia 276,454. Ethica & OEconomica quæ 1. Politica *ib.* imperantis propriiſſima eſt 101. partes habet duas *ibid.* militaris 443, 444. Politica vel generalis vel ſpecialis eſt 31,32. principi neceſſaria 63,79
Prudentia Principis vel propria, vel mutuatitia eſt 146. quibus in rebus cernatur 63
Pſellus 64
Pudefactio cenſoria 308
Puer ad regni gubernationem non admittendus 51
Puer imperitus ſene ſtolido melior 148
Pugna 453
Pugnantia ſtatus reipub. perfecti 406
Pulchritudo corporis in quib. cõſiſtat 45. reuerendũ quid & admiratione dignum cõtinere videtur 44. Platonicis inſtar circuli habere viſa eſt, cuius cẽtrũ eſſet bonitas 44. quod tamẽ fallit interdum *ibid.*
Pulſus campanæ 455
Pupilli 217,564
Pulverhüter 467
Puluis nitratus 476
Putei 513
Pyrobolides 359,510

Q

Quadrigæ 467
Quadruplatores 169
Quæ conſiderãda ſint in monarcha 40
Quæſitores 306
Quæſtio de principe vel eligendo, vel ſuccedente, quomodo determinanda 113,&c.
Quæſtio, num Princeps indignior populo ſit, anceps, quomodo decidenda 133
Quæſtiones aliquot de latronib.8.hæ quo loco Politicæ ſint mouenda *ib.*
Quæſtiones argutæ ad facinoroſos examinandos excogitatæ 296
Quæſtores 166,463,466
Qualitas perſonarum ad modum delicti non pertinet 284
Quartiermeiſter 463, 465,468
Querelæ de Medicis 180
Quinq; circa principis abdicationem conſiderãda 430,&c. totidẽ conſtituũt ſocietatem politicã 173
Quinquennium Neronis 413
Quis ad remp.regendam ſit adhibendus 49,50,194

RAbulæ 290
Radix ſeſquitertia binario iuncto quid 409
Rähte von Hauſe auß 160
Rapinæ 212,501,502,507, 509
Ratio victus acquirendi cõmunis omnib. quæ pariat incommoda 220
Rationaria 325
Rationes expenſarũ 386
Rebellio 224,435
Recepta conſuetudine nõ facile mutanda 142
Recuſantes officia publica mulctari ſoliti 58
Reditus eleemoſynarii 255,omnes regni ad principẽ abſolutum ſpectant 55.ꝓ ſcholis cõſtituendis ordinandi 195.*Plura de reditibus inuenies pag.*327.vſq; 517
Refugia 295
Regalia 584
Regẽs recto nũ digni⁹ 133
Regenten buch 296
Regere 30,514
Regere & præcepta regẽdi nõ noſſe, turpe eſt 75. naturâ prius eſt quam regi 30. nõ regi principis eſt 287.qd ſit 31,101.quot modis cõſideretur 31
Reges 533.à quo cõſtitui 133.Ægyptiaci prodigi non magnifici fuerũt 90.monoſyllabi erũt 71.optimi è tyrãnis peſſimis ſæpe facti 528
Reges Perſiæ ſoli ſunt electi qui cũ Magis diligẽter eſsẽt verſati 65.quatenus fidẽ ſeruare debeant 92. Scotorũ herbarum vulnera ſanantiũ peritiſſimi fuerunt 75.

75. ſinguli ſingulis vrbibus omni præfecti 20,&c.
Regeſtores 325
Regia 273,&c.
Regimen agricolarũ aulicum 372. politicum nõ eſt cũ Eccleſiaſtico confundẽdum 23. virtutum Ethicarum 201. virtutũ œconomicarum & Politicarum 215. *De regimine* vide p. 462.472 513,522,557.572,577,583,
Regina 394
Regio 453
Regium quid 173
Regna 13,185,420. maxima, latrocinia quando maxima 8. opulentiſſima à principibus prodigis exhauſta 86,87,91, per prudentiam ſtant 325
Regnum abſentiæ principis diuturnioris impatiens 108. Arragoniæ 588 Daniæ 570. Galliæ 568. 569. immortale quiddam 133. inſtabile quod 78. principi potius exornandum, quam dilatandum 367. quodlibet iuriſprudentiam ſuam habet ſpecialem. 79. Scytharum quanto tempore durauerit 35. vel ſucceſſiuum, vel electitium eſt. 53, *De regno vide etiam* p. 22,545,590
Reinickefuchß 373
Relationes actorũ legati 386
Religio 12,27,515,524,&c.
Remedia ſeditionum 437 440,484
Replica 293
Repulſio 500
Requiſita Ariſtocratiæ 541. ciuitatum 271. cõſiliarii boni 160. excubiarum 482. metropolis. 273. naturæ ſummiducis 452,453. ꝓceſſus iudicialis 292
Res aulicæ 374. bellicæ 453. duæ tẽpore vno rectè geri non poſſunt 164, &c. principi curandæ 581. raro accuratè miſcentur 560.
Reſpublica 263,535, beata quæ 377. Belgica 28. è medico & medico nõ debet cõſtare 220. eſt totũ quid 194. exercitia virtutũ publica licèt habeat, ſi tamẽ ab hoſte poſſeſſa ſit, nũ beata putanda 26. Florẽtina ſeditionib. turbata 49. Ieſuitica 24. κατ' ἐξοχὴν 587. Lacedæmoniorũ 586,588. multitudo familiarũ ratione moderata, quo ſenſu definiatur 8. num iuueni committenda 51. num potius ab optima lege quã optimo rege regatur 138. nũ ſeni cõmittenda 51 nũ ſine religione eſſe cõſeruàrique poſſit 28. ob priuatos nõ exhauriẽda 278. optima & feliciſſima quando futura 159. optima q̃ 24 ꝑ quid maneat immortalis 176. Polonorũ 586. quãdo demũ futura ſit ſalua 139. quid 7,9. Ro-

mana ſub qua forma diuti⁹ durarit 35, &c. ſine honeſtate publica eſſe nequit 26. Spartana 588. ſpuriis nõ eſt replendá 177. temperata laudata 587. vel mediocris, vel heroica eſt 27. Veneta 36. Veneta formæ potius eſt monarchicæ, quam vel Democraticæ vel Ariſtocraticæ 36

De hac vide etiam paginas ſeqq. 180, 184, 186, 554, 582, *& ſeqq.*

Reſpublicæ 349. Reſpubl. bene conſtitutæ ſunt aliquæ, licèt opib. ſplẽdoreq; deſtituantur 29

Reſpubl. cauſis duab. maximè conſtituuntur 276. monarchicæ reliquis durabiliores ſunt 35

Reſpublicæ quamdiu vigeant 145. religione pura contemplationéq; deſtitutæ reſpublicæ eſſe non deſinunt 26

Reuerentia 415. maieſtati è lõginquo maior exhibetur 95. ſubditorũ erga principem 222, 397

Reus 287, 289, 290

Rex 426, 452, 561. à tyranno quid diſtet 56. an tanquam Deus à legibus immunis ſit 138. è numero populi cuiusque ſui eligendus 47

Rex eſt, cui ſua ſatis ſunt; ſubditorum commoda ſibi ſola proponenti 56, 57

Rex & lex iubentes non diſputabunt 71

Rex Gallorum quare inſigniter potens ſit 275. Hiſpanus econtra non adeo potens, *ib.* Iaponiæ 353. iudex nobilium ſupremus eſt 573. legib. tutius præeſt quã ſubeſt 138. potius oculoq̃ regnum (rege) carebit 46. Spartanorum 577

Rex verus quis 78. vnus eſſe debet 38

Rhomphæa 476

Rhetorica principi cum primis diſcenda 70

Ripa 314, 349

Ritus inaugurandi principis 124, 410

Riui 312

Rixæ conſiliariorum per quid auertantur 149

Roma cur diu floruerit 148 ſub fœminæ dominatu quantũ degenerarit 41

Romani dictatorem tẽpore belli eligebant 34

Romulus 178, 295

Rota 301

Rottmeiſter 464

Rotweſſch 376

Ruina publica priuatæ per quẽlibet præfertur 204

Rupertus Neapolitanus 49

Ruptio fœderum 3?2

Ruſticationes 1?5

Ruſtici 185, 244, 282, 583

Sacer-

S

Sacerdos 429,520
Sacra non profanada 351
Sacramentum 457,518
Sacrificuli Maſſilienſes 209
Sagittæ 476
Salarium 337. medico cuidam ingens datum 180
Saleucus 143
Salinæ 317
Saltus 316
Salubritas ciborum 181
Salus aliorum per nos, vel inuitos, quęrenda 58. m āplitudine cōſilii eſt 147
Salus populi ſuprema lex eſt 48
Salus reipubl. prima lex erit 4
Sanitas nutritionem ſequitur 25,179
Sanctio legum 140
Sapere, opus regium eſt 66
Sapiens quis 66
Sapientia cui maximè conueniat 66
Sapientiſſimus Ciceroni quis 147
Satellites 166,638
Satio ſubditorum 175
Sartores 459
Satietas nimia 435
Scabinatus 293
Scabini *ibid.* & 578,581
Scalæ 354,498
Scaturigines 226
Scelera 1?1. 300 414. impetu valeſcunt 163. principum tegi ſilerique nequeũt 61
Scelerati 271,365
Sceptrum imperii num peregrino tradendum ſit 46
Schantzenmeiſter 466
Scheppenſtul 293
Scholæ per principem fundandæ 65
Scholæ 195. &c. 200,319, 350,424, 514, &c.
Scholaſtici 281
Schutzherren 391
Scire plus quam ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt 66
Sclopeta 358,476
Sclopetarii 459, 470, 471
Scopus ciuitatum conſtitutarum ſecundarius 20
Scorta 473
Scriba 166,241,307,325, 464, &c.
Scriptura occulta 383, 479
Sculptores 251
Sculpturæ 327
Scultetus 293,468
Scurræ 201
Scuta 467
Secretarii 166,241,464 511,512,580
Secretum anima conſilii 152
Sectio venarum 300

Secundocerius 262
Secures 477
Securitas 454. oritur ex Ethica virtute 25. principis tota vnde pendeat 238
Seditio 224,377,435,436 507
Seditiones 484,529. Athenis ſub ſtatu democratico ſunt ortæ 39
Seditioſi 355,398
Sedulitas 88,209
Segetes 315
Semperfreye 281
Senatores 578,583. ſupremi 240. inferiores, ibid.
Senatus 539
Sepectus Principis 4,6,
Senes 52,254
iuuenib. præferendi 160
Senex an Reipublicæ regendæ præficiendus 51
Seniores 518,563
Sententia Melanchthoniana de tragicis 72
Sententiæ authorum de cauſa vrbium efficiente varia 11,12
Seplaſiarii 186
Sepulchra 232
Sepulturę 235
Sermo 402. cur homini datus 9. principis grauis erit 95
Seruus 216,502
Seueritas 283. principis, ad iuſtitiā eius iudicialē ꝑtinet 105
Sexus muliebris 398
Sicæ 358
Sicarii 358
Sigillum reip. 572
Sigiſmūdus I. Polonorū rex 67,76,243,272
Signa militaria 477
Signifer 470
Simplares 471,473
Simplex 560
Simplicia cōpoſitis pręmittenda 562
Simulare 93
Simulatio 158. in gubernādo principi quatenus decora 173. quomodo cū veritate non pugnet 93
Splendor generis 545
Soboles numeroſa 398
principis 369.370.400
Societas domeſtica OEconomica dicta 1
Societas humana 15
Societas politica 9,13,14
Socordia principū quorundam quanta 61
Socrates 46
Sodalitas 261,263
Solennitates 504
Solitudo 192
Solutio obſidionis ſpōtanea 500
Sorores principis 370
Sors 543
Sors quando locum habeat 120 quādo in principe conſtituendo ſit adhibenda 119
Sortes in manu Iehouæ 361
Sortitio. *Vide Sors*
Sortiarii 361

Sortile-

Sortilegi ib.
Sortilegia 342,361
Sparta 211,356,377
Spartani 229,232. tempore belli regẽ eligebãt 34
Species ciuium quot 264
Species magiſtratus perfectiſſ. monarchica eſt 395
Species monopolii 249
Species vetuſtatis quam chara cuiq; ſit 143
Specioſi 44,45
Spectabiles 44
Spectacula 228
Spectacula periculoſa 359. ſcenica 206
Spectra 313
Speculum aulicum 373
Spes impunitatis peccãdi illecebra 283
Spirituales 378
Sponſiones pro cuſtodia non facilè admittendæ 292
Spurii num in republica ferendi 177,&c.
Stabula 310
Stadtbücher 580
StadtRegiment 576,585
Stadtſchreiber 583
Stagna 311,314
Stateræ 184
Statio exercitus 489
Stationarii 460
Stationes commutandæ 482
Statua ex aquis vociferatura 369
Statuæ Mercuriales 346
Statura pulchra trophęũ eſt,quod victrix anima ſtatuit,&c. 45
Status ariſtocraticus 545 ciuitatis 582,&c. ex Ariſtocratia & Democratia miſtus 575,576. ex monarchia & Ariſtocratia mixtus 573.575.monarchicus cuius imperii imago ſit 38. monarchicus cum Ariſtocratico mixtus optimus 561. mõarchicus imago eſt imperii diuini in creaturas 38. optimatum 540,&c.politiæ primus & perfectus 29. politicus quid & quotuplex 32,33 polyarchicus 534, 540. popularis 549,550, 556. regni Polonici 591.regni vbi princeps malus eſt cõſiliarii boni ſunt,num melior ſit huic oppoſito 156,157
Status reip.è trib.formis ſimplicibus temperatus 431 585.588.reip.morboſus 406 reip.perfectiſſimus quis 451 452,reipub.ſtabilis&firmus quis 78. reip.turbatus 224. vrbis optimus eſt ſub iuſto rege 39,576
Statuta 519,551.578
Steckenmeiſter 468
Steganographia 383
Stelliones 360,375
Sterilitas 412
Stipendia 345,485
Storgæ 258
Stramen 475
Strategemata 453,478
Striges 188

Structor annonæ pedeſtris 468. ordinum 470
Structura corporis ſtructuræ animi ſimilis 44. vrbium 321
Structurę 318
Studioſus 270, 283
Studium honeſtatis à ciuibus omnibus ſtrictè exigendum 26. iuris Romani propagãdi ingẽs 68. trãqllitatis principi fouẽdum 212
Stulti qui 217
Subactio 503
Subactus 505
Subcamerarii 346
Subcancellarius 166
Subditi monarchæ 40. nũ magiſtratib. præferẽdi 133. an magiſtratu priores fuerint 30, 31. *De ſubditis vide quoq; pag. ſeqq.* 174, 190, 217, 235, 395, 425, 432, 519, &c. vſque 543
Subfoſſiones 499
Subiugatio 503
Subſtructiones 318
Suburbium 267
Succeſſio monarchiæ p̃fectæ cõuenit 114, 117. principis modus eius conſtituẽdi naturalis eſt 110
Succeſſor regni. 393
Succinum 312
Suffocatio in aquis 301
Suffragia 544, 553, 565, 576, 579, 582
Supellex domeſtica 218
Superi 81
Superior quid inferiori debeat 404
Supplicia 299. plebeiis tarda, magiſtratib. velocia per Solonem cõſtituta 240
Suſpicio ſiue ſuſpicacitas 213
Sutores 251, 456
Sylua 315
Sylua cædua & materiaria 316
Symbolum 457
Symbolum Ludouici XI. Galliarum regis 93
Synagoga 261
Synagogæ Iudaicæ 380
Syndicus 566, 580
Synodus 566

T

Tabellarii 383
Tabernacula 477
Tabulæ Geographicę 327
Taciturnitas 163
Taglohn 254
Tapetes 324
Tartari 227, 429
Technæ ſortiariorũ 362
Temeritas linguæ ad gladios peruenit 169
Temperamentum 411 conſiliariorum 161.
Temperantia 202, 204, 483
Tẽperies Monarchiæ cũ Ariſtocratia 561, 562, 570
Templa 196, 295, 319, 350
Tempora 345, 348
Tempus comitiorũ 156 de pace tractandi 506

Tem-

Tempus mercimoniorũ exercendorum 247. nautis conſtituendum 253
Tentoria 464,477
Termini 315,388
Terra 314
Terræmotus 410,&c.
Territoria 533,534
Terror panicus 493
Tertiocerius 262
Teſſera militaris 466,482
Teſtamẽtũ 517. principis 393
Textores 456
Θαυμαζόμενον 326
Theodoſius 295
Thermæ 3 4
Theſaurarius regni 344
Theſauri cũ mortuis nõ humandi 233
Theſaurus reip. 344,572
Theſeus 213,295
Thoraces 476
Tibiæ 477
Timar quid 237
Timariotæ à τιμᾶν, *ibid.*
Timocratia 557,590
Timones 10
Tituli regum quorũdam vani 127
Tolerantia 88,210
Toleratio obſidionis 487
Tormenta 4 6
Torneamenta 98
Tortura 296
Totum curabit ſuã partem 194
Traianus 429
Tranquillitas an politicæ finis principalis ſit 25
Transfugæ 454
Tranſitus militaris 489 509
Transmutatio metallica 330
Tres faciunt collegium 173,261
Tria ciuem Rom. faciebant 268
Tria mundo defutura 330
Tria Deo ſoli reſeruata 523
Triarii 463
Tribuli ferrei 495
Tribunal ſummum 303, 304
Tribuni peditum 467
Tribuni plebis 436,470, 559,&c.
Tribus 261, 549, &c.
Tributum 333,338,392, 399,414
Triumphus 504
Triumuiratus 547
Trucidatio 501
Tubæ 549,455,477
Tubicen 464,466,470
Tumultus 480,484,511
Turba exercitum ſequẽs 473
Turcæ ab ædificando alieni 322
Turcæ cur nobis in prælio ſuperiores ſint 197, 198. *Vide etiam paginas* 227,420, 508
Turmæ 469,472
Turpes corporibus naturâ contemnuntur 44

Turres 320
Tympaniſtæ 466,471
Tympanum 455,477
Typographi 251
Tyrannis 432,433,512, 522,556,559,575,590
Tyrannus à rege quid differat 56. eius proprium 168,214,422, *&c.* & 426, 428,504,522,528
Tyro 459
Vacantiæ 338
Vacatio aliorum aliis afflictio non erit 281
Vallis 315
Vallum 18,464
Vandali 420
Varietas veſtium 207
Vaſalli 574
Vaſtatio 501,509
Vectigal 282,332,520
Vectores 252
Vehicula 477
Velitatio 491
Venalia 185
Venantes beſtias animũ beſtialem induunt 99
Venatio 310, 316, 349. nũ licita ſit principi 98,99
Venator quis aliquibus 99.
Venator ſanctus in ſacris penitus nõ reperitur 98
Venatores 456
Vendæ 545
Venditio ſubauctionum fouenda 363
Veneficæ 188
Venenum an hoſti licitè propinetur 487
Veneti 225. ob leges veſtiarias laudabiles 207. ſibi mare deſpondent 312
Venetiæ 588
Venti impetuoſi 353
Veredarii 242
Veritas Principem decet 92,93
Veſpillones 253,&c.
Veſtis 207,&c.
Veſtitus 403,410. principis erit grauis 96
Veteranus 459,463
Vexillarius 468
Vexillum 455,&c.
Via Appia 347
Viæ 182,349,355,364. publicæ 345. ſtratæ 346
Viator Sculteti 468
Vicecancellarius 240
Viceprinceps 452
Vicepræſes 294,579
Vicus 13,14,&c. 264,&c. & 302,320. Vide *Pagus*
Vicini 14,404,504,509
Vicenia 141,387
Vicinitas 404
Victi 504
Victoria 496,497,503,512
Vidua quædã in imperio quodã amplo dominatura, euerſionis mundi indiciũ fore prædicitur 41
Viduæ 254
Vidui 216
Vigiles nocturni 354, 365
Villæ 461
Vincere ſcit Hannibal. &c. 504
Vindices 563

Vineæ

Vineæ 315,317
Vinum abſorbet ipſum abſorbentes 203
Violatio pacis publicæ 439
Violentia 484
Vires imperii in quo ſitæ ſint 130
Virgulta 316
Vir magnus non tantum præclarè operari, ſed & honeſtè ociari debet 96
Viri boni potius remp. capeſſent gubernandam inuiti, quàm vt eam peſſum ire ſinant 58. docti 345. heroici 214. quales iuuentuti erudiẽdę per principẽ præficiendi 194
Viridaria 315,317
Virtus belli in quo ſita 442. dux eſt natura certior 113. è corpore pulchro veniens gratior eſt 44. Ethica particularis 86. excellens & heroica 213. hominũ leuiũ in lingua ſita eſt 96. magis quam ætas ſpectanda 52. mẽtis quæ 61. militaris nũ togata præſtãtior 444. moralis vera debet eſſe in principe 78. politica ſubditorũ inter ſe 224. principis maxima noſſe ſuos 134
Virtus principis politica quæ & quotuplex 100,101. principis qualis eſſe debeat & quotuplex 62
De virtute etiam vide pag. ſeqq. 179,513,542,544,589
Virtutes Ethicæ 25,27,92 201. heroicæ 25. morales eædem aliæ in principis, aliæ in ſubditorũ perſona ſunt 79. nõ in fronte, ſed in mẽte ſedent 45. per ſimilitudinem dictæ 213. principis œconomicæ quæ 100
Vis eloquentiæ quanta 70 hiſtoriæ quanta 62. legũ alia directiua alia coactiua eſt 83, 84. munerum 385
Viſitatores horreorũ 187
Vita beata 514
Vita ciuium beata moderatori reipublicæ propoſita eſt 29,57
Vita regentis obediẽtiũ ſenſus magis inflectit, quã edicta 60. repente non mutatur 308. ſubditorũ principi defendenda 358
Vitia regnorum 388. reip. 590. *Vide etiam pag.* 179, 415, &c.
Vladiſlaus Bohemiæ Rex 66
Vmbfrage 579
Vmbra ſenis gladio iuuenis præſtat 51,52
Vnci 510
Vnitas in ariſtocratia nõ naturalis, ſed artificialis eſt 33
Vniuerſitas 264,566
Vnum ad vnum naturâ ordinatum 165
Voluntas hominis affectibus indulget 139
Voluptas ex Ethica virtute

oritur 25. Ethica num finis Ethicæ, *ib.* reipublicæ vnde *ibid.*
Voluptates immoderatæ cohercendæ 228
Vox literas in principe improbantis eſt bouis, non regis 66
Vox maieſtate regnantis digna quæ 82
Vrbanitas quatenus principem deceat 96
Vrbes ſtatus politici pars ſunt 2. ob quid extructæ 10, 11. omnes olim ſub monarchis fuerunt 39. *De vrbibus etiam vide pag. ſeqq.* 13, 264, 266, 320, *&c.*
Vrbum vel vruum 266
Vrcei 354
Vrinator 383
Vrſi 354
Vſuræ 221, 380
Vtilitas communis num Politiæ finis 28. ſalinarum 317
Vulgus interdum plus ſapit ſapiente 66
Vulgus metu coercendum 283
Vulnerati 406
Vulneratio 294
Vulpecula 373
Vxor 400

W

Wachtmeiſter der Reyſigen 466
Wagenmeiſter 467
Wahlſtadt 302
Waldmeiſter 317
Wetten 305
Wettgericht *ibid.*
Wettherren 581
Wetknecht 307
Wie der Seger gehet/ ſo gehet das Regiment 349
Willkühr 578

X

XEnodochia 255
Xyſti 334

Z

ZΗτηταί 306
Zeugwarter 466
Zünffte 263
Zuchthauß 292
Zunfftbücher 262, 263
Zygäyner 375

FINIS INDICIS.

SYNO-

SYNOPSIS DISCIPLINÆ OECONOMICÆ,

DISPOSITIONEM EIVS breuiter adumbrans;

propoſita

IN GYMNASIO DANTISCANO

Anno M D C V I.

à

BARTHOLOMÆO KECKERmanno Dantiſcano, Philoſophiæ in Gymnaſio patrio Profeſſore.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCVIII.

INDEX CAPITVM IN SYNOPſI OEconomica contentorum.

CAP. I, *De OEconomiæ definitione & diuiſione.*
2, *De ſocietate coniugali, quæ eſt inter maritum & vxorem.*
3, *De ſecunda ſocietate œconomica, quæ eſt inter parentes & liberos.*
4, *De ſocietate inter dominum & ſeruum; ſiue inter herum & famulum.*
5, *De accidentaria, deq; ſecundaria ac imperfecta ſocietate œconomica.*
6, *De generib. poſſeſſionum domeſticarum.*
7, *De modis acquirendi poſſeſſionem domeſticam.*
8, *De cura, adminiſtratione & conſeruatione partarum, ſiue acquiſitarum poſſeſſionum domeſticarum.*
9, *In quo delineatio œconomicæ prudentiæ ſpecialis.*

METHO-

METHODICA ET BREVIS ADVMBRATIO,

ſiue

Synopſis Prudentiæ Oeconomicæ

PARS PRIOR,

De œconomia generali.

CAPVT I.

De œconomiæ Definitione & Diuiſione.

E*Thica Prudentia indiſtinctè præſcripſit media ad bonum ciuile ſine reſpectu ad certum aliquem ſtatum in vita humana; iam ergo eæ diſciplinæ practicæ nobis pertractandæ reſtant, quæ præſcribunt media ad conſequendam felicitatem in certo ſtatu vitæ.*

Ad amoliēdas multas difficultates, quas Philoſophi practici mouent circa ordinem & connexionem Ethicæ, Oeconomicæ & Politicæ, breuiter nonnullas hypotheſes pręmittemus,& veluti aphoriſmos, è quibus procliue futurum eſt totam iſtam controuerſiam decidere; 1. Hominis voluntas & affectus tripliciter conſidera-

tur: interdum abſolutè, quatenus homo in ſe & per ſe eſt perficiendus, ſigillatim, ſeparatim & ſolitariè, atque adeò promiſcuè & indiſtinctè ſine reſpectu vllius certi ſtatus in hac vita. 2, Interdum verò homo conſideratur tanquam qui ſuam voluntatem & affectus velit regere & componere in certo ſtatu & genere vitæ, ita vt velit vel Paterfamilias vel membrum familiæ & Reipublicæ fieri. 3, Si hominem priori modo conſideres, & Ethicam diſciplinam hoc reſpectu ad hominem applices, nullo modo Ethica eſt pars Politicæ, nec dici debet aut poteſt, quod Ethica hoc modo Politicæ ſubordinetur; ſed erit potius Ethica quiddam diſtinctum & quiddam generale ac totale reſpectu politicæ & œconomicæ. 4, Si verò hominem diſtincte conſideres, prout eſt membrum certi alicuius ſtatus in vita humana, iam quidem ad œconomicam & politicam eius conſideratio referenda eſt. 5, Sicut autem conſideratio eius, quod alterius pars fieri poteſt, prius abſolutè præmitti debet antequam conſideretur cum reſpectu ſeu relatione illa, per quam fit pars; ita quoque doctrina Ethica abſolutè, & ſeparatim ab œconomica & politica, tanquam peculiaris diſciplina ſpectari debet, neque propterea erit pars politicæ, ſicut non ſtatim doctrina elementorum in Phyſicis fit pars doctrinæ de mixtis corporibus, etiamſi elementa ingrediantur mixtionem & fiant partes corporum mixtorum; neque ſtatim ars de conficiendis ſerris aut aliis ferramentis eſt pars diſciplinæ architectonicæ, etiamſi ad

domum

domum conſtruendam velut partes aſſumantur. Sicut nec aliorum ſententia probari poteſt, qui ſtatuunt tantum duas eſſe Philoſophiæ practicæ partes, œconomicam & politicam; in Ethica tantum tradi vtriuſque fundamenta. Nam propterea quia fundamenta ibi & principia traduntur; ideò eſt pars diſtincta ab œconomica & politica; Sicut Arithmetica eſt ars diſtincta à Muſica, quia in Arithmeticis principia Muſicæ traduntur, & Phyſica eſt diſtincta diſciplina à Medicina; quia in Phyſicis fundamenta & principia medicinæ conſtituuntur. Sed hìc grauis oritur obiectio ex eo, quod Ariſtoteles dicit libro primo Ethicorum capite 2. *Felicitatem, ſiue, vltimum finem & ſummum bonum pertinere ad politicam tanquam ad dominam & architectonicam omnium reliquarum diſciplinarum, quandoquidem idem ſit bonum hominis & bonum ciuitatis.* Sed reſpondetur, ſummum bonum morale, ſiue felicitatem ciuilem, conſiderari vel abſolutè, vel cum certo gradu latitudinis cuiuſdam, per quam fit maius, atque adeò publicum bonum. Omne enim bonum quò eſt latius & communius, eò eſt perfectius: Quatenus conſideratur felicitas vt bonum abſolutum, eatenus eius doctrina neutiquam ad politicam pertinet, atque adeo Ethica hoc reſpectu non erit ſub politica: quatenus verò non amplius conſideratur abſolutè illud bonum, ſed cum iſto extremo gradu, per quem fit publicum bonum ſiue bo-

num ciuitatis, eatenus ad Politicam pertinet, ſed eatenus nondum conſideratur ab Ethico. Aliud enim eſt ſpectare bonum quâ bonum, aliud eſt ſpectare bonũ quâ publicum; ſicut aliud conſiderare lucem quâ lux eſt, aliud conſiderare lucem quatenus meridiana eſt.

Oeconomica ergò eſt prudentia dirigendæ familiæ ad id, vt ſit honeſta, vtilis, iucunda, & honorata.

Dicitur œconomica, ἐκ τῆς δόμους & νέμειν, quaſi dicas, diſciplina de domo & familia rectè dirigenda, ac veluti diſtribuenda ſuis virtutibus & officiis.

Finis ergò huius prudentiæ eſt ipſa felicitas, ſiue bonum ciuile reſtrictum ad familiam, ſiue domum; Et ſicut bonum ciuile abſolutè ſpectatum eſt vel primarium, nempe honeſtas; vel ſecundarium, nempe vtilitas, iucunditas, & honor; ita quoque finis ſiue bonum prudentiæ œconomicæ eſt vel primarium, nempe vt familia tua ſit honeſta; vel ſecundarium, nempe vt eadem familia quoque tibi ſit iucunda, ſit opulenta, ſiue vtilis, ſit denique honorata & glorioſa.

Obiectum œconomicæ, eſt vel internum, vel externum.

Obiectum internum, eſt voluntas, affectus & cupiditas omnium eorum, qui in vna familia habitare volunt, quorum nempe voluntates,

tes, affectus, & cupiditates per certa media gubernari debent, & componi ad honeſtatem, vtilitatem, iucunditatem, dignitatem, ſiue honorem.

Externum obiectum ſunt illæ perſonæ, quæ familiæ conſtitutionem ingrediuntur, & quæ ad iſtud bonum, quod diximus, dirigendæ & componendæ ſunt.

Dicimus externum obiectum prudentiæ œconomicæ eſſe perſonas, id eſt, certam claſſem & ſocietatem indiuiduorum. Nec enim hîc amplius merè vniuerſalia poſſumus ſpectare, vt factũ eſt in Ethicis & in aliis diſciplinis; ſed oportet à ſpecie infima humilius deſcendere ad ordines certos perſonarum, qui ordines cum ſint Themata quædam collectiua, vt in Logicis vocantur, Themata verò collectiua ſint imperfecta, apparet imperfectiore quadam ratione cognoſci à nobis œconomicas res, atque adeo non tantum hîc valere præcepta, quantum valent in aliis diſciplinis, in quibus perfecta themata explicantur. Sequitur & hoc, cum œconomica conſtet indiuiduorum cognitione, indiuidua autem à nullo homine plenè omnia poſſint cognoſci, idcircò vt perfectam doctrinam, ita quoq; perfectam gubernationem rerum œconomicarum non ita pendere ab hominis poteſtate; quod idem etiam de politicis intelligendum eſt, vt ibi D.V. monebitur.

Et hoc quidem eſt obiectum externum pri-

marium; ſecundarium externum obiectum eſt poſſeſſio; id eſt, domus, & id quod eſt in domo, & quicquid pro domo conſtituenda & conſeruanda paterfamilias acquirit.

Et hoc eſt, quod Ariſtoteles dicit libro 1. Politicorum, capite 2. quod omnis œconomiæ duæ ſint partes, nempe homo & res familiaris; Per *hominem* intelligit perſonas, quæ ſocietatem familiæ conſtituunt; Et ait iſta duo ab Heſiodo comprehenſa eſſe in iſto verſu;

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα,

Principio domum & vxorem taurumque aratorem.

Et tantum de fine & obiecto; Medium ducens ad finem eſt virtus, ſiue recta gubernatio, occupata 1. circa ſocietatem perſonarum, quæ familiam conſtituunt. 2. circa poſſeſſionem, ſiue rem familiarem tum acquirendam, tum augendam & conſeruandam: Is enim felicitatem œconomicam conſequitur 1, qui rectè colit ſocietatem perſonarum œconomicarum: 2, qui poſſeſſiones œconomicas rectè adminiſtrat.

Hinc ergo prudentiam œconomicam diuidimus in generalem & ſpecialem.

Generalis œconomicæ prudentiæ pars eſt, quæ tractat de ſocietate & poſſeſſione familiari, ſiue œconomicâ in genere.

Omninò

Omninò hac diuiſione opus eſt ad legitimam confirmationem Methodi œconomicæ; quia non ſufficit in genere præcepta cognouiſſe de familia gubernanda, niſi poſtea in ſpecie id applicetur ad diuerſos ſtatus perſonarum; nam & Rex habet ſuam œconomiam, habet nobilis, habet ciuis, mercator, opifex, habet ruſticus, in quibus omnibus & ſingulis diuerſarum familiarum ſpeciebus diuerſis opus eſſe obſeruationibus & regulis nemo negat, niſi qui omnis experientiæ expers eſt; Idcirco videmus etiam eos qui de rebus œconomicis ſcripſerunt, ſubinde deſcendere ad ſpecialia, & monere magnates, quomodo rem familiarem tractare debeant; monere etiam ruſticos qualiter illi & ſeruos ac famulos alere, & agros colere, & pecudum greges nutrire atque augere debeant, quæ in generali œconomicæ prudentiæ parte ſi quis tradere velit, pro methodo chaos, rudemque & indigeſtam molem eſt habiturus.

Pars generalis œconomiæ iterum eſt vel primaria, vel ſecundaria.

Primaria pars eſt, quæ tractat de domo plena & perfecta, in qua ſunt omnes ſocietates, nempe mariti & vxoris, parentum & ſobolis, domini & ſerui.

CAP. II.

De ſocietate coniugali, quæ eſt inter maritum & vxorem.

AD perfectam & primariò dictam familiam duo pertinent, perfecta ſocietas & perfecta poſſeſſio.

Perfecta ſocietas non eſt ſimplex, ſed triplex, & domus non eſt vnius, ſed trium ſocietatum per naturam inſtituta vnio, quam multi ſub eodem tecto honeſtè, iucundè (atque adeò etiam quietè; nam quies ad iucunditatem, tumultus ad moleſtiam pertinet) & denique vtiliter viuunt, & viuunt primò tanquam maritus & vxor, ſecundò tanquam parentes & liberi, & denique tanquam herus & famulus.

De harum ſocietatum copulatione, atque adeo de domo ſeu familia in genere, ſunt hi Canones.

1 *Hæ ſocietates, quæ domum conſtituunt, atque adeo ipſa domus eſt quiddam naturale, ſiue quoddam à natura inſtitutum, aut in natura fundamentum habens.*

Ita Ariſtoteles lib. 1. OEconom. c. 1. item libr. 1. Politic. cap. 2. 3. & 8. & ratio manifeſta eſt; quia Deus & natura propterea ſexus diuerſos condidit, vt eſſet ſocietas mariti & vxoris, propterea vim generandi implantauit, vt eſſet ſocietas inter parentes & liberos, propterea denique homines

mines diuerſæ conditionis condidit, & alterum alterius ope indigere voluit, vt eſſet ſocietas inter dominum & ſeruum: Et ſanè non poſſet dici homo animal naturâ ſociabile, niſi ſocietates forent à natura; primæ autem ſocietates ſunt ſocietates domeſticæ. Et dicit Ariſtoteles 1. Polit. cap. 7 *pagos & ciuitates eſſe à natura inſtitutos, & pagos maximè eſſe naturales.* at verò quid aliud pagus eſt quam domeſticarum ſocietatum collectio?

2 *Quare qui domum rectè non inſtituit, quiq; eam violat, aut ab ea abhorret, in & contra naturam peccat.*

3 *Quapropter nec arbitrio humano ſimpliciter regitur domus, ſed naturæ inclinatione, impetu & legibus potiſſ. conſtat.*

Id quod obſeruent patresfamilias, vt domum conſtituturi cogitent, quid poſtulet, quidve ferat natura; ſimiliter & hoc cōſideretur, quod veriſſ. dictum ſit, *Bonum Phyſicum fieri bonum patremfamilias*, ſicut Melanchthon ſolitus eſt dicere, quod Strigelius repetit; *Bonus Phyſicus facit bonum Ethicum.* Et alludit huc quoque illud Cic. 1. de Leg. Iuris diſciplina non ex edictis prætorum, non ex 12. Tabulis, ſed ex ipſa hominum natura hauriri debet. qui aliter ius tradunt, litigandi, non iuris vias tradunt.

4 *Domeſtica ſocietas eſt imago ciuitatis, & tendit ad finem ciuitatis, tanquam ad vlteriorem gradum felicitatis ſuæ.*

Quod domus ſit imago ciuitatis, pulcherri-

mè docet Philoſophus libro 1. œconomicæ capite 1. vbi etiã dicit, *Ciuitas nihil aliud eſt, quam copia domuum, quæ ſatis ſint ad bene viuendum.* Et addit; *vbi domus eſſe non poſſunt, ibi ciuium commoditates eſſe nequeunt*; quia domus eſt pars vrbis, & domeſtica ſocietas prior eſt quam ſocietas ciuilis. Quod autem finis ſiue bonum & felicitas domeſticarum ſocietatum, gradum ſuæ perfectionis extremũ tum obtineat, quando ciuitati ſeu Reipublicæ ineſt & prodeſt, id etiam præclarè docet libr. 1. Politicorum cap. vltimo, vbi inquit; *Neceſſariũ eſt reſpicere ad Rempublicam eos qui vxores rectè regere & filios inſtituere volunt; quia omnis domus eſt pars ciuitatis, ideò oportet eos, qui domeſticas ſocietates rectè volunt adminiſtrare, in ea intueri quæ in Republica conſpiciuntur.*

5 *Sic domus rectè adminiſtratur, ſi omnes morales virtutes in ea ſpectentur, & ad eam accommodentur & reſtringantur.*

Ita Ariſtoteles dicto cap. 9. libri 1. Politicorum: *Putandum eſt*, inquit, *omnes qui in domo ſunt, oportere eſſe participes moralium virtutum, ſed non eodem modo, verum quantum cuique opus eſt; Nam is qui imperat, perfectam virtutem moralem habere debet; aliorum autem vnusquisque quantum ſibi competit.*

6 *Cum autem duo requirantur ad domus conſtitutionem & gubernationem media, vt ſuprà diximus, nempè ſocietas & poſſeſſio, plus curæ impendendum eſt in ſocietatem, quam poſſeſſionem.*

Hunc

Huncegregium Canonem tradit Ariſtoteles libro 1. Politicorum, capite 9. vbi inquit: *Manifeſtum eſt, quod plus ſtudii & domeſticæ diſciplinæ debeat eſſe circa homines, quam circa poſſeſſionem inanimatam, & circa virtutes hominum, quam circa virtutes poſſeſſionis, quas diuitias vocamus.* Et eſſent ſanè meliores res domeſticæ, niſi hic Canon à tam multis negligeretur, qui rem planè inuertunt, & maiorem curam impendunt diuitiis colligendis, quam ſocietatibus rectè conſtituendis; qui deinde hanc ſtultitiam luunt, dum acquiſita pecunia dilabitur incuriâ vxorum ac malitiâ famulorum, & liberorum malè educatorum prodigalitate.

7 *Societates domeſticæ ſunt quotidianæ, cū contra ciuitatum ſocietates non ſint quotidianæ.*

Ita Ariſtoteles 1. Politicorum, capite 2. vbi inquit: *Domus eſt quotidiana ſocietas ſecundum naturā conſtituta, ſed quæ ex pluribus domibus conſtituitur ſocietas prima, non quotidianæ vtilitatis gratia, pagus eſt.*

Societas domeſtica eſt vel eßentialis, vel accidentalis.

Eſſentialis eſt vel prima, vel orta.

Prima ſocietas eſſentialis eſt mariti & vxoris: de qua ſunt hæ communes leges ſiue Canones:

1 *Societas inter maritū & vxorē tanquā à*

diuino numine inſtituta, maximè eſt naturalis.

Ita Ariſtoteles lib.1.Polit.c.3.vbi inquit: *Diſpoſitus eſt à numine diuino tam maris quam fœminæ ſexus ſigillatim ad communionem.* Quod autē maximè ſit naturalis hæc ſocietas, ab initio ſtatim capitis docet, cum inquit: *Naturalis ſocietas maximè eſt inter fœminam & marem*, idque probat, 1. quia generatio eſt naturalis: 2. quia natura hac ſocietate voluit complere perpetuitatem ſpeciei, cum numeri nequeat.

1 *Cum ergo prima ſit ſocietas, idcirco maxima eius cura eſſe debet, & hæc tanquam fundamentum præſupponi reliquarum omnium.*

Ita cap. 2.libr. 1. OEcon. vbi inquit, *Quod ad ſocietatem mariti & vxoris attinet, ea in primis rectè ordinata eſſe debet.* Et cap.3. *Inter ea omnia quæ ad hominem pertinent, prima debet eſſe cura ſocietatis inter virū & fœminam* Hinc facilè intelligitur cauſa, cur tam multæ ſint infelices œconomiæ, quia multæ ſunt infauſtæ ſocietates coniugales; pendent enim à ſocietate coniugū omnes aliæ tum ſocietates in genere, tum etiam ſocietates domeſticæ, non tantū quo ad eſſe, ſed etiam quoad benè eſſe, vt paulo poſt audiemus.

3 *Neque tantum ad eſſe, ſed etiam ad benè eſſe pertinet prima iſta coniugum ſocietas.*

Ita egregiè Philoſophus citato cap. Non in hoc tantum maris & fœminæ coniunctio efficax eſt, vt vita propagetur, ſed vt benè etiam degatur, & addit rationes: 1, quia debent inter eos eſſe mutua adiumenta & operum communis labor.

bor. 2, quia liberorum procreatio non tantum pertinet ad explendum opus naturæ, ſed ad vtilitatem quoque, quam parentes effœti & infirmi, ex valentioribus liberis in ſenectute percipiunt. 3, quia natura ſexum conſtituit diuerſum nõ tantũ ad generationem, ſed etiam ad commoditatem reliquam domeſticam; dum nempe ſexum maſculum fecit robuſtiorem, vt foris parta afferret, proque iis excubaret, atq; adeo ad motum & exercitationẽ aptior eſſet; ſexum autem fœmineum fecit imbecilliorem; quia debuit ineptior eſſe ad motum & aptior ad quietem; idque propterea, vt res à marito partas domi cuſtodiret & conſeruaret: idcirco & timidiorem fecit ſexum muliebrem natura, vt nempe domi maneret, & cuſtodiam arctiorem adhiberet rebus; nam qui magis timet, magis ſollicitè cuſtodit. Denique etiam ratione liberorum ad benè eſſe factum eſt diſcrimen ſexus, dum nempe ſexus muliebris impotentius amat, vt potentius educet; maſculus autem ſexus iudicioſius amat, vt dexterius inſtituat.

4 *Prima autem cura eſſe debet, vt coniugium ſit caſtum.*

Iam veniemus ad leges quaſdam magis particulares, ſed tamen marito & vxori communes, quæ extant in Appẽdice iſta prolixiori additâ ad libr. 1. OEconom. de qua oportet primo aliquid monere breuiter, antequam vlterius procedamus; ſiquidem nobis propoſitum eſt in hoc Syſtemate compẽdioſo nihil aliud tradere, quam quod in textu Ariſtotelis extat, atque adeo tex-

tum ea ratione explicare, quam dicere ſolemus, reuocationem ad Syſtema, i. per definitiones, diuiſiones & canones. Primò autem nolim diſceptare, an œconomici hi libri qui Ariſtoteli aſſcribuntur, ſint Ariſtotelis; nam ea res parum facit ad noſtrum ſcopum. Sanè de libro 1. vſque ad Appendicem capitis vltimi auſim ſecurè dicere, quod ſit Ariſtotelis; quia eius ingenium, acumen, & ſtylum omnia in eo ſpirant. Iam verò quod attinet ad Appendicem, quam *Ioachimus Camerarius* ex codice quodam Aretini ad 1. Politicorum Ariſtotelis attexuit, etſi ſtylus videatur paulò diuerſus, tamen cum ſciam autores nullâ fatali lege ad eundem ſtylum obligatos eſſe, ne hîc quidem video ſufficientem cauſam, cur debeat eliminari ex catalogo ſcriptorum Ariſtotelis iſta Appendix, præſertim cum egregia multa præcepta inibi contineãtur. *Iohan. Caſus* ſcriptor Anglus non indoctus, iſtam Appendicem ita honorauit, vt ex ea conſtituerit librũ 2. OEconomicorum Ariſtotelis, omiſſo nempe libr. qui in operibus Ariſtotelis ſecundus œconomicus appellatur, & qui ſpecialia præcepta œconomica continet; contra quem librum Iohannes iſte Caſus aliquot argumenta affert in Appendice theſauri ſui œconomici, de quibus argumentis integrum nobis nõ eſt hoc loco diſputare; vtpote quibus ſufficit monuiſſe ſtudioſos Philoſophiæ practicæ, quod in citando Ariſtotele ſequamur editionẽ *I. Pacii*, non verò illam diſtributionem lib. œconom. quam habet *Iohan. Caſus*. Porrò quod ad Canonem attinet de ſumma & prima lege matrimonii, vt

nii, vt nempe ſit *temperans* & *caſtum*; tractat eum Ariſtoteles in illa dicta Appendice ad c. 6. libr. 1. OEconom. vbi latius videri poteſt.

5 *Coniugium ſocietas tum maximè felix eſt, ſi ſit tranquilla & concors.*

Citato loco dicit Ariſtoteles, nihil hominibus poſſe euenire melius & præſtantius, quam concordiam inter vxorem & maritum & conſentientem voluntatem in domeſtica ſocietate; & addit rationes: 1, quia vigente concordia inter coniuges beneuoli afficiuntur lætitia, quia ex concordia mariti & vxoris pendet quoq; concordia eorum, qui vel marito vel vxori ſiue cognatione & affinitate, ſiue amicitia iuncti ſunt; cõtra verò maleuoli afficiuntur triſtitiâ, ſi videant magnam eſſe cõcordiam inter coniuges. Alterum argumentũ eſt, quia per cõcordiam coniuges conſeruant & augent ſuas poſſeſſiones & præcidunt occaſionẽ tum malignis famulis, tum etiam inimicis ne poſſint ipſorum fortunis nocere. Quare dãda eſt opera, vt vxor ſit noſter eſſentialis amicus, ſicut loquitur *I. Caſ.* in theſauro ſuo œconom. ad cap. 1. libr. 2. Addit autem Ariſtoteles debere eſſe concordiam inter coniuges tantum in rebus honeſtis, non autem turpibus, & à pudore alienis.

6 *Modi autem quibus poſſit concordia inter coniuges ſeruari, hi ſunt præcipui: 1, vt maritus parentibus & cognatis ſuæ vxoris, & contra vxor parentibus & cognatis mariti eam reuerentiam exhibeat, quam ſuis propriis exhiberet. 2, vt communem & æquam curam*

Ariſtoteles dicit ea cõiugia eſſe periculoſiora, vbi ſocer & ſocrus adhuc viuit.

coniuges gerant in adminiſtratione rei domeſticæ. 3, vt vtrinque depoſita omni ſuperbia, manſuetudinem colant: denique 4, vt in rebus ſimul proſperis & aduerſis alter alteri fideliter adſit.

Hæc 4. egregia conſeruandæ concordiæ præcepta Ariſtoteles commendat pulcherrimis effectis; quorum 1. eſt, quia inquit in ſenectute depoſitâ curâ gubernationis domeſticæ & ſedato cupiditatum impetu, facilè potuerunt liberis rationem reddere gubernatæ familiæ, & oſtendere quod pari curâ & induſtriâ rem familiarem auxerint. 2, inquit, præclariſſ. præmia diuinitus iis tribuenda, nempe ſuauis ſenectus & nutrimentum in ætate effœta, & ſimul diuini numinis & hominum gratia.

Atque hæc de legibus ſocietatis coniugalis in genere; cum autem iſta ſocietas ſit relatio inter maritum & vxorem, ideo ſigillatim de vtrisque agendum eſt. Ac mariti quidem hæ ſunt leges ſiue Canones.

1 *Maritus eſt pars princeps ſocietatis domeſticæ; idcirco tota doctrina œconomica præcipuè reducitur ad patremfamilias, non ſecus ac in aliis diſciplinis ſpecies ſecundariæ reducuntur ad ſpeciem primariam.*

2 *Maritus ſeu paterfamilias habet in ſe imaginem & ſimilitudinem Monarchæ, ſiue Regis.*

Ariſtoteles 1. OEconom. cap. 1. inquit, *Societas domeſtica*

domeſtica habet principatum vnius: ſiue, *eſt Monarchia*, vt Græca verba ſonant. Et 1. Polit. cap. 1. dicit *magnam domum & paruam ciuitatem quaſi idem eſſe*. Et cap. 7. eiuſdem lib. iterum inquit; *Manifeſtum eſt, quod in re familiari ſit monarchia; quia ab vno regitur omnis domus.* Et cap. 9. eiuſdem lib. dicit *oportere eſſe perfectam virtutem patrisfamilias*; quia eius ſit ſimpliciter præcipere ac præſidere. Idcircò etiam cap. 2. libr. 1. Polit. dicit domum regi ab vno ſeniori ſi ſit paterfamilias. Et hoc eſt quod omnibus gentibus videtur eſſe implantatum, quando aiunt, *quemlibet eſſe dominum in ſua domo*; & domum habent pro re ſancta atque inuiolabili, & putant magnum eſſe ſcelus ſi paterfamilias lædatur in ſua domo.

3 *Diuerſimode autem regit paterfamilias; nam mulierem regit ciuiliter, liberos autem & ſeruos regali imperio.*

De diuerſo regimine patris familias in domo, tum ſpecialius dicetur, quando eius officia erga vxorem, liberos, & munia erga ſeruos explicabuntur; hìc in genere ſufficiat monuiſſe, quod etſi familiæ princeps ſit paterfamilias, diuerſum tamen eius ſit imperium pro perſonarum, quibus præeſt, diuerſitate.

4 *In omni autem ſuo regimine paterfamilias debet remp. reſpicere, atque eo referre formam & modum regiminis ſui.*

Ita Ariſtoteles docet ſub finem lib. 1. Polit. vbi inquit: De viri & mulieris, patriſque & filiorum ſocietate, quid rectè vel contra, & quomo-

do oporteat hoc facere, illud omittere, neceſſe eſt ad Rempublicam reſpici; omnis enim domus eſt pars ciuitatis, paterfamilias autem & aliæ perſonæ ſunt pars domus; Partis autem virtus ad totum reſpicere debet; ideo neceſſarium eſt eum, qui vxorem & filios gubernare debet, reſpicere ad Remp. tanquam ad totum.

5 *Paterfamilias debet habere perfectiorem virtutem, quam alii omnes in domo.*

Nempe, quia prima & perfectiſſima pars domus eſt, vt præclarè Ariſtoteles capite vltimo 1. Politicorum, vbi inquit, *Putandum eſt omnes qui ſunt in domo, participes eſſe debere virtutum moralium, ſed non eodem modo; quia is, qui imperat, perfectam virtutem habere debet*: Et addit rationem; quia, inquit, *patrisfamilias eſt, præcipere & id agere in domo, quod ratio recta agit in corpore*; Ratio autem recta in homine perfectiſſima res eſt reſpectu appetitus ſiue affectuum & cupiditatum; vtpote quibus ipſa imperat & præcipit. Contrà autem minus perfectam virtutem habet affectus & cupiditas, vtpote quæ debent rationi obedire.

Fuerunt Canones generales de patrefamilias; Sequuntur ſpeciales, quoad vxorem ſiue primam ſocietatem domeſticam.

Circa vxorem duo attendenda ſunt: 1, *qualis ducenda*; 2, *qualiter regenda.*

In ducenda vxore duo reſpicienda: 1, *vt ſit morata:* 2, *vt tibi naturâ, conditione, & moribus ſimilis, atque adeo commoda.*

Ariſto-

Ariſtoteles de ducendâ vxore hos Canones præſcribit libr. 1. OEconom. cap. 4. vbi citat conſilium Heſiod. Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς, id eſt, *Virginem oportet ducere, quæ diſcat mores probatos.* De altero verò, nempe de tali, quę ſit tibi ſimilis, grauiſſimam admonitionem addit Philoſophus, inquiens: *Morum diſſimilitudo minimè eſt amoris efficiens.* Per ſimilitudinem autem intelligit 1. conuenientiam naturarum, quantam diſcrimen ſexus patitur. 2. conſpirationem in honeſto, & apud Chriſtianos, etiam in pio: denique etiam conuenientiam in conditione, in genere, ſeu familia, in ſtatu vitæ, in opibus.

De regenda vxore hi Canones obſeruentur: 1. quidem, quod in nulla re maiorem curam oporteat principem familiæ adhibere, quam in vxore rectè & prudenter gubernanda; quia hoc regimen eſt primum, à quo omnia eius reliqua regimina, tanquam à prima norma pendent.

In Appendice libr. 1. id eſt cap. 6. eius libri Ariſtotel. grauiſſima præcepta tradit de rectè regendâ vxore; inter quæ primum eſt, quod debeat cogitare maritus, nihil eſſe in tota domo, quod maiorem requirat curam & ſollicitudinem, quam ea quæ ad coniugem pertinent; & addit rationes, cum inquit: 1. quia eſt ſocia vitæ tuæ: 2. quia qualem habiturus es coniugem, talem habiturus es ſobolem: & ex laudatiſſima coniuge liberi naſcentur, qui pabulum ſint ſenectutis, atque vtriuſque parentis præſidium & tutela. 3. A ſimili; Bonus, inquit,

agricola, omnibus modis operam dat, vt agrum habeat benè cultum, quod ita demum vberrimos fructus ſe percepturum confidat. Cum ergo tanta cura ſuſcipiatur propter agrum quo corpus alitur, quid ergo faciendum erit pro matre & nutrice liberorum, quandoquidem ſolo cōiugio fit, vt homines, cōditionis mortalis, ſucceſſione perpetuâ immortalitatem conſequantur, ad quam omnia parētum vota tendunt. Denique, inquit, incuria in regenda vxore pertinet ad magnum contemptum diuini numinis, quo præſente ſacra nuptiarum facta, & ducta vxor eſt, & quo audiente omnem curam & fidem maritus coniugi promiſit.

2 *Primò omnium autem requiritur, vt maritus ſibi ipſi lex ſit, ſibi ipſi maximè dominetur, & ſe ad virtutem omnem componat, vt poſſit coniugi eſſe exemplum caſtitatis, manſuetudinis, prudentiæ, &c. quia nulla re felicius vxores reguntur, quam exemplis.*

Quia ſexus muliebris infirmioris eſt iudicii per naturam, vt rationes intelligere & capere non ita poſſit, idcirco commodiſſ. via gubernationis eſt, per exemplum, vt nempe maritus ipſe ſibi lex ſit, atque adeo mores ſuos tanquam ſpeculum proponat coniugi, in quo contempletur temperantiam, frugalitatem, & alias virtutes, ſicut pulchrè Ariſtoteles dicit, *vir ipſe ſibi leges ſanciat in vxoris ſocietate*. Et paulo poſt; *Cum vxore ita verſandum eſt, vt appareat in te temperantia, in dictis tuis pudor, in factis ius & fas, in conuictu fides & frugalitas.* Et alioquin omnis voluntas

humana

humana ſic ſe habet, vt allecta libenter, coacta inuitè faciat officium. Allicimur accommodatiſſimè per exempla, ſicut prouerbio dicitur: *Molliſſimè ſuadetur exemplis*; quod in primis in muliebri ſexu apparet, quia natura videtur eſſe compoſitus ad imitandum.

3 *Det operam maritus, vt ab initio ſtatim coniugii coniugem ſibi propriam & addictam faciat, & conſuefaciat ad ſenſum ſuum.*

Hoc præceptum habet Ariſtoteles lib. 1. OEconom. capite 4. *vt aſſueſcendo conciliet ſibi animum vxoris maritus.* Et cap. 6 eiuſdem libri, vbi inquit: Maritus ea eligat, quibus ſibi animũ coniugis conciliet, illamque totam deuinciat, & ſibi propriã poſſideat, vt ſiue præſens ſiue abſens ſit, eadem percipiatur vtilitas, perinde ac ſi ipſe præſens omnia curaret; idq; ſtatim ab initio faciat, atque omnia ad communem vtilitatem referat, etiam tum, cum ipſa eſt adhuc ætate iuuenis & rerum imperita. Quod tum fiet, ſi in ipſo ſtatim exordio maritus ſe ipſum regat, atq; ipſe ſuæ vitæ optimus gubernator exiſtat.

4 *Maritus vxorem regat imperio ciuili, non verò ſeruili, ita nempe, vt arbitrium quoque ei permittat, licèt id ſit inualidum, & ſciat virtutes non ita abſolutè competere ſexui fœmineo, vt competunt ſexui maſculino.*

De imperio mariti in coniugem, docetur lib. 1. Polit. c. 8. vbi inquit; Paterfamilias & vxori imperat & filiis, ſed nõ eodem imperii modo; Nam vxori præeſt ciuiliter, i. ita vt in Rep. Ariſtocra-

ſtica magiſtratus præeſt ciuibus; Filiis autem præeſt βασιλικῶς, i. ſicut rex ſubditis. Capite autem conſequenti dicit eſſe aliquod mulieris arbitrium, licèt id ſit inualidum, & virtutes ei non ita abſolutè competere, vt viro. Cur autem imperare maritus debeat, eodem cap. 8. hoc argumẽto docet; *Maſculus*, inquit, *naturâ principalior eſt quam fœmina, niſi alicubi præter naturã quid fiat.* Quod autem vxor longè aliter habenda ſit, ac ſeruus, id grauibus argumentis monſtrat lib. 1. Polit. cap. 2. vbi inquit; Naturâ diſtincta eſt fœmina à ſeruo : & malè fecerunt barbari, apud quos fœmina eodem gradu fuit habita quo ſeruus; quod, inquit, non eſt mirum, quia barbari omnes ſunt naturâ ſerui, itaq; nemo eſt inter eos qui naturâ dominetur. Quamobrẽ, inquit, aiunt Poëtæ, Græcos barbaris dominari oportere; quia idẽ eſt naturâ ſeruus & barbarus. Addit deinde rationẽ, cur naturâ velit diſtingui fœminã à ſeruo; quia, inquit, naturâ fœminã condidit ad alios vſus, quam ſeruum, & voluit eſſe diſtincta iſta Inſtrumenta. Si quis autẽ obiiciat; Atqui ſæpè vnum inſtrumentum ad duos diuerſos vſus poteſt applicari, vt erat gladius Delphicus; reſpondet per egregium Axioma; nihil naturâ facit tale, quale eſt gladius Delphicus, ſed facit vnum inſtrumentum ad vnicum tantum vſum; quia hæc ſunt perfecta inſtrumẽta, ſi eorum ſingula non multis, ſed vni vſui ſeruiant.

5 *Maritus manifeſtâ dilectione vxorem proſequatur, idque oſtendat inuiolatâ coniugii neceſſitudine.*

Cap. 6.

Cap.6.lib.1.OEcon.dicit Ariſt.vxorem potiſſimè dilectione regendã eſſe, & illã dilectionẽ teſtandã ſic, vt inuiolata ſeruetur cõiugii neceſſitudo. Et addit; quo fidelius vxor ſe diligi ſtatuit à viro, eo accuratius ſuo officio fungetur. Et c.4. eiuſdem libr. dicit effecta dilectionis eſſe duo: 1, quod nullâ iniuriâ maritus afficiat vxorẽ, & citat legem communem Pythagoricorum, qui ſic dixerunt, *omnem iniuriam & violentiam abeſſe debere ab ea, quæ ſupplicis inſtar ſit, & tanquam à ſocopaterno ad noſtras ædes deducta.* M. Aurelius inter alia egregia præcepta etiam hoc habet; *Vxor admonenda perſæpe, reprehendenda raro; violentis manibus tractanda nunquam.* Vide latius de his differentem Iohan. Caſum ſupra dictum cap.4. 1. OEconomicorum.

6 *Faciat maritus, vt in coniugio ſemper cũ amore coniuncta ſit reuerentia & honor aliquis mutuus.*

Sapientiſſimum hoc præceptum dat libr. 6. OEconomicorum & ait hoc eſſe præcipuum medium ad tranquillum & commodum coniugium fouendum, ſi ſe coniuges ſimul & ament & honorent inuicem. Et addit Axioma; ſuo ſe honore ſpoliari vnusquiſque etiam fœmineus ſexus grauiter ferre conſueuit, nec tam gratum nobis eſt tribui aliena, quam moleſtum eſt ea, quæ habentur, adimi. Et paulò poſt; Non perterrefaciet maritus coniugem ſuam metu experti pudoris & verecundiæ. id enim in meretriciis amoribus fieri non ſolet. Vxor enim maritum ſuum ſimul & amare & vereri debet:

Sed ſpecies timoris duæ ſunt; vna eſt quæ adiunctam habet reuerentiam, qualis eſt filiorum erga parentes & benè moratorū ciuium erga magiſtratum. Altera ſpecies amoris eſt, cum quadam alienatione animi & odio, quomodo ſerui timent dominos, & iniuſtè oppreſſi ſubditi tyrannos. Ideo Homerus ſemper cum amore coniugali coniunxit reuerentiam ac pudorem, ita vt amor coniugalis ſit quiddam mixtum ex dilectione, pudore & reuerentia, non tantum coniugis erga maritum, ſed etiam mariti erga coniugem; idque probat exemplo Vlyſſis & Penelopes; & contra vehementer reprehendit Agamemnonem, qui propter Chryſeida in publica Græcorum concione iniuſtus fuit in ſuam coniugem, & non dubitauit dicere, barbaram & captiuam mulierculam Chryſeida, nulla in re cedere Clytemneſtræ, quod malè & improbè factum videri debet, inquit Ariſtoteles. videatur pulcherrimus locus.

7 *Maritus coniugem ſuam aduerſus omnes aliorum iniurias fortiter defendere debet.*

Hunc Canonem habet Ariſtoteles lib.1. OEconom. cap.3. vbi dicit, Deus & natura fecit ſexum maſculum robuſtiorem, vt ad propugnandum magis eſſet idoneus. Et cap. 4. Primum, inquit, omnium ipſis legibus defendũtur vxores, ne vlla ipſis iniuria inferatur; & addit rationem; Iniuria vxorum redundat ad ipſos maritos, ita vt dum vxor afficitur iniuria, non poſſit non affici maritus. Idem repetit in Appendice libri 1. vbi ait, in-

ait, in primis defenſionem vxori à marito deberi.

8 *Maritus coniugis imbecillitates prudenter toleret, & in næuis proficiſcentibus à fragilitate huius ſexus ei conniueat.*

In appendice libri 1. quam modo citauimus, poſtquam dixiſſet in primis eſſe defendendam vxorem, idque propterea, quia turpe ſit agricolam non defendere agrum ſuum; addit deinde, *Vxori iuueni, & nouæ præſertim eſſe aliquid indulgendum & conniuendum, vt pòſt poſſis animum ipſius tanto melius tibi deuincire, & vxorem totam tibi propriam facere.* Cæterum quid & quomodo ſit indulgendum coniugi, vide latius diſputantem Caſum in œcon. pag. 317. & ſeq.

Tantum de officiis mariti erga coniugem; ſequuntur officia vxoris erga maritum, quæ his Canonibus comprehenduntur:

1 *Vxor maritum ſingulari honore proſequi debet, neque vlla ratione eum deſpicere.*

In Appendice libr. 1. OEconom. dicit Ariſtoteles; Studioſiſſ. vxor maritum honoret, neq; vlla ratione ipſum deſpiciat.

2 *Vxor ſciat diuinitus maritum ſibi pro lege eſſe impoſitum, atque adeo ingenium & mores viri ſibi eſſe legem diuinitus latam ab eo ſtatim tempore, quo nuptiæ contractæ ſunt.*

Planè diuinus eſt Canon, qui extat ſub Appendice 1. OEcon. vbi inquit; Mulier benè inſtituta exiſtimabit legem ſibi eſſe ingeniũ & mo-

res viri diuinitus latam ab eo tempore, quo nuptiæ iunctæ ſunt, & vitæ ſocietas contracta eſt.

3 *Vxor volũtatem ſuam ſubiiciat voluntati & imperio mariti, atque in omnibus rebus honeſtis eius conſilio obſequatur.*

Ariſtoteles ibidem præcipit, ne vxor ſe opponat conſiliis mariti; Non volet, inquit, tractare de coniugiis liberorum; Quod ſi filiæ dandus ſit vir, vel vxor filio, prorſus illa viro obtemperet, inque deliberando ſentẽtiam illius ſine tergiuerſatione ſequatur.

4 *Vxor omnium eorum, quæ in domo ſunt, & in domum inferuntur, curam ſuſcipiat, ita, vt quicquid in ædibus & intra domeſticos parietes fit, id ei probè notum & curatum ſit; Externa verò ne inquirat, publica ne exploret, ſed hæc omnia marito permittat.*

Temperamenti defectus in vxoribus præter alia vitia etiam curioſitatem cauſatur; ideo præclaris etiam preceptis vxores Ariſtoteles inſtruit eâ, quam dixi, Appendice lib 1. Et primò dicit; Proba mulier certis quibuſdam legibus domina eſſe debet eorum, quæ in domum inferuntur, eorumque curam ſuſcipere. 2, inquit, quod in ædibus & domeſticis parietibus fieri debet, vxori notum ſit; extrinſecus autem accidentium culpam præſtabit maritus. 3. inquit, vir ea quæ domi geruntur, non ita ſollicitè inquirere debet vt vxor, niſi quod ad formam regiminis attinet, vbi in omnibus vxor marito morigera eſſe debet. 4. inquit, proba vxor non cupiet quicquam audire

dire de rebus publicis, ſciatque non tam decere virum domeſtici operis aliquid efficere; quam mulierem ſcrutari exteriora.

5 *Vxor non facilè abſente marito exteros admittat in domum.*

Ita Ariſtoteles d. loco; Non admittet, inquit, externum viro non iubente, pertimeſcens ea quæ vulgo de mulierum corruptela perhiberi ſolent. Quod tamen præceptum ſi ita ſtrictè intelligatur, vt quidem in textu ponitur, magis ad Græcos & alias zelotypas gentes pertinet, vt eſt gens Turcarum & Italorum hodiè, apud quos vxores in domo velut in carcere concluduntur.

6 *Vxor bona ne ſit ſumptuoſa vel in conuiuiis, vel etiam in ornatu corporis.*

Pulcherrima præcepta habet Ariſtot. in hanc ſententiã: Et quod ad ſumptus attinet, quia feſtis diebus vxores ſolent maximè eſſe ſumptuoſæ, ideò dat hoc præceptũ; *In feſtis diebus quantum vir permiſerit, tantum illa inſumendi ius habebit.* Item; *Semper vxor ſumptus faciet infra legem publicam*; id eſt, ne tantos quidem, quanti legibus publicis permittuntur. Quod ad ornatũ & veſtitum attinet, primò dicit, ornatu vtetur etiam infra leges publicas, i. innatam huic ſexui fingendi, pingendi & ornandi libidinem, coercebit virtute & legibus, & conſiderabit ſtatũ & conditionem mariti, atq; minus adhuc ſe ornet, quã vel leges publicæ, vel ſtatus viri permittũt. Secundo, inquit, cogitabit proba mulier, neque corporis nitoré, neque veſtitus pulcritudinem,

neque formæ ſpeciem, neque multiplex aurum tantopere ornare hunc ſexum, quantoperè modeſtia in rebus omnibus, & ſtudium vitæ honeſtæ ac pudicæ; hæc enim vera ornamenta animi plus habent gloriæ, tam reſpectu ipſius matris, quam liberorum, & durant vſq; ad ſenectutem, cum veſtes facilè deterantur. Et lib. 1. OEconom. c. 4. De ornatu hoc obſeruetur, vt quemadmodum ineptias oſtētationum in moribus, ita quoque in ornatu fugiant coniuges; Nam compta iſta & ornata coniugum vita, nihil differt à tragœdorum in ſcena verſantium ornatu. Plura de ornatu mulierum, & de iſta quæſtione; *An Phantaſiæ vxorum indulgendum ſit in ornatu corporis*, vide apud Caſum in theſauro OEconom. lib. 1. cap. 4.

7 *Vxor debet patienter tolerare mores mariti, etiam moroſos; quia hac tolerantia nihil eſt accommodatius ad felicem adminiſtrationem rei domeſticæ.*

In ea Appendice œconom. prudentiſſimum hoc præceptum ſuppeditat Ariſtoteles, vt moroſitatem mariti patienter toleret, inquiens; ſi vehementior perturbatio exiſtat, & animi impotentia tolerentur omnia, & ſi quid animo cōmoto vir egerit atque deliquerit, eius ſtatim obliuiſcatur, atq; interpretetur in bonam partem, aſſcribendo ægritudini aut imbecillitati & negligentiæ. Et addit argumenta duo: quorum prius eſt in his verbis; *Quod ſi æquo animo vxor viri mores ferat, admodum facilis erit domeſtica adminiſtratio, ſin minus, perquam difficilis.* Alterū argumen-

argumentũ eſt in his verbis; *Quo maior eſt vxoris in tolerãda difficultate viri attentio & diligẽtia, eo plus gratiæ inibit à viro ad ſanitatem mentis reuerſo.* Et ſi fortè refragata ſit mandatis viri inhoneſtis, abiectâ perturbatione maritus virtutem coniugis clarius perſpiciet. Quod verò addit Ariſtoteles ibidẽ, id duriuſculum eſſe videtur; *In cæteris*, inquit, *vxor marito obtemperabit non aliter, quam ſi in ipſius familiam empta veniſſet ancilla.* Quo dicto non hoc vult, quaſi imperare maritus coniugi debeat, vt ſeruæ vel ancillæ (id enim grauibus argumentis prohibuit, vt ſupra oſtendimus) ſed hoc vult, quod in coniugiis incommodioribus, vt diſertè verba ſonant, vbi mariti ſunt iracundi & moroſi, vxores debeant tam cedere affectibus mariti, ac famula prudens cedit affectibus ſui domini, idq; propter neceſſitatem, ne animum mariti irritent.

8 *Vxor precetur pro viro, ne quid ei aduerſi accidat; ſi quid autem aduerſi adueniat, planè eadem ſit erga maritum, quæ fuit in rebus ſecundis.*

Ariſtoteles citato loco, precari, inquit, debet vxor, ne maritus incidat in aduerſam fortunam; ſi qua verò triſtitia incidat, cogitet ſpecioſæ laudis materiã ſibi præberi, quam honeſtate actionis nanciſcatur, proponendo ſibi & Alceſtidos & Penelopes exemplum. Et addit paulò poſt; Mulieres quæ velint eſſe participes fortunæ ſecundæ, quam plurimas inuenire licet, ſed conſortes in aduerſa non volunt eſſe niſi præſtantes virtutum. Itaque ſubiicit duo præcepta: 1, Vxor

non modò rebus ſecundis ſeruabit concordiam firmam, obſequetur voluntati viri, ſed etiam triſtibus atque duris temporibus, ſi fortè paupertate & morbo laboretur. 2, Non tantum ſecundis, ſed etiam aduerſis rebus honoret maritum, & quidem ſtudioſius in rebus aduerſis, ne marito vllam ſuſpicionẽ præbeat contemptus; quia homines calamitoſi ſunt magis ſuſpicaces quam qui rebus ſecundis fruuntur.

CAP. III.

De ſecunda ſocietate œconomica, quæ eſt inter parentes & liberos.

PRima ſocietas œconomica hactenus fuit; ſequitur altera, quæ ex prima oritur, nempe ſocietas inter parentes & liberos, ſine qua perfecta eſſe nequit œconomia.

Ariſtoteles libr.8.Eth c.12.dicit, coniugalem ſocietatẽ pro cauſa efficiente habere naturam, & eſſe omnium primam & maximè neceſſariam, quæq; adeò maximè pertineat ad ius naturæ: finem autem eius eſſe duplicem: priorẽ quidem propagationem ſobolis, poſteriorem verò mutuum vitæ auxiliũ: inſtrumenta autẽ conſeruantia hanc ſocietatem primam, eſſe partim generalia, partim ſpecialia & propria; generale ait eſſe conſpirationem in honeſto, vtili & iucundo, ſpeciale autem inſtrumentum conſeruandæ ſocietatis, ſiue vt vocat, amicitiæ coniugalis, eſſe liberos: qui ſunt primo vinculũ, quo amor coniugum colligatus eſt vt perpetuo duret. 2, pignus, quo alter alteri ſeſe obligat ad amandum. De hoc ergo vinculo & pignore iam videamus.

In hac

In hac ſocietate duplex relatio ſpectanda eſt; prior parentum ad liberos, poſterior liberorum ad parentes.

De relatione parentum ad liberos ſunt hi Canones:

1 *Omnia officia parentum erga liberos promanant ex φιλαυτίᾳ, id eſt, eo amore, quo parentes ſeipſos proſequuntur.*

Canonem hunc œconomicum tradit Ariſtoteles lib.8.Ethicorum cap.12. vbi inquit; Paterna amicitia naſcitur ex philautia. vt enim quiſque amat ſeipſum, ita quoque amat ea quæ ab ipſo ſunt profecta, liberi autem ſunt de ſubſtantia parentum.

2 *Parentum, & inprimis Patris, ius in liberos eſt ius ſeu poteſtas regia.*

Ariſtot.citato libro c.10.dicit,patria poteſtas in filios regni ſpeciem repræſentat, ſed regni benè conſtituti, non verò tyrannici, quale imperium tyrannicum parentum in liberos fuit apud Perſas. Idem repetit Ariſtoteles 1. Politicorum cap.12.vbi inquit; Filiorum regimen eſt regium; quod enim genuit,per ætatem præeſt,ita vt ſit ſpecies quædam Regii imperii; Naturâ enim excellere regem oportet, quod accidit ſeniori ad iuniorem,& parenti ad gnatum.

3 *Maxima omnium cura eſt adhibenda circa liberorum gubernationem, & longè maior,quam circa poſſeſſiones.*

Ariſt.1.Polit.c.13.manifeſtũ eſt, inquit, quod plus ſtudii & domeſticæ diſciplinæ eſſe debeat

circa homines, quã circa poſſeſſiones inanimatorum, & circa horum virtutes, quam circa poſſeſſionis virtutes, quas diuitias vocamus, & circa liberos magis quam circa ſeruos: cuius conſilii ſui rationem eodem cap. reddit, quam ſequens Canon enarrabit.

4 *In educatione liberorum oportet parentes ad Rempub. reſpicere, tanquam ad normam educationis; quia enim liberi ſunt elemẽta Reipublicæ, idcirco Reſpublica talis futura eſt, quales à patribus & matribus familias educantur liberi.*

Diuinus planè locus eſt Ariſtotelis circa finẽ 1. Politic. De viri, inquit, & mulieris, filiorumque & patris ſocietate quid rectè & contra, & quomodo oporteat hoc quidem facere, illud omittere, in his quæ in Repub. geruntur, neceſſe eſt intueri. Et addit argumenta, quorum 1. eſt, virtus partis debet reſpicere ad totum: At liberi ſunt elementa & partes Reipubl. idcirco debet tota eorum virtus ad Remp. referri. 2. Finis diſciplinæ domeſticæ perfectior reſpicit finem Reip. quia priuatum tendit ad publicum; idcirco ſcopus qui parenti proponitur in educatione liberorum, totus debet referri ad bonum ciuitatis publicum. 3, Id quod eſt materia vnde magiſtratus ſumuntur, eius inſtitutio debet ad Rempublicam referri: At ex pueris ſumuntur, qui Rempublicam gubernent.

5 *Cura autem omnis parentum in ſpecie duabus partibus continetur; nempe generatione & enutritione.*

6 *In*

6 *In generatione, tanquam in fundamento & prima cauſa, tria ſunt ſpectanda: 1, Ætas generantium: 2, Qualitas: 3, Cura prægnantium.*

Omninò ſunt œconomica illa quæ Ariſtoteles tractat de generatione & enutritione liberorum in egregiis illis, nempe 16. & 17. c. 7. Polit. neque nobis præiudicat illorum autoritas, qui in Politicis iſta tractant; Nam in Politicis eo ſaltem reſpectu iſta traduntur, quatenus ad Legumlatores pertinet præſcribere parentibus quales ſe debeant gerere in educatione liberorum.

7 *Reſpicienda ergo eſt ætas legitima eorum, qui matrimonium cõtrahunt, ne nempe ea ſit immatura, aut penitus etiam inæqualis; nam prius immaturos & imbecillos dat liberos, poſterius vel nullos, vel etiam malè diſpoſitos.*

Duo tradit præcepta: 1, ne illi qui matrimonium contrahunt, immaturâ ſint ætate, addens, *Adoleſcentiũ coniunctio eſt improba ad filiorum procreationem; in cunctis enim animalibus iuueniles partus imperfecti ſunt, & fœminei crebrius quam maſculi, & parua corporis forma gignuntur.* Definit autem ætatem his verbis; Quapropter, inquit, *Puellas circa ætatem annorum* 18. *nuptui tradere conuenit: maſculos autem circa ætatem annorum* 38. *in hoc enim tempore vigentibus corporibus coniungentur:* Vbi quidem quod ad viros attinet conſiderandum eſt, à tempore Ariſtotelis

ad hoc vſq; valdè decreuiſſe terminos humanæ vitæ, idcirco de ætate virili aliquid detrahẽdum eſſe, ſicut recentiores definiunt tempus anni 28. aut circiter.

8 *Spectanda eſt etiam æqualitas ætatis ſiue proportio, ne alter coniugum alterum nimis ſuperet ætate.*

Ariſt. eodem cap. aliquot rationes affert, cur Legumlatores nõ debeant permittere, vt iuuenis vetulam ducat, aut contra puella ſeni nubat; primò, inquit, vt vitentur rixæ in coniugio: 2, propter liberorum ſucceſſionem, quia liberi non debent ætate nimis abeſſe ab eo auxilio, quod parentibus præſtandum eſt. ſi. n. ſenex habeat filium, non poteſt ſperare adultam filii ætatem, &, per conſeq. non poteſt ab eo ſperare ſolatium & auxilium.

9 *Iam quod ad enutritionem liberorũ, duo ſpectanda ſunt, corpus & anima; Et in corpore quidem iterum duo, nempe victus & cultura ſiue conformatio membrorum.*

10 *Quod ad victum attinet, diſcernendus eſt victus infantum à victu puerorum.*

11 *Victus infantum debet eſſe lac, & inprimis maternum: quia lac eſt maximè proprium nutrimẽtum, quod facilè vertitur in ſanguinẽ, vtpote cum lac ex ſanguine generetur.*

De lacte materno Ariſt. in genere tantum loquitur, quod quia infans ex ſanguine matris ſubſtantiam habet, ideo è lacte materno etiam commodiſſ. nutriatur, cum lac nihil ſit aliud quã

ſanguis

ſanguis alteratus, Plutar. verò de nutrit. liber: grauiſſima argumenta affert; *Cur lacte materno potius ſint alendi infantes quam lacte nutricum.* 1, qui lac maternum implantat liberis amorem matrum, atque adeo facit, vt etiam matres ardentius ament liberos, vtpote quibus quotidiè ſuam ſubſtantiam communicant; vbi autẽ eſt ardentior amor, ibi felicior educatio. 2, quia per nutrices multi morbi transplantantur in infantes; nam quia infantes non ſunt geniti ex ſubſtantia nutricum, ideo quoque lac non eſt ipſorum ſubſtantiæ accommodatum, neque ita ſanitatem conſeruat, ſed potius morbos generat; quemadmodum Ariſtoteles citato c. dicit, *Lac eſſe ſaluberrimum cibum, vinum autẽ peſtilentiſſimum cibum infantum*; quia alienum eſt vinum à ſubſtãtia iſta, ex qua infans recèns eſt procreatus. Accedit alia cauſa, quod quia nondum benè confirmatum eſt temperamentum infantum; ideò facilè ex nutricibus poſſint haurire temperamẽtum; & quia mores animi ſequuntur temperamẽtum corporis, ideò fit vt etiam aſſumant mores nutricum, cum potius debeant aſſumere mores matrum. Quæ mihi videtur eſſe cauſa non leuis, cur magnatum liberi plerumque degenerent, quia ſugunt lac alienum, & per conſequens, hauriunt alienum temperamentum & alienos mores.

12 *In adultiori verò ætate non ita quidem accuratè obſeruatur victus ratio; ſed tamen danda eſt opera, ne nimia ingluuie, ad quam infantes bimuli aut trimuli plerunq; propendent;*

ne etiam vino corpora & ingenia infantum deprauentur & onerentur.

Ariſtoteles ibidem.

13 *Quod porro ad confirmationem & culturam membrorũ, primum omnium ſpectandus eſt motus conueniens, ne tenera & mollia membra diſtorqueantur, id quod prohiberi poteſt faſciculis & aliis inſtrumentis, quæ diuerſæ gentes vſurpant.*

Accuratè etiam de eo præcipit Ariſtoteles, vt nempe cõuenienti motu exerceantur & confirmentur membra infantum, & ordine hæc media ſuppeditat: 1, dicit eſſe certas machinas & certa inſtrumenta, quibus aliquæ gentes vtantur ad conformanda membra tenera & mollia infantum. 2, medium dicit eſſe, vt indurentur corpora præſertim maſculorum frigore: hoc enim, inquit, & ad ſanitatem, & ad res bellicas vtile eſt; idcirco commendat conſuetudinem earum gentium, quæ gelido amni filios immergunt; Item conſuetudinem Gallorum, qui tenui veſte induebant infantes; Eſt enim, inquit, apta puerorum natura ob calorem, vt poſſint frigori aſſueſcere. De qua re vide diſputantem Iohan. Caſum in Sphæra ciuitatis; Ego exiſtimarim in regionibus calidioribus, vt in Græcia, magis valere conſilium Ariſtotelis, quàm in his ſeptentrionalibus plagis.

14 *De diſciplina animi hoc tenendum eſt, quod per eam poſſit impleri id quod deeſt naturæ liberorum.*

Si quis

Si quis in toto Ariſtotele locus eſt obſeruatione dignus, is ſanè eſt qui extat ſub finem libr 7. Polit. vbi inquit: *Omnis ars & diſciplina implere vult id quod deeſt naturæ.* Agnoſcit Philoſophus naturæ corruptionem & ſuppeditat remedium, per quod naturæ imbecillitati ſuccurri poſſit, nempe per educationem & liberales diſciplinas; in quibus duabus partibus tota vitæ noſtræ rectè inſtituendæ ratio conſiſtit, vt nempe 1. agnoſcamus naturę noſtræ imbecillitatem, ſiue morbos: 2, quæramus remedia quibus hi noſtri morbi curari poſſint.

15 *Diſciplina & educatio liberorũ eſt tum priuata ſeu domeſtica, tum publica; quæ vtraque diſtinguenda eſt per certa ætatum interualla.*

De quibus interuallis ſapientiſſimè Philoſophus docet citato extremo cap. libr. 7. Politic. vt in ſequentibus reſoluemus. Similis locus de diſtinctione educationis in priuatã ſeu domeſticam, eſt 10. Eth. c. 9. per totum caput.

16 *Domeſtica inſtitutio ſeu diſciplina debet incipere circa ætatis annum quintum, i. debet intercedere inter annum quintum & inter infantiam primam.*

Ariſtoteles ſub initium cap. vlt. 7. Politic. vbi præcepiſſet infantum corpora eſſe rectè cõformanda ad proportionem membrorum & ad robur, addit deinde, ſequenti verò ætate vſque ad annos 5. motibus quibuſdam exercendi ſunt liberi, quos motus ſequentes Canones declara-

bunt. Ratio verò Philoſophi conſideranda eſt, cur tantum ad motũ tum temporis inſtituendi ſunt liberi; quia, inquit, eo tempore nondum ad diſciplinam aliquam adigendi ſunt, neque cogendi ad labores perferendos, ne impediantur creſcere.

17 *Quinquennis ergo illa diſciplina vel ad corpus tantum pertinet, vel ad animum & corpus ſimul, vel ad animum tantum.*

18 *Ad corpus tantum ſpectans diſciplina hunc ſcopum habere debet, vt incremẽtum corporis promoueatur, & omnis pigrities tenellorum corporum euitetur.*

19 *Ad eam rem ergo conducit inprimis, vt interno & externo motu moueantur corpora. & eſt vtile ploratus, & fletus quoſdam tolerare in hac ætate, cum fletus & ploratus faciant ad corporis augmentũ; quia ſpiritus animales cõprimuntur circa cor, & poſtea ex illa compreſſione velut violenter prorumpentes, iterum diſtendunt arterias & neruos, atq; ita corpora reddũt robuſtiora, & pectus ac thoracem ampliora.*

Dignus notatu locus eſt citato cap. vbi inquit Ariſt. Qui legibus præcipiunt, vt cohibeantur puerorũ ploratus, non rectè faciunt; ſunt.n. vtiles ad augmentũ, cum ſint exercitium corporis. Et ſicut laborantes robur ſibi conciliaturi ſpiritum cõprimunt, ita quoq; cogitandum eſt compreſſione ſpirituum pueris conciliari robur.

20 *Ad corpus & animum ſimul pertinent luſus.*

21 *Ludorum autem puerilium hæc requiſita ſunt: 1, vt ſint liberales: 2, ne ſint nimis laborioſi: 3, ne ſint nimis lenti & remiſſi: denique 4, vt ſint imitationes & præludia quadã eorum, quæ poſtea in adultiori ætate ſerio ſunt faciẽda.*

De iſtis 4. requiſitis perſpicuè Philoſophus ibidem docet; cauſæ verò non poſſunt etiam eſſe obſcuræ. Pertinent autem quædam ad corpus, quædam ad animum. Ad corpus pertinent duo requiſita, quorum 1. eſt ne ſint nimis laborioſi; quia hac ratione prohibetur incremẽtum & accretio corporum, quæ accretio potiſſ. prohibetur ſiccitate corporum, cum accretio nihil ſit aliud quam extenſio corporum ad maiorẽ quantitatem, facta in humido per mediocrem calorem; Quia ergo omnis vehemens labor nimium excitat calorem, nimius autem calor valdè exiccat, ſicut videmus in corio ad ignem admoto; ideo puerorum corpora per nimium laborem exiccata contrahuntur veluti, & non poſſunt excreſcere ad iuſtam proceritatẽ; quod illi parentes notare debebant, qui filiis ſuis indulgent vel in ipſo meridiano ſole æſtiuo tempore vehementiſſimis luſibus operã dare, etiã ad ſudorẽ; quo nihil eſt peſtilentius teneris corporibus. Alterum requiſitum pertinens ad corpus, eſt, ne ludi ſint nimis ignaui & remiſſi, nempe propter hanc cauſam quam ſupra dederat Philoſophus, ne corpora puerorum humoribus redundantibus impleãtur, atque adeo ad ignauiam & inertiam diſponantur. Duo reliqua requiſita ad animum pertinent; quorum primum eſt, vt luſus ſint liberales, id eſt, animum diſponant

ad virtutem & alacritatem quandam non verò tales, quibus animus diſponatur ad vitia & ſordes; Nam infantes & pueri ſimiæ velut quædam ſunt, ita vt in ludo omnia cupiant repræſentare quæcunque vident; vident autem ſæpè illiberalia & ſordida, quæ ne ludendo exprimant, prouidendum eſt. Alterum requiſitum eſt, vt ludi ſint ſimulachra eorum, quæ poſtea ſerio facienda ſunt; quia enim ludorum imagines fortiſſ. imprimuntur in ingenium & memoriam puerorum, ideò præparant in ingenium & memoriam, ac diſponunt quadam ſimilitudine cogitationum ad facilius concipiendum & retinendum ſeria.

22 *Ad animum ſolum pertinent narrationes & fabulæ, quæ ſunt proponendæ pueris in iſta ætate, vt nempe mens aſſueſiat ad attentionem, & ingenium paulatim diſponatur ad rerum notitias, & ad ſemina virtutum, quæ in Fabulis & Apologis proponuntur per modum docendi talem, qui ſit accommodatus captui puerorum, i. per ſimilitudines rerum notarum, & in ſenſus incurrentium; modò id caueatur, ne fabulæ ſint turpes & illiberales, ſed tales, quæ animum puerorum diſponant ad ſeria, prout etiam de luſibus dictum eſt.*

Ariſtoteles citato cap. dicit narrationes & fabulas pueris eſſe proponendas. Et addit; Quales autem narrationes & fabulas illa ætate audire debeant, cura ſit iis, qui pueris publicè præficiuntur; cuncta enim talia ad vitam ſecuturam ſi-

ue adultiorem accommodanda ſunt. Itaq; vtiliter vel ipſæ fabulæ Æſopicæ narrabũtur pueris, vel etiã honeſtiores fabulæ Poëticæ, aut etiã fabulæ ad ſimilitudinem hiſtoriarum quarundam confictæ.

23 *Prohibeant parentes, aut illi qui educationi puerorum præfecti ſunt, ne liberi frequenter conuerſentur cum hominibus illiberalibus, aut vilibus ſeruis, & ancillis in domo; atque adeo quam longiſſimè abducãtur à viſu vel auditu rerum ſeruilium.*

Sunt verba Ariſtotelis citato capite vbi dicit; *Quia neceſſe eſt ad annum vſque 7. domi alere liberos, ideo conſultum eſt in hac ætate, vt ab auditu vel viſu rerum ſeruilium abſint liberi.* Etſi autem apud nos non ſint mancipia, qualia apud Græcos fuerunt, tamen ingenia ſeruorum & ancillarum ſæpè ingeniis, geſtibus, & ſermonibus antiquorum mancipiorum ſunt ſimilia. Itaque apud nos quoque conſultum eſt, vt quando eiuſmodi ingeniorũ ſeruos & ancillas habemus, non patiamur liberos noſtros frequenter cum iis ſolis verſari. Et ratio manifeſta eſt, quia liberi ſunt cera mollis, ideò facilè in ſe recipiunt formam ingeniorum ſeruilium, præſertim cum ſerui & ancillæ blanditiis ſuis ſoleant ad ſe liberos allicere, vt nempe hac ratione ſibi aliquid videantur de iure liberorum vendicare, aut etiam vt dominis hac ratione magis placeant.

24 *Omnis etiam obſcœnitas verborum prohibeatur & arceatur à liberis, vt etiam ob-*

ſcœnitas picturarum, item licentia comœdiarum & tragœdiarum.

Magnam partem capitis citati iſto Can. comprehendimus; nam poſtquam de liberorũ cum ſeruis conuerſatione prohibenda dixerat Philoſophus, addit 3. alia præcepta; quorum 1. eſt, vt procul ab omni obſcœnitate verborum arceantur pueri, addita memorabili ſententia; *Obſcœnitas verborũ exterminanda eſt à Legislatore ex ciuitate*; quia ex obſcœnè loquendi licentia ſequitur & turpiter facere. Quare, inquit, ſtatim à pueris aſſueſiant, ne audiant aut dicant quid turpe. Et illi qui pueris turpe quid narrant, ſi liberi ſint, honore prohibeantur, alii etiam verberibus caſtigentur. Quod & Martialis monet graui iſto dicto:

Maxima debetur pueris reuerentia, &c.

Secundum præceptum eſt de picturis; Cum verò, inquit, dicere turpia prohibeamus, clarum eſt, quod quoq; prohibeamus aſpicere picturas & actus obſcœnos. Et addit; Sit igitur cura magiſtratibus, nullam neque picturam neq; ſtatuam eſſe turpium rerum imitatricem. Vbi tamen addit Philoſophus, quod non placet; exceptis, inquit, ſtatuis & picturis Deorum, quibus laſciuiam mos tribuit: ſed corrigit ſe, quod ad iſtas ſtatuas admitti tantũ debeant adultiores iam facti, vt nempe poſſint ibi ſacra ſua facere. Tertium præceptum eſt de Comœdiis & Tragœdiis, ad quas ſpectandas etiã non vult admittere pueros & adoleſcentes: *Iuniores*, inquit, *Tragœdiarum eſſe ſpectatores Legislator non ſinat*. Vbi ſimiliter etiam

etiam aliquid addit perinde probandum vt ſuperius; niſi, inquit, cum ad eam ætatem peruenerint, vt comeſſationum & potuum poſſint eſſe participes, atq; adeò quos à labe cum alia tum ebrietatis diſciplina poſſit inſontes præſtare.

25 *Vbi quinquennio primo ſic formati fuerint liberi, duobus adhuc annis domi contineri debent vſq; ad annum ætatis 7. & iſto biennio præparari ad diſciplinas illas, quas deinde publicis ſcholis addiſcent.*

Ariſtoteles ſæpè citato c. prohibet ne in publicas ſcholas mittantur liberi ante ætatis annũ 7. ſed id vult, vt à quinquennio ad ſeptennium animi liberorum præparentur, vt quaſi foris proſpiciant ea, quæ in publicis ſcholis primo ſeptennio diſcent, atque adeò vt ad ea blandis rationibus alliciantur. Sicut enim motus corporis fiunt ſucceſſiuè, vt nempe primò diſcant pedem ponere & figere, poſtea ad ſcamna procedere & parietes aut alia fulcimenta, donec tandem ſoli gradum facere poſſint; Ita quoque inſtitutio, quæ eſt motus animi, ſucceſſiue fieri debet, vt nempe primò leuiter tingantur animi puerorũ diſciplinis, deinceps ſucceſſu temporis imbuantur.

26 *Septennio exacte iam debet incipere inſtitutio publica in locis ad id à magiſtratu conſtitutis, & per certas perſonas publicâ autoritate ordinatas, & denique per certos Ephoros & inſpectores, qui ad magiſtratum referant, quomodo iuuentus inſtituatur.*

Monentur patresfamilias de diſcrimine ſeruando inter priuatam & publicam inſtitutionem; quod nempe vltra annum 7. liberos detinere domi nõ debeant, ſed eos permittere Reipublicæ inſtituendos, & quod idcirco in Remp. iſti peccent, quibus illæ priuatæ Pędagogiæ, aut inſtitutio domeſtica, aut ſcholæ clãdeſtinæ tantopere placent; id quod Ariſtoteles aliquot grauibus argumentis probat lib. 8. Polit. cap. 1. vbi inquit; *Maximè omnium Legislator intentus eſſe debet circa diſciplinam iuuentutis. nam ea neglecta affert Rebuſpub. detrimentum.* Publica autem debet eſſe inſtitutio inquit; quia finis inſtitutionis eſt publicus, nempe vt boni viri & ciues tradantur Reip. 2, Rerum communium debet eſſe communis exercitatio ſiue inſtitutio; δεῖ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι ἄσκησιν. At liberi ſunt res communes toti Reipub. 3, Cura partis debet reſpicere curam totius. ἡ ἐπιμέλεια ἑκάστου μορίου πέφυκε βλέπειν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου ἐπιμέλειαν, *Cura partis nata eſt reſpicere ad curam totius.* At liberi ſunt ſumma & neceſſaria pars Reipub. Ergo debet eorum inſtitutio eſſe publica, quaſi in oculis ipſius magiſtratus. 4, Ab exemplo Lacedæmoniorum, vbi inquit; Laudari in eo poſſunt Lacedæm. nam plurimam circa pueros diligentiam faciunt, & quidem publicè. Vbi concludit hoc caput; lege igitur prouidendum eſt circa diſciplinam iuuentutis, & quidem id faciendum publicè. In Ethicis quoque Ariſtoteles admodum ſerio de publica inſtitutione iuuentutis præcipit. libr. 10. Ethic. cap. 9. vbi inquit; *Oportet educationem ſiue παιδείαν iuuentutis eſſe tum domeſticam tum publicam.* Et addit me-

mora-

morabilia verba; *In ſolâ Lacedæmoniorum ciuitate videtur Nomothetes rationem habuiſſe educationis & ſtudiorum, in longè pluribus autem ciuitatibus hæc neglecta ſunt, idcirco in iis viuit quiſq; pro libidine Cyclopum more liberis imperando.* Idcircò conſultiſſ. erat, inquit, vt publicè huius rei procuratio ſuſciperetur per magiſtratũ, idq; publicæ honeſtatis & vtilitatis gratia. Etſi ergo ad Politicam pertineat materia de publica ſcholarum inſtitutione, tamen quatenus hic parentibus præcipitur, vt liberos ſuos ſeptennium aſſecutos publicę inſtitutioni addicant, eatenus omninò œconomicum præceptum eſt. Porrò addit Ariſtoteles tum extremo cap. lib. 7. Polit. tum etiam l. 8. quod anni à ſeptimo anno iterum diſtingui debent in 2. interualla, quorum 1. eſt, ab anno 7. vſque ad annum pubertatis, id eſt, 15. circiter, vbi peculiaria ſtudia tractari debent; & ab hoc anno vſque ad annum 21. iterum peculiaria ſtudia. In genere autẽ iſta ſtudia iuuentutis partitur libr. 8. Politic. cap. 3. in quatuor ſpecies, vbi inquit: Sunt autem quatuor, quas diſcere iuuenes conſueuerunt. 1. literæ, ſiue Grammatica. 2. Gymnaſtica, i. diſciplina de exercitiis corporis. 3. Muſica, 4. figurandi ſeu pingendi peritia. Et addit, literas quidem, ſeu peritiã Grammaticæ diſcere debent tanquam vtilem valdè & expedientem ad vitam, Gymnaſticam autem tanquam conferentem ad robur & fortitudinem. De Muſica autẽ diſputari inter Politicos, quomodo & ad quid tradi debeat, quæ pręcepta prolixè proſequitur à capite 5. vſque ad finem libri.

27 *Debent autem parentes educationem*

inter ſe ſic partiri, vt mater quidem nutriat liberos, pater autem inſtituat & erudiat.

Vtile præceptū de partiundis operis parentum circa inſtitutionem liberorum tradit Ariſtoteles 1. OEconomicorum 2. vbi inquit; *Naturaliter à matre cunctis nutrimentum ſuppeditatur.* & cap. 3. 1. OEconom. ſub finem ita inquit; *Ad liberos quod attinet, horum quidem ortus communis eſt, diſtributio autem operarum peculiaris; matris enim eſt nutrire, patris autem inſtituere.*

28 Pater autem inſtituet eos partim exemplo, partim verbis & legibus.

De exemplo, qui eſt primus & optimus inſtituendi modus, monetur in Appendice 1. OEconom. vbi inquit; Liberi à parentibus ad bonos mores & pietatem inſtituti probi euadent; ſin verò aliter, erit hoc eis detrimento. Niſi enim exemplum vitæ proponant parentes liberis ad imitandum, occaſionem eis præbent pro ſe aduerſus parentes cauſam dicendi, periculumque eſt ne parentes tanquam futiles & contempti in ſenectute à liberis deſerantur. De verbis verò & legibus ita inquit Ariſtoteles 10. Ethicor. cap. 9. Quemadmodum in ciuitatibus leges & inſtituta valent, ita in priuatis ædibus verba moresque paterni, & quidem magis valent cum propter cognationem naturæ, tum ob varia in filios collata beneficia; Filii enim parentes ſuos per naturam iam ante & diligunt, & eorundē autoritate facilè mouētur. Idcirco addit, efficaciorem ſubinde eſſe priuatam, quam publicā educationem; quia parentes melius norunt indolē liberorum,

quam

quam alii; etſi quidem, inquit, diligentes Gymnaſtæ ſiue publici inſtitutores cũ vniuerſalia norint, etiam poſſint ſingulares naturas facilius cognoſcere, & præcepta iis rectiora dare.

29 *Cum autem duplices ſint liberi, nempè mares & fœminæ, ad vtreſque referenda eſt educatio, ſed diuerſimodè, ita vt vtrique ſexui tribuatur id, quod naturæ cõueniens eſt; & quia ſexus maſculus eſt perfectior, idcirco quæ de educatione diximus, ad ſexum maſculũ inprimis referenda ſunt, è quibus deinde facilis erit applicatio ad ſexum fœmineum.*

Tantum de officio parentum erga liberos: ſequuntur Canones *de officio liberorum erga parentes*

1 *Quia virtus liberorum imperfecta eſt, idcirco ea ſe debet conformare ad virtutem parentum.*

2 *Liberi parentibus ſuis debent ardentem amorem.*

Ariſtoteles 8. Eth. cap. 12. prǫclarè inquit, Deberet quidem eſſe æqualis amor parentum & liberorum, ſed tamẽ parentum amor ſemper maior eſt erga liberos, quam horũ erga parẽtes, idque propter has cauſas: 1, quia parentes magis ſciunt liberos eſſe ſuos, quã liberi ſciũt iſtos ſuos eſſe parentes. 2, quia parentes liberis magis coniuncti ſunt per naturam, quã liberi parentibus, cũ liberi ſint de ſubſtantia parentũ, non contra: 3, quia parẽtes ſuos liberos diutius amarũt, quã hi illos; amant enim ſtatim poſtquã in lucẽ editi

ſunt, liberi autem tum demum incipiunt amare, quando parentes ſuos incipiunt agnoſcere. Quæ 3. cauſæ etiam adduci poſſunt, cur matres magis ament liberos, quam patres. Et cap. 11. eiuſdem libri dicit, Amicitiam regiam & paternam conſiſtere in excellentia beneficiorum; quanto enim rex ſuis ſubditis & pater liberis maiora beneficia ad benè viuendum præſtat, tanto maiori amore & honore proſequendus eſt à liberis.

3 *Præter amorem liberi etiam parentibus debent reuerentiam ſeu metum filialem.*

Hoc præceptum eſt 1. OEconom. c. 5. vbi inquit, *filios eſſe aſſuefaciendos ad reuerentiam & honorem.*

4 *Liberi parentibus debent* θρεπτήρια. *id eſt, nutritionem & alia beneficia, præſertim in ſenectute.*

1 OEconom. cap. 3. præclarè inquit Philoſophus: Liberorum procreatio non tantum pertinet ad explendum naturæ ſacrum, ſed ad vtilitatem quoque; quē laborem enim valentiores impēdunt infirmioribus, eius fructum percipiunt effœti parentes in ſenectute à valentioribus liberis. Et libr. 9. Ethic. cap. 2. Parentibus à quibus vitam, victum & educationem accepimus, duo debemus reddere: 1. τὰ θρεπτήρια, alimenta: 2, τιμὴν, honorem, nempe talem, qui ipſis, quatenus tales ſunt, competit. Et in extremo c. libr. 8 Eth. vbi inquit: *Diis immortalibus & parentibus nemo poteſt æquiualentem honorem tribuere, ſed qui eos pro viribus & facultate colit, is probus & pius eſſe putatur.* CAP.

CAP. IV.

De ſocietate inter dominum & ſeruum, ſiue inter herum & famulum.

FVerunt hactenus primæ ac principales ſocietates domeſticæ; Reſtat ſocietas orta & ſecūda, quæ eſt inter dominum & ſeruum; de qua ſunt hi generales Canones:

1 *Etſi dominus ſiue paterfamilias ſit caput familiæ, ita vt præcipuè reſpicienda ſit relatio inter dominum & ſeruum; tamen quia naturaliter is qui dominus eſt, quoque maritus eſt, ideo relatio inter dominam & ſeruam, ſiue inter dominam & famulam hoc in loco etiā ſpectari debet; immò ratione ſeruorum materfamilias etiam caput dici poteſt perinde vt paterfamilias.*

Ariſtot. in OEconom. vt & 1. Polit. vbi de ſocietate inter dominum & ſeruum tractat, ſemper tantum facit mentionem domini & ſerui, nunquam autem dominæ & ſeruæ; idque propterea, quia pars principalis nominata nō excludit partem minus principalem, immò potius includit. Quapropter non eſt exiſtimandum dominium matrisfamilias nullum eſſe in ſeruos & ſeruas, ſed contra potius exiſtimandum includi matresfamilias in perſona domini, atque adeò ſalua proportione ſexus dominæ eandem eſſe autoritatem in famulos & famulas, quæ eſt ipſius mariti.

2 *In hac vitæ conditione Deus & natura fecit diſtinctionem inter dominum & ſeruum, vt vnus alteri inſeruiat.*

Principalis & grauis circa hanc materiã quæſtio eſt; *An ſicut ſocietas inter maritum & vxorem, itemque parentem & liberos eſt inſtituta per naturam, ita quoque ſocietas inter dominum & ſeruum habeat fundamentum & cauſam efficientem in ipſa naturæ diſpoſitione & inclinatione.* De qua re diſputat Ariſtot. prolixè lib. 1. Polit. cap. 5. vbi cum prius cap. 4. dixiſſet, *ſeruum eſſe qui ſui ipſius nõ eſt ſecundum naturam, ſed alterius*; poſtea cap. 5. addit; Non eſt difficile rationibus probare, quod aliquis homo ſit ſeruus naturâ, & quod falſa ſit eorum ſententia, qui dicunt, quod ſeruire ſit iniuſtum, & quod ſeruitus ſit contra naturam. Rationes autẽ eius ſunt hæ: 1, *quod eſt neceſſarium & vtile in humana ſocietate, id omninò conſtituit natura: At dominari & ſeruire ſiuè diſcrimen domini & ſerui eſt ad conſeruandam humanam ſocietatem neceſſarium & vtile. Ergo eſt à natura.* Ratio maioris eſt, quia natura non deficit in neceſſariis. 2, argumentum eſt ab inductione generaliſſ. omnium naturæ operum. In tota natura rerũ quædam ſunt aliis præſtantiora, atque adeo quædam aliis ſubiecta: Ergo quoq; inter homines quidam aliis erit præſtantior, & vnus alteri debebit ſeruire. 3, à natura animatorum ſiue animalis. In animalibus anima imperat corpori ſecundũ naturam: Ergo quoq; inter homines vnus homo alteri debet imperare: vbi obiectionem mouet: Atqui ſæpè vide-

mus

mus quod corpus imperet animæ. E. nullum eſt tale diſcrimen à natura factum. Reſpondet præclaris verbis; oportet conſiderare naturā non in corruptis, ſed in his quæ ſe rectè habent; Idcirco cum hominē, qui & animo & corpore rectè eſt diſpoſitus, inſpiciamus, vbi adparebit animā imperare corpori. In prauis autem ſæpè reperitur corpus imperare animæ; quia tales ſunt per naturā malè diſpoſiti. 4, Animalia manſueta meliora ſunt feris, & beſtiæ ſecundū legem naturæ parent homini: ergo quoque ſecundum legem naturæ homo minus præſtans parebit præſtantiori. Ratio conſequentiæ eſt; quia quantum animus à corpore, & quantum homo à beſtia; tantū vnus homo ſæpè diſtat ab altero. 5, Per naturā fœmina paret maſculo: E. quoq; ſeruus domino. 6, Quod per naturā vtile eſt, id quoq; per naturam inſtitutū eſt: At vtile eſt, vt qui deteriores ſunt naturâ regantur ab iis, qui ſunt naturâ meliores. Ergo per naturā eſt inſtitutū, vt deteriores ſeruiāt melioribus. Ideò, inquit, in textu: Hi ſunt naturâ ſerui, quibus melius eſt vt regantur, quam vt regant. Huc pertinet pręclarum illud dictum Auguſt. lib. de vtilit. credendi, c. 10. *Non poßunt ſtulti beatius viuere, quā ſi ſeruiant ſapientibus.* 7, à diſcrimine corporum; Natura, inquit, fecit diſtincta corpora hominū, alia quidem robuſta ad opus, aliorum verò imbecilliora, ita vt animus in iis præualeret, atque adeò eſſent quædam deorum imagines, & non tam robur, quam pulchritudinem corporis haberent. Cum ergo natura nihil faciat fruſtra, vtique voluit eos, qui corpore robuſti ſunt & de-

formes, animo verò imbecilles, ſeruire illis qui corpore ſunt imbecilles, animo verò ſimul & corpore pulcriores. Et hæc quidem ita diſputat Ariſtoteles; quæ quatenus vera ſint, aliquot limitationibus nobis indicandum eſt; quarum 1. eſt; homo ante lapſum non erat alteri homini ſubiectus vt ſeruus, quia omnes imaginem Dei ex æquo obtinere debuiſſent. 2, Poſt lapſum verò vbi diſtinctiones & gradus quidam maioris vel minoris bonitatis, itemque maioris vel minoris deprauationis in naturam humanam implantati ſunt, vtique vnus homo alteri ſubiectus eſt, non tantũ in Politicis, ſed etiam œconomicis; ſubiectio autem œconomica non tantum eſt coniugis & mariti, liberorum & parentis, ſed etiam famuli & heri. Et ſanè cum Decalogus ſit de lege naturæ, in tabula autem 2. Decalogi lex ſit, quod liberi (quorum nomine omnes inferiores comprehenduntur) debeant parêre parentibus, id eſt, ſuperioribus quibuſcunque, vtique ad ius naturæ etiam ſeruitus reducetur. Quod etiã ex eo poterit probari; quia videmus certas quaſdam gentes ſeruili ingenio naſci, vt eſt gens Moſcouitica, gens Sclauonica, & multæ gentes in Indiis orientalibus & occidentalibus, quarum naturæ magis diſpoſitę ſunt ad ſeruiendum, quam dominandum. Qua de re vide diſſerẽtem Busbequium in Epiſt. Turcic. 3, Si ſeruus ſumatur pro mancipio, id eſt, tali, in quem habeas ius vitæ & necis, vtique hac ratione nullus homo homini ſeruus eſt; quia nullus homo in alterum habet ius vitæ & necis, cum nullus homo alteri poſſit vitam dare. Sin vero ſeruus accipiatur

cipiatur pro eo, qui teneatur mihi aut tibi debita miniſteria præſtare in rebus œconomicis, talis ſeruus omnino dabitur à natura, ſed non dabitur apud omnes gentes, ſed tantũ apud quaſdam gentes, apud quas nimirum ſtrictior eſt obligatio dominorum & ſeruorum. 4, Apud nos hodiè in his regionibus, præſertim in Germania, ſerui ſeu famuli magis iure gẽtium, œconomico & ciuili ſeruiunt, quam naturali; 1, quia ex conducto ſeruiunt: 2, quia non perpetuò ſeruiunt, ſed tamdiu, quamdiu paciſcuntur famulitium. Quô exiſtimo reſpexiſſe ICtos libr. 1. Inſtit. tit. 3. vbi dicitur: *Seruitus eſt conſtitutio Iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam ſubiicitur*; vbi valdè durum id eſt, quod dicunt, *contra naturam*, cum ius gentium ſit etiam ius naturæ, nempe *Ius naturæ ortum à primo*, vt in Ethicis oſtenditur: niſi fortè *naturam* hîc ſumãt pro perfecta natura ante lapſum, in qua nec magiſtratus fuit nec ſubditus, nec dominus, nec ſeruus. Porro diſtinguit Ariſtoteles capite 6. 1. Politicorum, inter ſeruos, vbi dicit: *Dupliciter dicitur & ſeruire & ſeruus, nempe vel natura, vel lege*; Lege ſeruum vocat eum qui in bello captus eſt, & hac ratione dicit etiam nobilem poſſe eſſe ſeruum, id eſt, talem qui naturâ aptus ſit eſſe dominus; vnde etiam nomen Latinum originem duxit; dicuntur enim *ſerui*, quaſi *ſeruati*, nempe in bello; & mancipia, quaſi *manucapta*. Addit autem ſeruitutem ex lege vel eſſe iuſtam, vel iniuſtam. Iuſtam eſſe, ſi principium belli, in quo captus eſt, iuſtum ſit; cõtra autem iniuſtam eſſe, ſi principium ſiue cauſa belli iniuſta ſit.

Canones de ſocietate inter dominum & ſeruum partim ſpectant rationem eligendi ſeruos, partim rationem regendi, qui Canones omnes iam ordine ſequuntur.

1 *Maxima cura eſſe debet circa famulorũ delectũ & regimen, vtpote cum ab his pendeat magna pars adminiſtrationis domeſticæ.*

Notare debent patresfamil. quod maximum momentum regendæ domûs ſitum ſit in regimine famulorum & famularum, quod monet Philoſophus 1. OEcon.5. vbi inquit; *In facultatibus domeſticis optimũ & præſtantiſſimũ eſt homo, quare cum ſeruus ſit prima poſſeſſio domini, ante omnia probus is fuerit parandus.* Quo reſpectu autem ſeruus referatur ad priorem hanc partem œcon. nempe ad ſocietatẽ domeſticam, quo reſpectu verò ad alteram partẽ, nempe ad poſſeſſionẽ, id infra perſpicuè intelligetur. Ratio autem petitur ex c.4. lib.1. Polit. vbi inquit; *Seruus eſt inſtrumentum animatum, & inſtrumentum omnium inſtrumentorum*: Nam ſi inſtrumẽta domeſtica poſſent ſe ad nutum ſui domini mouere, ſi pectines poſſent per ſe texere, & plectra poſſent citharas per ſe pulſare, quemadmodum Dædali aut Vulcani tripodes finguntur à Poëtis ſuâ ſponte prodire ad opus; vtique, inquit, nec architecti miniſtris, nec domini ſeruis indigerent. Vis ergo argumẽti hęc eſt; *Per quod inſtrumentum reliqua inſtrumenta moueri debent ad opus, illius maxima cura eſt habenda in œconomia: Atqui per famulum & famulas reliqua inſtrumenta debent moueri; & ad vſum transferri: Ergo ho-*

go horum maxima eſt cura habenda: Idcirco c. 6. 1. Polit. dicit; Seruus eſt pars quædam domini, & quidem pars animata corporis eius, ſed ſeparata pars; idcirco amicitia eſt ſeruo & domino inuicem, qualis eſt amicitia inter cauſam principalem & inſtrumentalem.

2 *Tales ſerui ſeu famuli ſunt eligendi, qui neque nimis timidi ſunt naturâ, neq; etiã nimis confidentes; nam nimis timidi plerunq; etiam ſunt ignaui, & nihil poſſunt tolerare laborum; nimis autem animoſi difficulter reguntur.*

Pulcherrimum præceptum eſt 1. OEcon. c. 5. Ad opera, inquit, faciéda, ea ſeruorum natio eſt maximè oportuna, quę neque timida & ignaua, neque nimis animoſa ſit. Vtrumque enim inquit, genus ſeruorũ iniuſtum eſt & improbum; propterea quod timidi & ignaui labores ferre non poſſint; ſubintel. ob defectũ caloris natiui; confidentes autem & animoſi difficulter reguntur, propter nempe vehementiam caloris, quæ vehementia eos inquietos reddit & iracundos. Pulchrè de hac re diſſerit I. Caſus p. 115. Theſauri OEconom. vbi videri poteſt; & addit hoc conſilium; quandoquidẽ tam exacti temperamenti ſerui non facilè inueniantur, potius eſſe eligendos timidos, quam animoſos; quia timidus magis ſtudebit placere domino, & facilius ſe patietur regi, ſaltem metu pœnæ. Accedit etiam Ariſtotelis conſilium 1. Politicorum capite 9. vbi inquit; *Virtus ſerui modica eſſe debet, & tota referri ad dominum*; Et addit; Patet ſeruum virtute indigere paruâ & tantâ ſaltem, vt neque propter intemperantiam, neque propter timiditatem

nimiam in operibus deficiat. Idcircò poſtea dicit, magis eſſe admonendos ſeruos, quam liberos, nempe propterea, quia minor virtus ſit ſeruorum, quam liberorum. Quod verò circa medium eiuſdem cap. dicit, ſeruus omnino non habet deliberandi arbitrium, id referendum eſt ad mancipia illa, qualia erant tempore Ariſtotelis.

3 *Plures ſeruos peregrinos eiuſdem gentis, id eſt, peregrinos populares aſciſcere Paterfamilias in domum non debet.*

Hoc conſilium dat Ariſtoteles 1. OEcon. c. 5. vbi inquit; *Non parandi ſunt ſerui multi populares.* Ratio autem hæc reddi poteſt; quia iſti facilè inter ſe poſſunt conſpirare contra dominum, dum nempe linguâ vti poſſunt peregrinâ, quam alii domeſtici non intelligunt, & præterea iſta cõiunctio patriæ præbebit eis occaſionem perpetuò inter ſe garriendi de iis, quæ domi fiant, & ita operis herilis negligendi.

4 *Conſultum eſt à primâ ætate in ædibus educare eos, qui tibi liberaliter famulari debeant.*

Conſilium Ariſtotelis extat eodẽ loco, nempe 1. OEconomic. cap. 5. vbi ſimul additur ratio; quia, inquit, cernimus ætatem puerilem diſciplinâ flecti & fingi poſſe, neceſſe fuerit educando parare ſeruos eos, à quibus liberales operas exigere velis.

5 *Non eſt quidem magnæ artis regere ſeruos, interim tamen maius quid eſt, quam habere*

bere ſeruos; dominus enim is ferè eſt, non qui habet ſeruos, ſed is qui iis vtitur.

Primo Polit.c.7.*Dominus*, inquit, *non dicitur ſecundum ſcientiam, ſed ſecundũ naturam.* Nonnulli ergo ſubtilius diſtinguunt inter ſcientiam dominicam & ſeruilẽ, ſicut is qui Syracuſis pueros docebat in ſeruitute. Tota autẽ domini ſcientia eſt poſſe vti ſeruis; nam dominus eſt non in poſſidendo ſeruos, ſed in vtendo. Itaque hæc ſcientia non magnum quid, neque glorioſum continet; nam quæ ſeruum ſcire oportet, vt faciat, ea dominum ſcire oportet vt iubeat. Et addit; Idcirco multi domini cuidam vicario famulo hunc honorem permittunt, vt ſeruos regat, ipſi autem vel Reip. adminiſtrandæ, vel ſtudiis Philoſophiæ ſunt intenti.

6 *Dominus ſeruos ſuos neque petulantes nimis, neque nimis remiſſos eſſe patiatur, ſed ſemper intra æquilibrium mediocritatis retineat.*

1. OEconom.5. *Sic erga ſeruos dominus ſe geret, vt neque petulantes, neq; remiſſos eſſe patiatur.* Et addit ibidem quod liberalioribus ſeruis debeat aliquid honoris deferre; ita tamen, ne ſe faciat iis familiarem, cum ſemper familiaritas pariat contemptum.

7 *Tria debentur ſeruis*: 1, *opus*: 2, *cibus*: 3, *caſtigatio.*

Eodem cap. *Tria*, inquit, *ſeruo propoſita eſſe debent, opus, animaduerſio & cibus.* Et addit; ſi cibus ſuppetat ſine opere & animaduerſione petu-

lantia iis innaſcitur. Inter opera verò & animaduerſionem cibum non habere, iniuſtum & violentum eſt, & elidit & frangit vires. Caſus ſuper illud caput feſtiuè inquit; *Cibus ſine opere facit ſeruum porcum; Opus ſine cibo aſinum; Caſtigatio ſine vtroque, canem.* Debetur ergo cibus, inquit, tanquam naturalis merces & præmium ſeruo. Quod & Ariſtoteles eodem cap. dicit, vt poſtea audiemus.

8 *Detur ergo tantum cibi ſeruo, quantum ei ſatis eſt ad ſatietatem & ad robur.*

Eodem capite dicit Philoſophus: *Liberalioribus ſeruis aliquid honoris habeat; operariis autem cibi copiam præbeat.* Et deinde addit; *Quia opera facere coguntur ſatis cibi eis ſuppeditetur*; nam non poteſt aliquis dominus eſſe eorum, quibus nulla merces perſoluitur; ſerui autẽ prima merces cibus eſt.

9 *Seruis vel nihil, vel perquam parum vini eſt dandum.*

Primò OEconom. cap. 5. ita inquit Ariſtoteles; *Quoniam vini potu etiam liberi petulantes effici ſolent, & in multis gentibus ab eo etiam liberi homines abſtinent, vt in caſtris Carthaginenſes, patet quod ſeruis vel nihil vini, vel perquam parum ſit tribuendum.*

10 *Præter cibum & potum etiam veſtes neceſſariæ ſeruis dandæ ſunt, ſed ita vt cibus, potus, veſtis, animaduerſio, & otium pro eorum naturâ vel intendatur interdum, vel remittatur, prout merentur.*

Eodem loco dicitur; Conſideratio eſt adhibenda, & diſtribuẽda & remittenda ſingula prout merebuntur, cibus, veſtis, animaduerſio, otium, &c. imitabimurque Medicorum artem, qui ſingula conuenienter intendunt & remittunt, atq; idcircò dicunt, quod cibus non poſſit eſſe medicamentum propter continuum vſum. Sic ergo in adminiſtratione domeſtica interualla certa ſeruari debent; nam aliàs nihil erit, quo rectè familiam curare poſſimus, ſi nempe eadem eodem modo perpetuo fiant.

11 *Dominus ſuis ſeruis debet eſſe cauſa virtutis, & vniuerſis finem certum præſcribere.*

Prius illud quod dominus debeat eſſe ſeruis cauſa exemplaris virtutis, docetur extremo c. 1. Polit. Patet, inquit, quod oporteat eſſe virtutis cauſam dominum ſeruo, nempe eo ipſo, quo dominus eſt, atque adeò magis per naturam, quam per doctrinã; nam aliàs dicitur, qualis dominus, talis ſeruus; ſicut c. 7. etiã eiuſd. lib. dicitur, quod ſeruus ſit præ ſeruo, & dominus præ domino, i. quod ſint diſcrimina ſeruorum & dominorum, & tales fiant ſerui, qualiter reguntur à domino. Quod autem dominum oporteat finem præſcribere ſeruis, docetur 1. OEcono. 5. his verbis; *Finis præſcribendus eſt ſeruis vniuerſis.*

12 *Homines deteriores fiunt, quãdo melioribus non tribuitur melius, i. quando bonis non dantur præmia; ideo ſeruis quoque præmia ſunt tribuenda, inter q̃ maximũ olim fuit libertas.*

Citato loco memorabilis eſt ſentẽtia. Quod in aliis rebus omnib. accidit, vt deteriores fiant ho-

mines, ſi non melioribus melius, neque præmia virtuti, aut vitiis pœnæ propoſitæ ſint; idẽ contingit in famulis. Et paulò poſt addit; *Iuſtum eſt & vtile præmium ſeruis propoſitum eſſe libertatem, libenter enim laboratur præmio propoſito.*

13 *Tempus etiã certum & demenſum præfiniendum eſt laboribus ſeruorum.*

Eodem loco dicit: *Libenter laboratur tempore præfinito.*

14 *Diebus feſtis recreatio ſeruis eſt permittenda.*

Eodem capite ſacrificia & otium, quod eſt in diebus ſacris, magis ad ſeruos, quam ad liberos eſt referendum; quia plura ſunt in ſeruis propter quæ iſta otia fuerunt inſtituta. Sub finem capitis 5. iſta ab Ariſtotele dicta latius explicantur à Caſo; Nec aliud addam, quam quod ipſe Deus diſertè diem Sabbathi velit eſſe feriatum, & à laboribus immunem etiam ſeruis, ita vt hoc præceptum Ariſtotelis etiam cum diuino iure congruat, cum dicit, *Dies ſacrificiorum indulgendos eſſe ſeruis ad otium.* Habet eodem loco præceptum, quod ſerui procreationibus liberorum tanquam pignoribus obſidum, ſint conſtringendi; id quod planè pertinet ad ſeruos iſtos antiquos, qui in ædibus dominorum matrimonia contrahebant.

15 *Qui copioſam habet familiam, poteſt diſtinctionem inter ſeruos inſtituere, vt alius ſit director, alii vero velut operarii.*

Eodem capite 5. *Genera*, inquit, *ſeruorum duo ſunt;*

ſunt; nempe ἐπίτροπος, καὶ ἐργάτης, director & operarius.

Tantum de officio domini erga ſeruos; officium ſeruorum erga dominos 2. Canonibus comprehendimus:

1 *Ratio rectè ſeruiendi magnis præceptis nõ eget, cum ſerui virtus tota ad dominum referatur, & ſit virtus inſtrumentalis, quæ à cauſa principali pendet & regitur.*

Ariſtotelis Canon eſt lib. 1. Polit. cap. 7. vbi dicit; *Non eſſe magnam ſcientiam ſeruilem, & conſiſtere totam in eo, quod ſcire deceat ſeruum ea quæ facere oporteat.* Et cap. 13. eiuſdem libri dicit, *Serui virtutem eſſe inſtrumentalem, idcirco oportere magis admonere ſeruos, quam liberos.*

2 *Quatenus verò ſerui apud veteres quidam erant coqui dominorum, eatenus maiori aliqua arte egebant, ſicut & hodiè famulæ illæ, quæ culinarium munus habent.*

Ariſtoteles citato cap. 7. lib. 1. Polit. dicit quorundam ſeruorum eſſe aliquam diſciplinam, nempe coquinariam, cum ſint ſeruorum opera diſtincta, & alius ſeruus alio ſeruo ſit honeſtior, dum nempe honeſtiora opera tractant. Cæterum quod ad artẽ coquinariam attinet, ea ſubordinatur diſciplinæ œconomicæ tum ratione eâ, quâ eſt opus ſeruorum vel famulorum, tum etiam quatenus cibus eſt inſtrumentum domeſticum; de quo paulò poſt etiam monebimus.

3 *Serui officium in duobus his conſiſtit: 1, vt ſit fidelis: 2, vt ſit induſtrius.*

Plura de ſeruorum officiis nolumus hoc loco tractare; Illud tantum ſubiicimus, quod Apelles ſeruum olim depinxerit ita, vt ei attribuerit aures aſininas, nares porcinas, manus omni inſtrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes ceruinos, labra duabus ſeris clauſa. Quæ imago quomodo intelligenda ſit, vide Caſum ad cap. 3. 1. Polit. vbi etiam multa alia ad hanc materiam conducentia inuenies.

CAP. V.

De accidentaria, deque ſecundaria ac imperfecta ſocietate œconomica.

Vidimus ſocietatem œconomicā perfectam & eſſentialem, quæ 3. ſocietatibus tantum conſtat, nempe mariti & vxoris, parentum & liberorum; domini & ſerui; ſequitur ergo accidentaria, cum nempe in familia domeſtica plures ſocietates reperiuntur, ita vt etiam hoſpites & peregrinos inter domeſticos numeremus; qualis eſt ſocietas domeſtica hoſpitum ſiue eorum, qui hoſpitia aliis præbent.

De hac Canon eſt:

Quô quid magis accedit ad multitudinem, eô magis recedit à perfectione, & facilè admittit confuſionem; idcirco ſi plures ſint ſocietates, quam illæ 3. eſſentiales, difficilior eſt adminiſtratio domeſtica, & confuſionibus magis obnoxia.

Sequi-

Sequitur, vt etiam dicamus, quid ſit ſocietas œconomica mutila & imperfecta; nempe in qua deeſt aliqua ex 3. eſſentialibus ſocietatibus.

Eſt autem hæc vel magis, vel minus mutila.

Magis mutila eſt, vbi deeſt vna ex iſtis primis & maximè naturalibus ſocietatibus, nempe mariti & vxoris, parentum & liberorum.

Et in hac iterum ſunt gradus; nam maximè omnium mutila eſt adminiſtratio viduarum, vbi maritus deeſt; qui id eſt in domo, quod rex in regno, vt aliquoties repetit Ariſtoteles.

In primis 8. Ethicorum cap. 12. vbi inquit: *Ariſtocratiæ ſimilis eſt ſocietas inter maritum & vxorem; ambo enim eſſe debent optimi in domo, ex qua Ariſtocratia fit oligarchia, vel quando maritus omnia vult ſolus adminiſtrare, vel quando vxor propter amplitudinem dotis vult dominari, quæ etiam γυναικοκρατία dicitur.* Democratiæ verò ſimilis eſt οἶκος ἀδέσποτος, domus carens domino; tunc enim efficitur Anarchia, & omnes æquè volunt imperare in domo.

Proxima mutilatione eſt illa domus, quam adminiſtrat viduus; In hac enim paruorum liberorum cura exigua eſſe poteſt.

Tertio gradu mutila eſt domus ſterilis, in qua deſunt liberi.

Hi enim ſunt & pignora amoris coniugalis & fructus primæ ſocietatis, & heredes poſſeſſionis domeſticæ.

Quartus gradus eſt, quando deeſt tertia ſocietas, quæ eſt inter dominum & ſeruum, nempe vel præ paupertate vel alia quadam cauſa.

Ariſtoteles de hoc gradu mutilatæ ſocietatis domeſticæ dicit 1. Polit. cap. 2. *Bos pauperibus pro ſeruo eſt*, id eſt, qui imperfectam habent adminiſtrationem domeſticam, illi vel ſibi ipſis ſunt pro famulo, vel boue vtuntur pro ſeruo.

Quintus & imperfectiſſimus gradus eſt, cum cœlibes œconomiam inſtituunt, id eſt, tales qui nec in coniugio vnquam fuerunt, aut eſſe cupiunt aut poſſunt, & interim volunt habere propriam adminiſtrationem domeſticam, quæ adminiſtratio vt eſt ambiguè & impropriè dicta œconomia, ita raro eſt fortunata.

CAP. VI.

De generibus poſſeſſionum domeſticarum.

ABſoluimus primam partem œconomiæ generalem, quæ eſt de ſocietate hominum in domo; Nunc alteram aggredimur, quæ eſt de poſſeſſione domeſtica.

Sic enim ſupra partem œconomicæ generalem partiti ſumus, quod ſit vel circa homines vel circa poſſeſſiones. Et citauimus loca Ariſtotelis, qui eodem modo totam œconomiam diuidit, nempe 1. Polit. 2. vbi inquit; *Sunt autem duæ partes œconomiæ, homo, & res familiaris ſeu facultates*; quod idem etiam colligitur ex cap. 3. & 4. lib. 1.

lib.1. Polit. vbi inquit; *Omnis ciuitas ex domibus conſtat*; Rei autem domeſticæ partes ſunt, ex quibus domus eſt conſtituta: Conſtituitur autem domus ex hominibus iisque vel ſeruis vel liberis, & deinde ex altera parte, quæ eſt adminiſtratio rei familiaris.

Poßeßio dicitur omne id inſtrumentum, quod neceſſarium eſt tribus iſtis hominum ſocietatibus, tum ad viuendum, tum ad commodè viuendum.

Ita Ariſtoteles lib.1. Politic. cap.4. vbi inquit; *Poſſeſſio eſt multitudo domeſticorum inſtrumentorum.* Item, *Res poſſeſſa eſt inſtrumentum ad vitam.*

Canones generales de poſſeſſione domeſtica ſunt hi:

1 *Sine poſſeſſione & inſtrumentis domeſticis impoſſibile eſt & viuere & benè viuere; itaque omnis poſſeſſio facit vel ad viuendum ſimpliciter, vt alimenta; vel ad commodè viuendum, vt domus, veſtis & alia ſupellex; vel ad ornatè viuendum, vt ſunt domeſtica ornamenta.*

Ita Ariſtoteles 1. Politicor. cap.4. *Sine neceſſaria poſſeſſione impoſſibile eſt & viuere & benè viuere.*

2 *Vt in omnibus aliis artibus determinata ſunt inſtrumenta, ita quoque propria & determinata inſtrumenta ſunt in re familiari;*

determinatum autem inſtrumentum vocatur, quod ſuâ naturâ facit ad finem eſſequendum.

Ipſa verba Ariſtotelis dicto loco.

3 *Inſtrumenta quædam ſunt actiua, quædã factiua; actiua dicuntur, quibus non vti poſſumus ad opus efficiendũ; factiua autem dicuntur quibus vtimur ad opus aliquod efficiendum.*

Eodem loco ita diſtinguit inſtrumẽta domeſtica, inquiens; Cum ſpecie differant facere & agere, indiget vtrumque inſtrumentis, & quidem diſtinctis: Factiua enim inſtrumenta ſunt ea, à quibus aliquid fit præter eorum vſum. e.g. ſecuris dicitur factiuum inſtrumentum, quia ſecuri poſſumus quoddam opus parare, quod ſit diſtinctũ à ſecuri. Actiuum verò inſtrumentum dicitur à quo nullũ opus habemus præter eius vſum. e.g. à veſte vel lectica nullũ opus producitur, ſed ab his tantum vſum habemus. Et addit deinde; *vita autem noſtra actio eſt, non factio.*

4 *Quam minimum eſſe debet inter poſſeſſiones domeſticas, quod non ſit fructuoſum, i. pauca debemus habere ad ornatum & ſplendorem, plurima verò ad fructum.*

Hoc præceptũ ſuppeditat Ariſtot. 1. OEcon. 6. inquiẽs; *Poſſeſſiones ſigillatim diſtinctas & plures fructuoſas quam infructuoſas eſſe conuenit.*

Circa poſſeſſionem domeſticam tria nobis conſideranda ſunt: 1, *quæ & quot ſint genera poſſeſſionum:* 2, *qui ſint modi acquirendi poſſeſſionem domeſticam: denique* 3, *quomodo facultates*

tates domeſticæ ſint adminiſtandæ & ſeruandæ.

Poſſeſſio omnis vel animata eſt, vel inanimata.

Ita diuidit Ariſtoteles 1. Polit. c. 4. vbi inquit; *Inſtrumentorum quædam inanima ſunt, quædam animata.* Et addit ſimilitudinem; Velut gubernatori nauis veluti inanima eſt, qui verò prorã regit animatus; nam miniſter in artibus locum inſtrumenti obtinet.

Animata poſſeſſio, ſeu inſtrumentum domeſticum dicitur, quod viuit vt animal.

Dicimus, quod *viuit vt animal*; nam aliàs & arbores & fructus viuunt, vt Phyſici norunt; ſed tamen non vocantur animata inſtrumenta in œconomicis, quia non mouentur vt animalia.

Animatum inſtrumentum iterum eſt vel primarium, vel ſecundarium.

Primarium eſt ſeruus, qui hoc loco ſpectatur non vt pars ſocietatis domeſticæ, ſed vt genus quoddam poſſeſſionis. antiqui enim emebant ſeruos & habebant quoque ius vendendi.

Ariſtoteles in cap. 4. lib. 1. Politicorum primo loco inter animatas poſſeſſiones collocat ſeruum: quia, inquit, ſeruus domino eſt inſtrumentum non ad actionem, ſed ad factionem. Et cap. 8. eiuſdem libri; etiam ſeruus eſt pars poſſeſſionis. Et cap. 5. 1. OEconom. Inter poſſeſſiones domeſticas primum & maximè neceſſarium eſt id;

quod eſt optimum & præſtantiſſimum, id autẽ eſt homo; quapropter ſerui ante omnia probi ſunt parandi; quia nempe ſeruus eſt inſtrumentum ante omnia inſtrumenta, id eſt, ſeruus regit omnia reliqua inſtrumenta, & ſic ſupellectilem domeſticam, vt pulchrè inquit 1. OEconomicorum 4.

Secundum inſtrumentum animatum, eſt pecus.

Pecus autem eſt vel campeſtre vel domeſticum.

Campeſtre eſt vel armentum vel gregarium.

Armentum, vt boues, vaccæ, equi.

Gregale, vt oues, arietes, agni, hædi, &c.

Domeſticum pecus eſt vel ad nutrimentum, vt gallinæ, anſeres, anates, columbæ; vel ad cuſtodiam, vt canes; vel ad munditiem, vt felis.

Inanimatum inſtrumentũ domeſticum eſt tum naturale, tum artificiale.

Naturale iterum vel primum, vel ortum à primo.

Naturale inſtrumentum, ſeu poſſeſſio prima eſt fundus, ſiue hortus, ager, piſcina, ſtagna, lacus, ſylua, & fodina metallica.

Addo *fodinam metallicam*, ductus textu Ariſtotelis libr. 1. Polit. cap. 11. vbi inter poſſeſſiones domeſticas numerat etiam *metallicas fodinas.* Et dicit, fodinas metallicas eſſe poſſeſſiones medias inter naturales & artificiales; & poſſe plurimum

mum fructus ex iis percipi, ſicut poſtea etiam dicetur vberius cum de modis acquirendi tractabitur. Cæterum ad hortos referuntur etiam vineæ, tanquam magna pars poſſeſſionum domeſticarum in regionibus viniferis, quibus in regionibus noſtris ſubſtituuntur horti lupuliferi.

Ortum à primo iterum eſt vel primarium, vel ſecundarium.

Primarium eſt alimentum domeſticũ, quod iterum vel ſiccum, vt panis, caro, piſcis, olera, legumina; vel humidum, vt vinum, cereuiſia, & eius diſtincti gradus.

Ariſtoteles 1. Polit. cap. 10. inquit; Sicut homines non facit Reſpub. ſed factos à natura ſuſci... & illis vtitur; ſic & alimentum oportet natu... n præbere aut à terra, aut à mari, aut alio quo... n modo; Sed quemadmodum hæc admini... anda ſint, ad gubernatorem domus pertinet. ... ue enim textoriæ artis eſt lanam facere, ſed factâ vti, & diſcernere qualis ſit, bona an mala.

Secundaria ſunt, ligna, ſtramen, fænum, auena, hordeum, ſiligo, triticum; item, *plumæ & eiuſmodi alia, quæ ex primariis iſtis oriuntur.*

Tantum de naturalibus poſſeſſionibus; artificialis poſſeſſio eſt, quæ magis arte quam naturâ conſtat.

Et hæc iterum eſt vel continens, vel contenta.

Continens eſt domus, de qua ſunt hi Canones:

1 *Domus in œconomicis dupliciter conſideratur. primò quidem, vt circumſtantia loci, in quo & ſocietates domeſticæ inſtituuntur, & tota poſſeſſio domeſtica adminiſtratur & conſeruatur, & ſic per totam œconomiam de domo agitur; quia omnis actio humana fit in certo loco; vel conſideratur vt ſpecies poſſeſsionis, & inſtrumentorum domeſticorum, & ſic hoc loco de domo agimus, tanquam de inſtrumento præcipuo, ad quod reliqua reducuntur & referuntur.*

2 *Domum & eius ædificationem referre oportet & accommodare, 1. ad commoditatē hominum & ad ſanitatem: 2, ad facultates ſeu poſſeſſiones reliquas domeſticas: & 3, ad inhabitantium iucunditatem & voluptatem.*

Pulcherrimè de domo & eius requiſitis diſſerit Philoſophus cap. 6. libr. 1. OEcon. vbi inquit; *Is qui parat domum, debet diligēter circumſpicere, eiusq; extructionem accommodare & ad facultates & ad ſanitatem & ad incolentiū iucundum vſum.* q. d. In domo ædificanda vel eligenda 2. iſtas partes totius œconomiæ eſſe reſpiciendas, nempe hominem & facultates; Pro hominibus eſſe parandam domū commodam, ſanam, iucundam, pro facultatibus vtilē, nempe vt eo loco ſita ſit, vbi poſſis acquirere facultates, & deinde vt ſic conſtructa ſit ſingulis paribus, quo omnis generis inſtrumenta domeſtica in ea poſſint incorruptè ſeruari.

3 *Quod*

3 *Quod ergo attinet ad homines, 2. potiſſimum ſpectanda ſunt:* 1, *vt ad conuenientes cæli plagas ſita ſit domus, ita vt æſtate ventis ſit expoſita & Aquilonem ſpectet; hyeme verò ſoli ſit expoſita, & Ortum ac Meridiem ſpectet.* 2, *vt ſit ſuis partibus, conclauibus & contignationibus diſtincta pro ſeruis, pro liberis, pro mulieribus, pro hoſpitibus.*

Suppeditauit hunc Canonem quoque Ariſtoteles dicto loco, vbi inquit; *Debent eſſe loca in domo diſtincta pro liberis, pro ſeruis, pro mulieribus, pro hoſpitibus, pro ciuibus.* Et addit; Ad ſanitatem verò & ad iucundum vſum apta eſt futura domus iſta, quæ æſtate ventis, & hyeme ſoli eſt expoſita, atq; adeò quæ aquilonem ſpectet, & non æquali ſit latitudine, id eſt, vt partes quædam ſint ampliores pro ratione vſus; exempli gratia, conclauia æſtiua, quædam verò anguſtiores, vt conclauia hyberna, præſertim in his locis, vbi pro fornacibus copia lignorum requiritur.

4 *Reſpectu verò facultatum ſeruandarum oportet domum eſſe diſtinctam partib. præſertim ſuperioribus & inferioribus ſiue cellis, deinde locis perflabilibus & non perflabilibus, vt nempe apta ſit fructibus ſeruandis tam aridis, quam humidis, itemq; veſtimentis, lectis,* &c. *ne inſtrumenta contrahant ſitum, putredinem aut vliginem.*

In eodem textu dicit Ariſtoteles; Quod ad

facultates attinet, videndum eſt qualis domus cõueniat fructibus tam aridis quam humidis, itemque veſtimentis & aliis facultatibus, & quæ loca debeant eſſe perflabilia aut imperflabilia.

Sequuntur inſtrumenta contenta, è quibus quædam ſunt integralia, quædam accidentalia.

Integrale inſtrumentum eſt, quod competit œconomiæ, per ſe & ſuâ naturâ.

Et hoc iterum eſt vel vniuerſale & primarium, vel particulare.

Vniuerſale eſt nummus ſiue pecunia.

De hoc ſunt Canones:

1 *Pecunia eſt inſtrumentum œconomiæ, quatenus habet certum finem & modum, non autem quatenus in infinitum tendit.*

Acutè admodum & grauiter de pecunia ad rem familiarem ſpectante diſputat Philoſophus lib.1. Polit. cap.9. vbi inter alia dicit, quod omne inſtrumentum debeat eſſe certo fine determinatum; cum ergo pecunia ſit inſtrumentum œconomicum, idcirco debeat eſſe eius cupiditas certo fine determinata; Nam finis, inquit, ſine fine appetitur, e. g. ſanitatem medicina appetit in infinitum, i. non hanc vel illam ſanitatem, ſed perfectiſſimã omnium, & vnaquæq; alia ars habet finem infinitum; quia cupit quam maximè & perfectiſſimè illum finem efficere; eorum verò quæ tendunt ad finem, nihil eſt infinitum; quia finis eſt extremum omnibus. Vnde concluditur illam pecuniam, quæ in infinitum augetur,

getur,non eſſe poſſeſſionem domeſticam; quia poſſeſſio& inſtrumentũ ſunt idem,nullũ autem inſtrumentum debet in infinitum tendere. Itaque ibidem addit, quod pecunia, quatenus vltra menſuram augetur, non amplius poſſit numerari inter poſſeſſiones domeſticas; quia ,inquit, finis conſtitutus eſt ipſi rei familiari, non autem augmento rei familiaris. Et cap.10.dicit, quod de pecuniis prouidere non ſit patrisfamiliâs vt paterfamilias eſt, ſed quatenus lucro ſeruit;q.d.pecuniam eſſe inſtrumẽtum patrisfamilias tam diu, quam diu modus in ea acquirenda ſeruatur. Et c.9.aliam addit admonitionem, ſocietatem domeſticam non opus habere pecuniâ in immenſum auctâ, ſed id potius referri debere ad aliam maiorem ſocietatem, i. Remp.poſſe amplioribus reditibus ſtudere, domeſticam autem ſocietatem modicis pecuniis ſuâ naturâ contentam eſſe poſſe.In prima ſocietate,inquit, id eſt, in domo,manifeſtum eſt quod non opus ſit magnis poſſeſſionibus, ſed in maiori ſocietate.Hic quæſtio oritur; *An non propter liberos & heredes ſuos paterfamilias debeat ſtudere immenſis opibus*;de qua queſtione breuiter tractabitur ſequenti capite.

2 *Pecunia ſiue nummus eſt primum & vltimum, vt in commutatione & contractu, ita quoque inter inſtrumenta domeſtica; nam per eam & de nouo inſtrumenta parantur & perdita reparantur, quod nulli alteri inſtrumento domeſtico conuenit; ſiquidem per vnum inſtru-*

mentum, e.g. per ollam aliam ollam non poſſum acquirere.

Dicto nono c.1. Polit. dicit Philoſophus, quod pecunia ſit inſtrumentum habens vſum facilem commutandi ad vitam, item quod ſit primum & vltimum in commutatione.

Particularia inſtrumenta domeſtica ſunt vel actiua vel factiua.

Actiua dicuntur ea, per quæ opus non poteſt produci; vt ſunt veſtes, lectiſternia, itemq; tapetia, aulæa, picturæ, imagines, faces, candelæ; quorum quædam ad neceſſitatem, quædam ad commoditatem, quædam ad ornatum & ſplendorem faciunt.

Factiua ſunt, per quæ poteſt opus aliquod produci.

Et hæc iterum ſunt vel culinaria, vel operaria.

Culinaria ſunt, quæ ad cibum excipiendum, præparandum, proferendũ in menſam & ſeruandum pertinent; nempe cibum tam ſiccum, quam humidum & liquidum, vt ſunt vaſa omnis generis, ollæ, patinæ, cochlearia.

Operaria inſtrumenta vocantur ea, quibus non immediatè ad culinam egemus.

Et horum vſus iterum eſt vel intra domum, vel extra domum.

Intra domum, vt ſecuris, &c. *Extra domum,*

mum, vt aratra & alia, quæ in agris & hortis vſurpantur.

Et ſic de inſtrumentis integralibus: Accidentaria ſunt, quibus nec omnis paterfamilias vtitur; nec qui vtitur, ſemper vtitur, vt ſunt arma, medicamenta, libri.

De medicamentis domeſticis Ioh. Colerus & alii ſic ſcripſerunt, q. eſſent per ſe inſtrumenta domeſtica. Sed Ariſtoteles ſic diſtinguit libr. 1. Polit. cap. 10. quod de medicamentis in domo proſpicere ſit patrisfamilias, non quâ paterfamilias eſt, ſed quâ medicus; ſimiliter ſentiẽdum de armis & libris.

CAP. VII.

De modis acquirendi poſſeſſionem domeſticam.

SVbduximus omnem poſſeſſionem domeſticam: Iam id nobis incumbit, vt monſtremus, quibus mediis paterfamilias omnem eiuſmodi poſſeſſionem domeſticam ſiue ad neceſſitatem, ſiue ad commoditatem, ſiue deniq; ad ornamentum poſſit acquirere.

Canones generales de modis acquirendæ poſſeſſionis domeſticæ ſunt hi:

1 *Præcipuum munus Patrisfamilias conſiſtit in acquirendo, ita vt hæc pars diſciplinæ œconomicæ ante omnes alias œconomo ſit diſcenda.*

Diſputat Ariſtot. lib. 1. Politicor. cap. 8. qualiſ-

nam ſit diſciplina illa, quæ vocatur *acquiſitoria*, an nempe idē ſit quod œconomica, an verò pars aliqua œconom. an denique eius miniſtra, vel ſubalternata. Et ſi miniſtra, vtrum ſit organica, i. talis, quæ paret inſtrumenta; quomodo pectinaria ars eſt pars textoriç, quia pectinarii parant inſtrumenta textoribus; an verò ſit talis, quæ nō inſtrumēta, ſed materiam paret, ſicut æraria ars eſt pars ſtatuariç, quia æraria parat æs pro ſtatuaria. Negat autem diſciplinam acquiſitoriam eſſe vel organicam, vel talem quæ materiā paret, & negat etiam planè eſſe eandem cum œconomica, tandemque concludit eſſe eius partem; quia aliud, inquit, eſt parare, aliud vti; itaq; ait oportere eſſe partes diſtinctas œconomiæ, quarũ altera agat de parando, altera de vtendo. Idē etiam habet c.3.1. Politic. vbi etiam ſimul definit, quid ſit acquiſitio, nempe paratio neceſſariorum ad œconomiam. Quod autem præcipuum munus patrisfamilias in acquirendo conſiſtat, id docet 1. Pol. cap. 8. vbi inquit: *Diligentis patrisfamilias eſt prouidere, quomodo pecunia & poſſeſſiones adſint*. Quod idem etiam habet 1. OEconom. 3. vbi inquit; Natura diſtinctos eſſe ſexus in coniugio, & virum factum fuiſſe robuſtiorem, & ad quietem minus aptum; quia debeat acquirere; fœminam autem factam timidiorem, quia debeat cuſtodire. Et 1. Politicorum cap. 10. dicit, alimentum quidem oportet præbere naturam, quomodo autem hoc parandum ſit, pertinet ad œconomum.

2 *Oportet eum qui velit feliciter acquirere poſſeſ-*

poſſeſſiones domeſticas, eſſe laborioſum, frugalem, & iuſtum.

Hunc Canonem tradit 2. OEcon. c. 1. vbi inquit; *Eum qui velit οἰκονομεῖν, oportet eſſe laborioſum & iuſtum.* vbi per *iuſtitiam*, intelligit exercitium omnium virtutum, inprimis autem autarciæ, temperantiæ, ſedulitatis, *&c.*

3 *Oportet eum, qui velit feliciter acquirere, ingenioſum eſſe natura, at ſagacem & peritum earum rerum, quæ acquirendæ ſunt, vt nempe earum naturas, incrementa & decrementa habeat perſpectas, & ſciat conditionem locorum in quibus viuit, itemque temporum & hominum.*

Dicto cap. 1. 2. OEcono. Philoſophus inquit; *Oportet eum qui vult οἰκονομεῖν, in quibus viuit locorum non ignarum, & naturâ ingenioſum eſſe:* ex his enim ſi quid defuerit, in ſuſcepta tractatione negotiorum domeſticorum plurimum peccabitur. Et libr. 1. Politic. cap. 11. præclare monet; Sunt autem, inquit, circa acquirendum hæc vtilia requiſita, vt rerum ipſarum, quæ acquirendæ ſunt, peritiam habeas, & ſcias quæ optimæ ſint, & vbi optimè proueniant, & quomodo. e. g. quales equi comparandi ſint, quales boues, &c. Nam alibi alia potiora gignuntur. Et deinde eodem cap. innuit, ſe requirere à patrefamilias, præſertim verò ab eo qui ſit agricola futurus aut mercator, vt peritus ſit diſciplinæ Phyſicæ. Id quod ſuadet exemplo Thaletis Mileſii, cui cum obiiceretur, quod *Philoſophia nihil fa-*

ceret ad farinam, id eſt, quod Philoſophi eſſent pauperes, & quod hæc profeſſio eſſet inutilis & infructuoſa, ibi tum ex Phyſicis & Aſtrologicis fundamentis præuidit fore defectum olei. Itaque hyeme adhuc vigente in Mileto & Chio inſulis paruo admodum precio oleum emit, & poſtea vendidit quanti ipſe voluit, ac magnam pecuniæ vim congeſſit, & poſtea dixit; *Perfacile eſt Philoſophis diteſcere, ſi vellent; ſed id non eſt ipſis curæ.*

4 *Oportet eum qui velit feliciter parare poſſeſſiones, attentè obſeruare exempla, & colligere dicta frugi patrumfamilias, & ea deinde ad ſuam œconomiam accommodare.*

Quia diſciplina œconomica multum recedit ab vniuerſalitate, & magna parte pendet à ſingularibus exemplis, ideò Ariſtoteles præclarum Canonem ſuppeditat d. capite 11. lib. 1. Politicorum inquiens; *Ea etiam quæ à frugi patrefamilias dicta ſunt colligere oportet; hæc enim valdè vtlia ſunt his, qui patrimonium cupiunt augere.*

Acquiſitio ſiue modus acquirendi eſt vel per ſe & ordinarius; vel extraordinarius, & quodammodo per accidens.

Ordinarius eſt vel priuatus vel publicus; ſiue eſt vel ex priuato, vel ex publico.

Modus acquirendi ordinarius ex priuato iterum eſt vel naturalis, vel artificialis.

Naturalis iterum vel eſt ſimplicior, vel magis mixtus.

Sim-

Simplicior iterum eſt vel primarius, vel ſecundarius.

Primarius eſt ex fructibus, & dicitur A- griculturas.

De hac ſunt Canones:

1 *Agricultura vt eſt maximè naturalis, ita continet perfectiſſimum acquirendi modum.*

Ariſtoteles 1. Politicor. cap. 10. & 11. modos acquirendi diuidit in perfectos & imperfectos, atque adeò in naturales & non naturales; & agriculturam dicit eſſe maximè ſecundum naturam, atque idcirco maximè neceſſariam & laudabilem; quia, inquit, non eſt ab hominibus, ſed ex naturæ inſtituto. Idem docet cap. 8. 1. Politicorum, vbi inquit: *Talis acquiſitio ab ipſa natura hominibus eſt præſcripta*; id quod probat hac ratione; quia materia & finis huius acquiſitionis eſt alimentum, quod ab ipſo generationis initio omnibus rebus viuentibus cōceditur; in primis autem hominum gratia factum eſt, quia natura hominem tanquam perfectiſſ. animal maximè intendit; vnde etiam fieri dicit, quod animalia quædam ſint ſoliuaga, quædam verò gregaria, quod nempe natura quibuſdam animalibus talē victum ſuppeditet, quem ſola ſiue ſoliuaga poſſint acquirere; nonnullis verò talem, quem niſi gregatim acquirunt. Sic etiam libr. 1. OEconomicorum c. 2. dicit; *Natura ordine prior eſt agricultura.*

2 *Modus acquirendi per agriculturam eſt maximè iuſtus & innocens.*

Citato cap. 2. 1. OEconicor. *Maximè iuſta eſt*

agricultura; Non enim pendet ab hominibus hoc aut illo modo aliquid ſtatuentibus, vt ſunt cauponæ, & qui mercede operas dant etiam inuitis, ſicut fit in bello, et quia maximè eſt naturalis; Naturaliter enim à matre cunctis alimētum ſuppeditatur, itaque & hominibus à terra. Et hoc eſt quod Columella dicit, *Innocētiſſimi ſunt agriculturæ reditus.*

3 Agricultura hominum corpora indurat, & apta reddit ad fortitudinem bellicam.

Proximè citato loco inquit Ariſtoteles; Plurimum conducit agricultura fortitudini; non enim inutilia efficit corpora ſicut officina, ſed talia quæ foris excubare valeant, & laborem ferre & pericula adire apud hoſtes. Et addit pulcherrimam rationem; Quia agricolæ ſuas poſſeſſiones habent extra munitiones; q. d. munitionibus effœminari homines & ſecuros reddi.

Tantum de modo acquirendi naturali primario; ſecundarius modus eſt per curam pecorum; quæ iterum eſt vel paſtoritia, vel venatoria, vel piſcatoria.

Paſtoritia eſt acquirendi ratio ex cura, quæ impenditur circa paſcenda pecora.

De hac Canon eſt; Paſtoritia cura eſt pigerrima; ſiue qui paſtoralem vitam ſequuntur, pigerrimi ſunt.

1. Politic. 8. dicit Ariſtoteles; Pigerrimi qui ſunt paſtoralem vitam ſequuntur: quoniam à manſuetis animalibus educatio ipſis prouenit ſine labore otioſa, cumque ſit neceſſe mutare

locum

locum animalibus & ipſi coguntur vnâ ſequi, q. agriculturam quandam viuam colentes, i. paſtores tanto magis habent otioſam vitam, quãto agri ipſorũ ſeipſos magis mouent, vt tanto minus habeant laboris. Quam cauſam nonnulli aſſignant, cur apud Ægyptios paſtores fuerint odioſiſſ. quia nempe habebantur pro otioſiſſ. c. 27. Geneſ.

Venatoria eſt acquirendi modus ex animalibus feris.

De hac Canon eſt; Venatoria acquiſitio magnam habet ſimilitudinem cum bellica.

Ariſtot el. 1. Pol. 8. Bellica, inquit, quodammodo ſecundum naturam eſt; quia venatoria pars eſt bellicæ, & oportet ea vti aduerſus beſtias, & eos homines, qui ad ſeruiendũ nati ſunt, nec tamen volunt parêre. Et hoc congruit cum ſententia eorum, qui exiſtimant artem militarem ortam eſſe ex arte venãdi, & artẽ venãdi dare occaſionem crudelitatibus, vnde & Nimrod primus ille bellator appellatur *fortis venator.*

Piſcatoria acquiſitio fit præparatione piſcinarum & captura piſcium; Præparatio autem piſcinarum vel eſt naturalis, vbi ſtagna, lacus, flumina, mare à natura factum piſcibus fœtificandi locum præbet; vel eſt parata per artem, vbi fodiuntur piſcinæ.

Ad venatoriam refertur aucupium, & miſcentur hi modi acquirendi inter ſeſe, quæ mixtio & iucunditatem habet & ſupplet defectum vitæ; vt cum miſcetur ſimul & agricultura, &

venatio, vel etiam omnes iſti modi ſimul coniunguntur.

Ariſt. lib. Pol. c. 8. ita inquit: Alii quidem homines prædâ viuunt, ſed alii aliâ prædâ, nempe venantes aut piſcantes, vt qui paludes, ſtagna, flumina ac mare accolunt; Alii ab auibus & feris; ſed maxima pars hominum à terra viuit & à fructibus non ſylueſtribus: Itaque tot ferè ſunt vitæ, ſiue viuendi modi, nempe naturales, quot modis alimentum quęri poteſt ſine commerciis; vt eſt vita paſtoralis, agricultura, venatoria, piſcatoria: Sunt & qui iſta miſcentes iucundè viuant, ſupplentes defectum vitę, e.g. miſcent ſimul paſtoralem & prædatoriam, item agriculturam & venatoriam, prout in diuerſis locis indigentia homines diuerſimodè impellit.

Tantum de naturali acquiſitione prima & ſimpliciori; naturalis acquiſitio orta & minus ſimplex, eſt vel ex metallifodinis, vel ex lignis, vel ex commutatione.

Acquiſitio ex metallifodinis eſt cū metallū à natura generatū in noſtros vſus effodimus.

Ariſtot. 1. Polit. c. 11. Eſt, inquit, & alia acquirendi ſpecies media inter naturalem & artificialem; quia habet partem eius, quod eſt ſecundum naturam, partem verò eius quod eſt per artem, & conſiſtit in iis omnibus, quæ quidem ex terra ſunt, ſed non tanquam alimenta, ſed vt aliàs vtilia, vt eſt ſylua cædua, & omnis metallica: quæ metallica multas partes complectitur, cū multæ ſint ex terra metallorum ſpecies. Et 2. OEcon.

Œcon. 1. vbi, inquit: Secundus modus acquirendi eſt à metallis, quæ propria ſunt cuiuſuis regionis; vt cum alicubi aurum, alicubi argentum, alicubi æs numerari poſſit. Diſtinguit ergo Ariſtoteles in his locis metallicam acquiſitionem naturalem ab altera metallica, quæ eſt artificialis, nempe ab alchymia, quæ referri debet ad operarias acquiſitiones, quas ſuo loco attingemus.

Lignaria acquiſitio eſt ex ſyluis cæduis.

Ante citauimus locum ex 1. Pol. c. 11. quod acquiſitio ex lignis, ſiue ſyluis ſit quidem naturalis, ſed non purè naturalis; quia, inquit, non eſt ex alimentis; ſed ex vtilibus ad alimentum.

Sequitur acquiſitio per commutationẽ, cum nempe neceſſaria ad rem domeſticam acquirimus ab aliis, hoc modo, vt pro iis quibus nos egemus, demus aliis iſta, quibus ipſi egent.

Vltimam ſpeciem naturalis acquiſitionis Ariſt. conſtituit permutationẽ, ad quam antequã accedat, concludit primo c. 8. l. 1. Pol. doctrinã de purè naturalibus acquiſitionibus, nempe de agricultura & pecuaria; & inquit: Veræ diuitiæ ex his conſtant; nam ſufficientia poſſeſſionis huius eſt ad bonã vitã, & nõ eſt infinita. Deindè accedit ad cõmut. & hãc quoq; refert inter naturales modos acquirendi; ſed hac ratione, ſi fiat propter indigentiã, non verò ꝓpter lucroſũ augmentum rei familiaris. Eſt autem cõmutatio vocabulum ambiguum & valdè latum; Interdum enim ſignificat cõmutationem rei cum re, interdũ cõmutationẽ rei cum pecunia; interdũ

denique commutationem pecuniæ cum pecunia. Dicit ergo Ariſtot. ſe loqui de prima commutatione, & hanc concedere eſſe naturalem.

Canones de permutatione ſunt hi:

1 *Etſi quoad primum & proprium vſum rerum, nihil generetur à natura propter permutationem, tamen in vſu ſecundario & fine minus principali conſideratæ res naturales, etiam ad permutationem accommodantur.*

1. Pol. 9. Canonem Logicum ponit Philoſophus, vt poſſit perſpicuè oſtẽdere quomodo res naturales etiam ad permutationem factæ ſint: Cuiusuis rei, inquit, quæ poſſidetur, duplex eſt vſus; vterque quidem ſecundum ipſam rem, ſed diſſimiliter; nam vnus quidem vſus eſt proprius & principalis, alius verò minus principalis. e.g. Cibus, frumentum, vinum propriè & principaliter à natura generatur, vt ſit cibus ei, cui generatur; minus principaliter autem, vt per commutationem ex iſto frumento vel vino poſſis aliã rem tibi neceſſariã acquirere. Exemplum Ariſtoteles tale habet: *Calcei*, inquit, *vſus principalis eſt, vt muniat pedem, ſed minus principalis eſt, vt pro calceo vendito aut permutato cibum vel aliam rem accipias.* Idcircò ſoluitur obiectio, quod à natura tibi generatur ad neceſſariam nutritionem & ſuſtentationem vitæ, id tibi à natura non datur ad permutationem, & per conſeq. contra naturam faciunt agricolæ, qui frumenta commutant. Reſpondetur diſtinctione finis vel vſus eâ, quam modo dedimus.

2 *Per-*

2 *Permutatio itaque rei cum* 1 2 *omninò cœpit à natura & eſt ſecundum naturam; vtpote quæ natura aliis plura dedit, quam opus eſt, aliis pauciora dedit, quam neceſſe erat, & quæ natura non in omnibus locis eadem dedit, ita vt per commutationem oporteat defectum naturæ ſupplere.*

Citato capite: Permutatio, inquit, in omnibus cœpit ex eo, quod eſt ſecundum naturam, quod nempe alii plura habebant, quam opus erat, alii verò pauciora.

3 *Quamdiu ergo permutatio ſeruit ad defectum naturæ ſupplendum, & non euagatur ad exceſſum nimium, tam diu manet acquiſitio amica naturæ, & conformis legi naturæ; omnis enim exceſſus contra naturã eſt, idcirco & permutatio exceſſũ quærens contra naturã erit.*

Ariſtoteles ibidem.

Tantum de naturali acquirendi modo; ſequitur artificialis, qui nempe magis ad arbitrium & induſtriam hominum, quam ad naturæ prouidentiam accedit.

Ariſtot. dicto c. 9. 1. Polit. inquit: Alterum genus acquirendi eſt ſecundum naturam, alterum non ſecundum naturam, ſed ſecundum experientiam & artem.

Hæc acquiſitio iterum eſt vel prima, vel orta.

Prima eſt à qua reliquæ pendent, nẽpe mercatura; nam qualis eſt mercatura, talis etiam eſt omnis reliqua acquiſitio.

Experientia teſtatur omnes artificiales modos acquirendi pendere à mercatura; ſi hæc floret, florent reliqua, hac iacente, etiam iacent alia; ita vt meritò poſſit dici prima inter artificiales acquiſitiones.

Canones de mercatura ſunt hi:

1 *Mercatura orta eſt ex naturali permutatione, ita vt quodãmodo inchoatiuè, ſicut loquuntur, i. quoad cauſam impellentem & originem poſſit dici naturalis.*

Colligitur Canon ex c. 9. 1. Polit. etiamſi non expreſſis verbis ponatur de mercatura, tamen ponitur de inſtrumento mercaturæ, nempe de pecunia; vbi inquit Ariſtoteles: Ex permutatione ſecundũ probabilẽ rationem proceſſit mercatura: nam cum à remotiorib. quæreretur ſubſidium vitæ, & verò ad remotiora loca non poſſent deferri res graues, quibus aliquid commutaretur, idcircò neceſſario inuentus eſt nummus, qui nempe poſſet facilè ad loca remotiora deportari.

2 *Si mercatura comparetur cum modo acquirendi purè naturali, ſique ſpectetur ſola naturæ indigentia, verum eſt, mercaturam eſſe modum acquirendi valdè imperfectum & improprium, nec teneri patremfamilias ex officio, vt de pecunia prouideat; quia œconomiæ adminiſtratio ſolis alimentis contenta eſſe poteſt; ſi verò non comparatiuè loquaris de mercatura, ſed abſolutè, & conſideres non tantum neceſſi-*

neceſſitatem naturæ, neq; tantum OEconomiã neceſſariis inſtructam, ſed etiam œconomiam ad commoditatem & ornatum, & ad ditandã Remp. cũ opus eſt, comparatam; tum vtiq; mercatura etiam inter legitimos & laudabiles modos acquirendi numerari poteſt.

Niſi quis c. 9. & 10. lib. 1. Polit. Ariſtotelis diſertè conſideret, vtique videbitur mercatoribus malè fauere, & durius eos inſectari, tanquam acquiſitores contra naturam & contra leges ac iura naturalia, imò tanquam ſordidos, viles & abiectos. Sed ſi quis ſcopum attendat & acutiſſ. hunc textum Logicis oculis reſoluat, & conferat cum iis quæ libr. 5. Eth. de iuſtitia commut. Philoſophus docuit, reperiet non diſputari hîc contra naturam abſolutè, & ſimpliciter, ſed primò tantum in comparatione ad agriculturam, tanquam iuſtiſſ. modum acquirendi. 2, non contra vſum mercaturæ ſiue pecunię, ſed exceſſum; qui exceſſus virtuti contrariatur, vt in ſeq. Can. audiemus. Porrò expreſsè dicit Ariſtot. quod acquirere ſuperflua per mercaturam non pertineat ad œconomum, quâ œconomus eſt, ſed ad œconomum, quatenus maiorem ſocietatem ſpectat: In prima ſocietate, inquit, i. in domo nihil opus eſt illius (nẽpe mercaturę ſuperfluæ) ſed tantum in maiori ſocietate, i. ſi Reip. neruos ſpectes, qui ſunt pecunia, vt patresfamilias poſſint pro Rep. contribuere. Et c. 10. inquit: *De pecuniis ſuperfluis prouidere non eſt patrisfamilias, qua paterfamilias eſt.*

3 *Pecuniæ vſus idem eſt, qui vſus mercaturæ, nempe ad ſupplendos naturæ defectus; itaq; ſi pecunia non ad vſum quæratur per mercaturam, ſed tantum ad augmentũ, non erit amplius illa mercatura naturæ congrua; quia nẽpe poſſeſſio eſt inſtrumẽtum œconomicum; inſtrumenta autem non quærimus, vt inſtrumenta multiplicemus, ſed vt vſum ex illis certum habeamus.*

4 *Multitudo pecuniæ per ſe & ſua natura non ſunt veræ diuitiæ, ſiue optima poſſeſſio domeſtica, &, per conſequens, cõtra legem naturæ eſt augmento pecuniæ ſtudere in infinitum.*

Diligenter notetur verum illud ac iuſtum & ſapiens Paradoxum Ariſtotelis, quod eſt c. 8. & 9. 1. Politicor. quod vera poſſeſſio & veræ diuitiæ non ſint multæ pecuniæ, ſicut quidem hodie omnib. hominib. perſuaſum eſt, ita vt nihil magis appetant vel Patresfamilias, vel etiam gubernatores Rerump. quam nummum vel pecuniam, & quidem appetant in infinitum. Hanc vulgatam & veterem opinionem hominum mentibus Philoſophus conatur eripere his ſapientiſſimis & grauiſſimis argumentis, quæ extant partim 8. partim 9. capit. citatis. Ex quibus 1. eſt: *Illa non eſt vera poſſeſſio, ſeu diuitiæ domeſticæ, quas cum tenent ex voto poſſeſſores, fame perire poſſunt.* At pecunia eſt talis res, quam cum tenes, etiam in maxima copia fame perire potes. Maior patet ex ipſa eſſentia & definitione poſſeſſionis; nam poſſeſſio eſt In-

In mundo ſummus, Rex eſt hoc tẽpore nummus.
Herꝛ *nummus* iſt der gröſte Potentat/ Der jtzũd allein das Regiment hat.
Fraw *pecunia* iſt die Königin/ Kunſt vñ Tugẽt ſind jhre Schüſſelwäſcherin.

ſtrumentum vitæ, & habet pro fine vt viuamus; ſi quid ergo non ſeruiat vitę, id non poteſt eſſe vera poſſeſſio domeſtica. Minor patet experientiâ & ſenſu: Nam abdas aliquem Crœſum in conclaue, in quo ſunt theſauri eius, & nil porrigas cibi, & experieris an diuitiæ ſint inſtrumentum vitæ. Hoc eſt, quod dicit Philoſophus capite nono, 1. Politicor. *Abſurdum eſt exiſtimare has eſſe diuitias, quarum cum quis abundat, fame perire poſſit*; vt de Mida fabulis traditur, cui propter inſatiabilem appetitum, ex voto à Ioue conceſſo, quicquid apponebatur cibi aut potus, fiebat aurum. Et addit; Quamobrem quærere oportet alias diuitias, & aliam acquirendi rationem, nempe talem, quæ ſit ſecundum naturam, & vitæ humanæ ſuſtentandæ conducat. 2. Argumentum eſt, quia pecuniæ pendent ab arbitrio humano, ita vt tibi quidẽ ſint vtiles, nõ ſi tu velis, ſed ſi alter velit: Contrà, ſi alter non velit, penitus tibi reddantur inutiles; quia nempe valor nummorum edicto principis mutari poteſt, vt qui nummus hodie multum valeat, cras eodem edicto prohibitus nihil valeat. Et hoc eſt quod in textu dicitur: *Futile & nugatorium quid eſt nũmus, quoniam lege aliorum mutari poteſt, vt nullius ſit vſus ad comparanda neceſſaria.* 3. Omnis poſſeſſio eſt inſtrumentum ſiue medium tendens ad finem OEconomiæ, nempe ad felicitatem domeſticam. At pecunia, quatenus in infinitum eam cogitas augere, non eſt inſtrumentum ſiue medium felicitatis domeſticæ: ergo. Maior patet ex natura huius diſciplinæ, in qua vt & in Ethicis ſpe-

Veras poſſeſſiones & diuitias poſſeſſor debet habere ſub ſuo arbitrio. At nummũ poſſeſſor nõ habet ſub ſuo arbitrio.

ctantur iſta tria, nēpe, Finis, Obiectū & Media; Finis eſt felicitas domeſtica; Obiectum ſunt homines qui felices in domo eſſe volūt. Media sūt recta gubernatio ſocietatū domeſticarū & poſſeſſio domeſtica. Minor probatur hoc argumēto: Nullū inſtrumentū alicuius artis eſt infinitū, nec multitudine nec magnitudine: At pecuniæ ſine modo augendæ ſunt infinitū quid; quia ꝙ modum nō habet; finē non habet. E. pecuniæ hac ratione nō sūt inſtrumētū felicitatis domeſticæ. h. e. quod in tex. dicitur ſub finē c. 8. *Sufficiētia verarū poſſeſſionū conducentiū ad vitā non eſt infinita*; nullū. n. inſtrumētū cuiusq̃ artis infinitum eſt, neq; multitudine, neq; magnitudine. Verę autem diuitię ſunt nihil aliud quam copia inſtrumentorum rei domeſticæ, aut reipublicæ. At nummus ſine modo appetitus nullum habet finem. quod probat ſapienti verſu Solonis: πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. *Diuitiarum nullus eſt finis conſtitutus hominibus.* Et c. 9. iterum inquit; *Infinitæ ſunt diuitiæ, quæ à ratione nummi augendi proficiſcuntur.* Idcirco iſtæ non ſunt veræ. Nam finis ſine modo & gradu appeti poteſt, vt in medicina ſanitas ſine modo appetitur, & vnaquæque ars finē ſine modo appetit; quia finē quam maximè optimū volunt efficere; eorum autē quæ ſunt ad finem, nihil debet eſſe infinitum; quia finis eſt extremū omnibus, & præſcribit mediis modū, &c. Addit autē cauſam ſapientis, cur homines putent officiū patrisfam. præcipuè in eo conſiſtere, vt pecunia augeatur, cū ita inquit; Cauſa diſpoſitionis huius in hominibus eſt cupiditas viuendi, ſed non benè viuendi; Cum ergo cupiditas viuendi in infinitum extendatur (omnes. n. cupimus eſſe immortales) ideo quoq; in infinitū extēditur cupiditas habēdi; quia habere homines iudicant mediū pręcipuum ad viuendū. Alterā cauſam eſſe dicit, quod homines vitā bonā ac beatam collocent in voluptatib. corporis; quæ voluptates cū non poſſint eſſe paucis cōtentæ, ſed modū excedant, vt in textu dicitur, ideò ſtudent in im-

menſum augere opes, vt eiuſmodi exceſſum poſſint per eas implere, atq; adeò non ſecundū naturā viuant, ſed ſecundū petulantiam. Tertiam cauſam eſſe dicit, quod homines ſuorum laborum non verum finē cōſtituant, ſed omnia referant ad pecuniam, tanquam ad finem.

5 *Licet vilius emere, vt carius vēdas; ſed ſi ſtrictam iuſtitiæ regulā reſpicere velimus, tres cautelas hic obſeruare oportet: 1, ne ſtatim vēdas quando emiſti, præſertim ſi emiſti res ad alimētum à natura factas, vt frumentum, vinū: 2, vt rem cōmutabilem ſiue vendendam meliorem reddas: 3, vt occultum rei vendendæ vitium emptori indices.*

Si mercatura ſecundū τὸ ἀκριβοδίκαιον ſit exercenda, oportet has tres regulas obſeruare: 1, ne hodiè emptum, hodiè vendas, aut cras ſtatim, præſertim ſi emiſti rem alimentariā, quod quomodo intelligendū ſit, exemplo declarabimus; Venit auarus in forū, & quia habet pecuniam, emit omne frumentū quod eſt venale, ita vt reliqui nihil poſſint emere. Ad hunc ergò auarum concurrunt omnes reliqui qui volunt minori menſura emere, ita quod hodiè emit vilius, cras cariſſimè vendit. Quæritur autē, quomodo res empta poſſit fieri per emptorē melior. Reſpon. id in multis rebus fieri artificio, in aliis autē non artificio, ſed operâ tranſportationis ſiue transuectionis. e. g. quamuis piper in India natum non mutetur à mercatoribus Belgis, tamen ipsâ tranſportatione in Belgium mutatur in melius; quia eô defertur, vbi eius vſus eſt. Denique melior redditur res empta per conſeruationem ad indigētiam, ſi nempe, cum copia eſt, ematur, & integra ſeruetur tamdiu, donec indigentia oriatur. Vide de his requiſitis mercaturæ Caſum ad caput 7. libri 1. Politicorum,

qui extruxit iſta ex textu Ariſtotelis, qui eſt c.9. lib.1. vbi de mercatura olei Thaletis Mileſii tractat.

6 *Lucroſiſſimũ genus mercaturæ eſt monopolium, i. ſi quis ſolus aliquid emere & vendere poſſit, id quod tamen hodiè in emporiis benè conſtitutis lege prohibitum eſt ob cauſas graues.*

Ariſtoteles c.11. libr.1. Pol. Eſt vniuerſalis hic, inquit, acquirendi modus, ſi quis poſſit ſibi ſoli venditionem comparare : Id quod probat exemplo ciuitatum, quæ cum indigent pecuniis, venditionem ſibi ſolam reſeruant : Item, exemplo cuiuſdam mercatoris in Sicilia, vt in textu latius videri poteſt.

7 *Mercaturæ inſtrumentum & menſura eſt nummus, qui merito dici poteſt primum & vltimum in commutationibus.*

8 *Nummus autem originẽ ex eo duxit, quod res quibus homines egent, nõ proueniant omnes in vno loco, ſed quod aliæ regiones aliis reb. abundent; quæ regiones cum longo interuallo ſint diſſitæ, fit vt merces non ita commodè poſſint tranſportari; ſed loco mercium tranſportetur nummus, qui non ita grauis eſt, vt merces.*

Ariſtoteles libr.9.1. Polit. probat nummum eſſe præcipuum medium mercaturæ, 4. præcipuè argumentis. 1, à diſtantia locorum. e.g. in India proueniunt aromata, quæ deſunt Belgis, ex Belgio aliæ merces comportari in Indiam non facilè

facilè poſſunt, itaque transportandus eſt nummus quo Belgæ vti poſſunt ad ſuum defectum ſupplendum. 2, à circumſtantia temporis; ſi quis habeat hoc tempore multum vini Italici vel Gallici; quod non poteſt ſeruari in annum proximum. nam ſtatim aceſcit: itaque ſi deſit Italo vel Gallo frumentum in futurum annum; aliæ autem gentes vinum illud quod præcedenti anno creuit, nolint recipere, neceſſe eſt vt ſi Gallus vel Italus frumentum velit, pecuniam afferat. 3, à varietate rerum: Habet aliquis equum, at cibus vel veſtis deeſt, ſi equum det & cibum acquirat, adhuc tamen veſtis deeſt, ergo nummo opus eſt, vt veſtem acquirat. 4, Ab indigentia, ſi planè non habeamus id quod poſſimus commutare, & tamen egemus re commutandâ, vtique neceſſe eſt nummum afferamus. e. c. Si Germanus planè nihil poſſit deuehere in Poloniam, emendarum rerum cauſa, quæ in Polonia copiosè proueniunt, neceſſe eſt pecuniam eô deuehat.

9 *Requiſita nummi ſunt*: 1, *vt ſit quantitate cōmodus*: 2, *vt alicuius magiſtratus imagine ſit inſignitus*: 3, *vt ſit certo pondere & valore determinatus*: 4, *vt ad vſus pauperum ſit in minimas partes diſtinctus*.

Addunt nonnulli 5. vt ſit ex tali materia paratus, quæ non ſit obnoxia æruginiac corruptioni. Quod vero ad reliquas in Canon. enumeratas nummi conditiones attinet, præſer-

tim 1. & 2. eæ diſertè ſunt in textu 1. Pol. 9.

10 *Cum ergo nummus ſit neceſſarium inſtrumentum & menſura commutationis, idcò ad felicitatem domeſticam & ciuilem pertinet, ne vel adulteretur, vel eius valor ſæpè immutetur; hæc enim duo pugnant cum natura menſuræ.*

Antequam vlterius pergamus, breuiter hîc iſtas 3. quæſtiones mouemus: *I. An permittendum ſit patribusfamilias vt opes in immenſum cumulent*; reſpondemus, quod non; 1, quia id pugnat cum natura, ſiue eſt contra legem naturæ, vt ſupra probauimus. 2, eſt contra naturam œconomicæ prudentiæ. 3, quia difficilem reddit magiſtratui gubernationem. II. Quæſt. *An magna rerum conuerſio ſit metuenda nunc, cum ferè nullum amplius eſt regimen monetæ:* Reſpondetur omninò, quia moneta eſt inſtrumentum vitæ & menſura contractuum; quando autem menſura rerum caret ordine, neceſſe eſt mutari res in humana vita. III. *An detectio Americæ, ex qua intra centum annos ingẽs vis argenti & auri deportata eſt, profuerit annonæ & mercaturæ in Europa?* Reſp. hac ratione non profuiſſe quod cupiditas cumulandarum opum ex eo tempore magis creuerit, quam ante hac. 2, quia quò plus pecuniæ ſiue auri & argenti in Europam defertur, eò magis creuit precium omnium rerum; quia quando ſciunt venditores plurimum eſſe pecuniæ, carius indicant & homines magis ſunt emaces.

Phil. Melan. ſolitus eſt dicere: Es wird der Welt mangeln: 1, an guter Münz. 2, an Holtz. 3. an guten Freunden.

Porrò

Porro mercatura eſt vel domeſtica, vel externa.

Domeſtica negotiatio eſt, quando merx venditur ibi, vbi emitur, & contra.

Externa mercatura eſt, quando domi emitur & peregrè venditur, vel contra.

Externa mercatura iterum eſt vel terreſtris, vel marina.

Terreſtris eſt, vbi iumentis deuehuntur merces.

Marina eſt, cum nauibus deuehuntur.

Ariſtoteles 1. Politicorum, capite vndecimo, inquit: Tres ſunt ſpecies mercaturæ, nẽpe nauigatio, deuectio, & negotiatio. Negotiationem vocat domeſticam mercaturam: Deuectionem vocat terreſtrem. Et addit, differunt hæ 3. ſpecies inter ſe, quod alia ſit ſecurior, quàm alia; itemque alia ſit fructuoſior quam alia.

Eſt & mercatura alia artificioſior, alia minus artificioſa.

Artificioſior eſt, in qua minimum eſt fortunæ, i. vbi acumen magis & induſtria quam caſus valet, vt quidẽ fit in certis mercium generibus, præſertim quando domeſtica eſt negotiatio.

Minus artificioſa eſt, in qua plurimum eſt fortunæ, quâ ſtupidi ſæpè & ignaui homines diteſcunt, vt fit in negotiatione marina.

Ariſtotelis iſta eſt diſtinctio 1. Polit. 11.

Denique mercatura alia eſt liberalior, alia ſordidior.

Liberalior eſt, quæ magnis ſummis exercetur, ſiue quæ merces ſummariè vendit, & non per minutas menſuras, & quæ tractat eiuſmodi merces, quibus non inquinatur corpus.

Quando diſputat Cic. an mercatura liberali homine digna ſit, diſtinguit inter ſummariam & minutariam; & ſummariam iſtam liberalem eſſe ſtatuit, de qua re & diſtinctione prolixè & acutè Bod. lib. 3. De rep. vbi diſputat *An nobilis ſine iactura nobilitatis poſſit mercaturam exercere.*

Sordidior ergo mercatura eſt, quæ fit minutioribus menſuris mercium, & talibus mercibus, quibus inquinatur corpus.

Ariſtoteles citato c. *Sordidiſſimæ acquiſitiones ſunt, in quibus maximè inquinatur corpus.*

Tantum de mercatura; ſequitur nummularia, quando nempe ex nummo nummus acquiritur.

Ea conſideratur vel generaliter, vel ſpecialiter.

Generaliter conſiderata vocatur fœnus, *ſiue* vſura, *quæ eſt modus acquirendi, quando pecuniam meam alteri loco, vt inde poſſit lucrum acquirere, proque eo lucro ex pacto & conſenſu mihi aliquid retribuit.*

Canones de vſura ſunt duo: *1 Si*

1 *Si abſolutè conſideretur nummus, quâ nummus eſt, & quatenus eſt menſura, non autem modus acquirendi, tum vtique abſurdum & contra naturam eſt, quod nummus per nummum acquiratur, cum nulla menſura ſui ipſius menſura eſſe poſſit; Si autem nummus conſideretur non reſpectu nummi, ſed reſpectu lucri, quod alter ex meo nummo habet, tum non eſt abſurdum nummum nummo acquirere.*

Grauiſſ. ſanè eſt quæſtio, *An vſura ſit conceſſa lege naturæ, lege diuinâ & humanâ.* Ac Ariſtoteles quidem etſi c. 1. 2. Polit. vſuram inter modos acquirendi recenſet, tamen c. 10. lib. 1. Pol. dicit Nummulariam non eſſe vllâ ratione probandam; ſed rationabiliſſ. habendam eſſe odio. 1. quia non ſit ſecundum naturam, ſed ex prauo hominũ inſtituto. 2, quia ſit contra proprietatẽ nummi, vtpote qui debet eſſe mediũ acquiſitionis, ſiue menſura commutationis. Ergò non debet eſſe ſpecies acquiſitionis; nam ſpecies & menſura rei differunt. 3, quia nummus ſit per ſe res ſterilis, quæ non poſſit parere; in fœnore autem nummus nummum parit; quod ea etiam ratione eſt abſurdum, quia gignens non gignit ſeipſum, ſed aliam rem ſibi ſimilem; nummus autem ſeipſum gignit in fœnore: Idcircò concludit caput: *Quare maximè eſt contra naturam iſte acquirendi modus qui fit per menſuram.* Plures rationes contra vſuram habet Caſus ſupra c. 7. 1. Polit. & Dominicus à Soto lib. 6. De iuſt. & iure, q. 1. Et fateor quidẽ omnes patres ferè La-

tin.& Græcos in Eccleſia ſimpliciter improbaſſe vſuras, & facere idē pleroſq; Theologos recētes, Luth. Melanch. quin & Pōtificios qui hodie de hac materia ſcribunt, vt inprimis Greg. de Valētia in com. ſuper Thomā. Interim tamē nec Theologi alii recentes, inter quos Bucerus; nec ICti deſunt, qui certas vſuras admittunt, ſicut & iura municipalia eas concedunt intra certam ſummā, & ipſū etiam ius imperii. Mihi quidem ex Philoſophicis & OEcon. principiis rē perpēdenti, videtur & difficultas quęſtionis ſolui poſſe, & in verum ſenſum deduci tex. Ariſtot. per iſtam quam in Can. dedi diſtinctionem; nempe ſi pecuniam abſolutè, & in ſe conſideres quatenus ei, cui iſtam das, nil acquirit, ſed tantum ſeruit ad ſupplendam neceſſitatē vitę, vtiq; cōtra ius naturæ & diuinum eſt vſuram exigere. Sin verò nūmus ſpectetur nō vt ſupplet neceſſitatē mei proximi, ſed vt eſt inſtrumentū lucri, vtique rationi & legi naturæ conſentaneū eſt, vt recōpenſationem habeat nō ex nūmo, quâ nūmus eſt, ſed quatenus iſte nūmus lucrū gignit ei, qui eſt mea pecunia vſus, quâ & carui ad tēpus ipſe, qui idē lucrum fortaſſe habere potuiſſem, & interdum carui non ſine periculo. Quod ad ius diuinum & ſacras literas attinet, non improbatur ibi vſura ſimpliciter, ſed tantum reſpectu populi Iudaici, propter cauſas iſti populo proprias; vtpote qui magis ex agricultura viuebat quam mercatura: Itaque facilè fieri potuiſſet, vt dominia transferrentur de familia in familiam, ſi vſura eſſet conceſſa: vt ergò prohiberetur alienatio iſta dominio-

miniorum, Deus vſuram prohibuit. Quod attinet ad dictum Christi, *Gratis dãtes*, &c. reſp. eſſe cum limitatione accipiendũ, *Mutuum dãtes*, ad explendam neceſſitatem, non ad lucrum faciendum: Et loquitur ibi Chriſtus de talibus operibus, quibus ſingularem Deo cultum volumus præſtare, non autẽ de contractib. quod diſertè patet ex eo, quod ibid. dicitur: *Si vis aliquẽ inuitare ad conuiuium, non inuita eum qui te iterum poſſit inuitare, ſed inuita egentes, cœcos, claudos*; q d. quando conuiuium tuum debet eſſe opus ſpirituale, & medium cultus diuini, tum inuita tantum pauperes & egentes iſto conuiuio, quando autem conuiuium tuum eſt actio ciuilis & politica, iam alia res eſt. Idem cogita de mutuo.

2. *In acquirẽda vſura obſeruanda eſt conditio lucri, vbi quis parum vel multũ poteſt lucrari; item temporis, perſonæ, & denique quantitatis, quam magiſtratus publicè concedit.*

Specialis nummularia vocatur Cambium, *quando nempe pecunia mutatur pro alia pecunia, & pro periculo, quod ſubiturus eſſes, ſi pecuniam ad longinqua loca mitteres, aliquid recompenſationis datur.*

Cambium, à cambire dicitur, quod eſt cõmutare rem cũ re. Germ. dicitur Wechſelbrieff / res neceſſaria inter mercatores, ita vt vix alio aliquo cõtractu minus carere poſſint ii, qui in lõginqua loca negociãtur: De quo vſu cãbii etiã monet Immanuel Meterraneus in hiſt. Belg. &

videri poteſt prolixa & exquiſita diſp. de Cambio apud Dom. à Soto libr. 6. De iuſtit. & iure, quęſtion. 1. & 8.

Tantū etiam de nummularia; operaria eſt, quando manibus laborādo aliquid acquiritur.

Eaq; iterum eſt vel artificum, ſiue opificum vel mercenariorum.

Ita diſtinguit Ariſtot. 1. Pol. cap. 11. vbi inquit: *Tertius modus acquirendi eſt mercenarius; & hic iterum vel per artem vel ſine arte ſolo corpore miniſtrante.*

Opificum ergo operaria eſt, quando artibus mechanicis aliquid acquiritur.

De his Canon eſt; Artium mechanicarum illæ ſunt ſordidiſſimæ & illiberaliſſimæ in quibus corpus inquinatur, & in quibus corporis eſt plurimus vſus; illæ verò nobiliores, in quib. minus corporis, magis virtutis & animi requiritur.

Sunt verba Ariſtotelis dicto c.

Mercenaria eſt baiulorum & aliorum, qui robore corporis magis, quam artis induſtriâ victum & alia neceſſaria acquirunt.

Poſt operariam ſequitur cauponaria, quando nempe per tabernas & cauponas victus quæritur; qualis modus acquirendi eſt eorum, qui vinum, cereuiſiam paruis menſuris vendunt, aut peregrinos aduenas hoſpitio excipiunt.

Ariſtoteles 1. OEcon. 2. coniungit hos duos acquirendi modos, nempe cauponarum & eorum

rum

rum qui mercede operam locant, aut etiam qui ex præda in bello viuunt.

Tantum de acquiſitione ex priuato; Modus acquirendi ex publico iterum eſt vel tempore pacis, vel tempore belli.

Tempore pacis ex publico acquirunt, qui operam Reip. locant, atq; ita ex Rep. etiam aluntur, velut ſunt conſiliarii, item illi, qui operam nauant in Eccleſiis & ſcholis.

Tempore belli ex publico viuunt tum maiores officiarii, tum etiam gregarii milites.

Et tantum de ordinariis acquirendi modis; Extraordinarius eſt, qui ſine labore pficitur.

Et hic iterum vel directus vel indirectus.

Directus eſt per hereditatẽ, per amplam dotem, per donationẽ, per inuentionem theſauri.

Indirectus eſt vel per contractum aſſecurationis, vel per luſum, vel per certamen, quod fit depoſito pignore.

De modis acquirendi per luſum qualis ſit, & an iuſtè transferantur rerum dominia ludendo, vide pulchram diſputationem apud Dom. à Soto lib. 4. De iuſt. & iur. quæſt. 5. ſic etiam de contractu aſſecurationis, quẽ probat eſſe legitimũ & vtilem. De modo autem acquirendi per certamen depoſiti pignoris adhuc in ambiguo res eſt, præſertim cum maximus eius ſit abuſus hodie inter mercatores, ita vt in Belgio non permittatur actio iudiciaria in hoc caſu.

CAP. IIX.

De cura, adminiſtratione & conſeruatione partarum ſiue acquiſitarum poſſeſſionum domeſtica. rum.

EGimus hucuſque de modis acquirendarum poſſeſſionum domeſticarum; Reſtat vt agamus de adminiſtratione ac conſeruatione partorum.

Adminiſtratio & cōſeruatio partorum conſideratur vel in genere, vel in ſpecie.

De adminiſtratione & conſeruatione in genere conſideratâ, ſunt hi Canones:

1 *Fruſtra paras, ſi neſcias vel vti vel conſeruare; itaque 4. requiruntur officia in bono patrefamilias. 1, vt ſciat acquirere: 2, vt ſciat ſeruare: 3, vt ſciat amplificare; deniq; 4, vt ſciat frui ad delectationem, ſalubritatem & ornatum.*

1.Pol.c.11.dicit Ariſtoteles; Fruſtra parari id, quo vti neſcias. Et 1.OEcon.c.6.Si tueri neſcias, fruſtra paraueris; eſtq; hoc aquam cribro haurire, & pertuſo dolio aliquid infundere: Oportet igitur & ordinare bona & exornare, & his vti; quia has ob cauſas illis opus eſt. Et paulò ante ſub initium ſtatim cap. dicit: Quatuor ſunt domeſticæ diſpenſationis munia, ea nempe quę in Canone recenſuimus, & quæ per totum c. Ariſtoteles ſpargit.

2 *Sumptus ne ſuperet cenſum.*

Summum hoc benè adminiſtrandæ domus principium tradit Ariſt. 2. OEcon. 1. *Impendia,* inquit, *ne ſint maiora quam fructus.*

3 *Det operam paterfamilias, vt ſuas facultes habeat diſtinctas, & ſemper plures fructuoſas quam infructuoſas.*

Ariſt. eodem loco & præterea c. 6. libr. 1. OEcon. vbi inquit: *Facultates ſigillatim diſtinctæ ſint, ita vt plures ſint fructuoſæ, quam infructuoſæ.*

4 *Diligēter attendat paterfamilias quibus rebus & impenſis poſthac poſſit parcere.*

2. OEcon. 1. *In ſumptib.* inquit, *videat quinā & quam multi decidi poſſint ſine detrimento rei domeſticæ.*

5 *Conſideret etiā quinam fructus aut non proueniant cum poſſint prouenire, aut quinam poſſint maiores fieri, cum nunc ſint exigui.*

Citato loco hunc Canon. Ariſtoteles iiſdem verbis habet.

6 *In mercaturam & alias res, quibus aliquid periculi ſubeſt, ſic diſtribuat ſumptus, ne ſimul & ſemel vniuerſorum periculum adeat.*

Prudentiſſ. hoc præceptum ad mercatores præſertim pertinet, ne totam ſuam pecuniam in vnum genus mercium vno tempore impendāt, ſed pecuniā diſtributā habeant ad merces tutiores, vt acutè monet Philoſoph. 1 OEconom. 6. *Sumptus,* inquit, *ſic diſtributos eſſe conuenit, ne ſimul vniuerſorum periculum ſubeamus.*

7 *Erant apud antiquos duo modi admi-*

niſtrandæ rei familiaris, vnus Perſicus, alter Atticus.

8 *Atticus modus fuit, vt paterfamilias quotannis omnes fructus ſuorum agrorum integrè diuenderit & nullos ſeruarit; ea autē quæ erant neceſſaria domi ad victum, aliunde emerit, cuius ordinis autor fuit Pericles, qui dicebat hac ratione poſſe ſubduci expeditam rationem annuorum redituum, vt ſciat paterfamilias annuatim, quāta fuerit ſumma redituum annuorum; id quod eſt magnum in adminiſtranda re familiari adminiculū, quod etiā Prouerb. œconom. locum dedit:* Vendentes emant.

9 *Alter ordo fuit Perſicus, per quem iubebantur tantum ſuperflua vendi, neceſſaria autem omnia ex agris & fructibus ſeruari ad vſum domeſticum*

10 *Etſi autem interdum conducat Atticum ordinem ſeruare faciēdi periculi cauſa, præſertim in exilibus familiis, vbi parui ſunt annui reditus, tamē in genere præferendus eſt Perſicus modus, vbi quæ ager noſter aut alius modus acquirendi fert, ipſi ſeruamus ad vſum domeſticum, ſuperflua autem tantum vendimus.*

De exiguis familiis quod canon dicit expreſsè eſt in textu, vbi dicit: In exigua rei familiaris cura, vbi facultates ſunt exiguæ, vtilis eſt Atticorum ratio in fructibus diſponendis: Nam quādo admodum ſunt exigui fructus annui, qui nō ſufficiunt

ſufficiunt ad ſuſtentationem domus, vtique poſſunt omnia diuendi ſi annona ſit carior, & paterfamilias ex tenuiori viuere poſſit: Tum enim ſi meliora vendat, quæ ipſius ager tulit, & viliora emat, quibus ipſe ſit contentus, poterit hac ratione annuatim aliquid lucrari. In magnis autem familiis velle omnia vendere, & noua emere, id verò ingentes parit moleſtias; vt taceã, quod propria ſint nobis chariora, & aliena raro ſint tam bona & ſalubria atque ea, quæ ipſi noſtrâ curâ coluimus. Excipere tamen hoc loco oportet certas quasdam familias ita amplas, vt annui fructus planè in abundantiâ proueniant: Tales enim patresfamilias ſi ſua prædia aliis locent in arendam, vt loquimur, vtique conſulto facere videntur, modo tales ſint arendarii, qui fundos non corrumpant & exhauriant, ſed meliores reddant.

11 *Vir & vxor, ſiue pater & materfamilias diuidant curã & adminiſtrationẽ domeſticam.*

Prudens præceptum cit. c. traditur à Philoſopho: *In domo*, inquit, *quædam inſpiciantur à viro, quædam ab vxore, pro eo atq; diuiſæ ſunt operæ domeſticæ, & ſua cuiq; attributæ.*

12 *Quia vir ſæpè domo abeſt; ideò vxor ſciat cuſtodiam ſibi rerum domeſticarum inprimis eſſe accommodatam.*

1. OEcono. 3. Natura, inquit, virilem ſexum fecit robuſtiorem, fœmineum autem imbecilliorem, vt fœmineus ad cuſtodiendas res domeſticas propter timorem, maſculinus propter fortitudinem ad propugnandum magis eſſet idoneus, vtque maſculinus foris afferret in do-

mum, fœmineus autem intus ſeruaret allata. Et in append. lib. 1. inquit: *Proba materfamilias eorum omnium quæ in domum inferuntur, curam ſuſcipere debet certis quibuſdam legibus.*

13 *Domus nullo tempore ſine cuſtodia relinqui debet.*

1. OEc. 6. *Domus ſine cuſtodia perinde vt vrbs, relinquatur nunquam.*

14 *Diſtinctio facienda eſt eorũ, quæ in annos, & eorum quæ in menſes inſumere in domo oportet, præſertim ſi familia ſit amplior.*

15 *In ampla familia conſtituẽdus eſt ianitor, vnus nempe ex famulis, qui alioquin vel ob ætatem ſenilem, vel ob corporis affectum inhabilis eſt ad alias res præſtandas, & interim eſt homo fidelis, qui diligenter attendat ad ea quæ inferuntur vel efferuntur.*

Extat hoc præceptum ſub finem citati cap. 6. In re familiari, inquit, magna, vtilis eſſe exiſtimatur ianitor ex eorum numero, qui non ſunt apti ad alia facienda, vt ſalua ſint quæ inferuntur & efferuntur.

Porro cura domeſtica eſt vel animatæ poſſeſſionis, vel inanimatæ.

Animatæ iterum vel ſeruorum, vel pecudum.

De cura ſeruorum ſunt hi Canones:

1 *Dominus ipſe omnibus operis ſeruorum præſit; vtque hoc poſſit facere, primus lecto ſurgat, vltimus cubitum eat.*

Duo conſilia hoc Canon. tradimus, quæ tamen diſtinctè Ariſt. in textu tradit: Prius eſt, vt paterfamilias ipſe debeat præeſſe omnib. ſeruorum operis. Vbi inquit: *Omnia diſpoſita prius dominus ipſe inſpiciat*: Nam rectè dixit de Dionyſ. Dion, quod *nemo parem curam adhibeat in alienis quam in propriis*; i. quod cuilibet maiori curæ ſint propria, quam aliena. Et dicit, Valdè opportunè dixiſſe Perſam quendam, cum eſſet interrogatus: *Quid equum maximè pinguem efficeret, domini oculum*. Et Afer interrogatus: *Quodnam ſtercus eßet optimum*, ℞. *In quo domini apparent vestigia*. Alterum autem conſilium habet Ariſtoteles, vbi inquit. *Paterfamilias prius debet excitari de ſomno, quam familia & poſterius cubitum ire*. Et addit argumenta: 1, quia hoc, inquit, eſt ad virtutem ſpecioſum, & valdè conducit ad ſtudia ſapientiæ: 2, quia hoc conducit ad ſanitatem: 3, quia hoc eſt vtile rei familiari.

2 *Seruis procuratoribus ipſe dominus ſit exemplo ad diligentiam.*

Eodem loco: Bona imitatio ſine bono exemplo eſſe nequit tum cæteris in reb. tum in procuratione. Itaq; præfecti diligentes & attenti nō poſſunt effici omninò ſine diligentia & attentione dominorum.

Cura pecorum præcipuè pendet à paſtu ſiue pabulo, & à ſtabulo idoneo.

Inanimatarum poſſeſſionū cura eſt vel naturalium, vel artificialium.

Et naturalium iterum vel primarum, vel ortarum.

Primarum, vt horti, agri; quorum cura conſiſtit in cultura.

Ortarum iterum eſt vel primariarũ, vel ſecundariarum.

Primariarum, vt cibi & fructuum, qui poſſunt eſſe cibi.

De cibo hæc 2. curet paterfamilias: 1, vt rectè ſeruentur cibaria: 2, vt idoneè præparentur & coquantur.

Ex lib. 1. Polit. cap. 10. & 11. docemur, quod ad patremfamilias non pertineat producere alimẽtum, ſed productum accipere, acceptum autem rectè adminiſtrare.

Secundariarum poſſeſſionum cura eſt lignorum & eiuſmodi aliarum rerum.

Artificialium eſt vel continentis vel contenti.

Continentis eſt domus, quam oportet ſartam tectam ſeruari.

Contentorum eſt vel veſtimentorum & lectorum, vel aliorum inſtrumentorum, & vaſorum domeſticorum.

De veſtimentis & lectis hic canon traditur, vt iis locis reponantur, vbi ventilari rectè poſſint, ne ſitum contrahant.

Eeodem capite.

De vaſis & aliis inſtrumentis domeſticis ſunt hi Canones:

1 Inſtrumenta domeſtica diſtinctis & ſepa-

ratis

ratis locis ponantur, ita vt ea quæ ſunt rarioris vſus ſeparentur ab iis, quæ ſunt quotidiani vſus; ſic enim fiet, vt præfecti ſeu procuratores magis ſollicitè ad ea attendere poſſint.

1.OEco.c.6. Vaſa, inquit, vſus quotidiani diſcernantur à vaſis vſus rarioris, & ſic deinceps iſta pręfectis tradātur, i. iis qui per iſta inſtrumēta debent ſuas operas perficere.

2 *Certo tempore inſpectio facienda eſt ſupellectilis domeſticæ & quaſi luſtratio, vt ſcias quid ſaluum ſit, quid corruptum, quid denique planè perierit.*

Ariſtot.ibid. Poſt certum tempus, inquit, inſpiciantur inſtrumenta domeſtica, ne ignoretur quid ſaluum ſit, & quid deſideretur.

2 *Ad expeditum vſum & promptitudinem inueniēdorum domeſticorum inſtrumentorum illud Laconicum valeat, nempe vt ſingula ſuo loco iaceant; ſic enim cum vſus poſtulat, facilè reperientur.*

Ita concludit 1.OEcon. Ariſt. vt commendet omnib. OEconomis Spartanorum prudentiam in diſponendâ ſupellectile domeſtica: Ad expeditum vſum vaſorū, inquit, Laconica ratio profuerit; nam quidq; ſuo loco repoſitum eſſe debebit; quod ſi fiet, facilè in promptu erit nec diu quæretur, cum eo opus habueris.

CAP. VLTIMVM; in quo Delineatio œconomicæ prudentiæ ſpecialis.

ABſoluimus priorem partem œconomicæ prudentiæ, quæ eſt generalis; Iam breuiter delineabimus alteram partem, quæ eſt ſpecialis.

De hac Canon eſt; Vt omnis prudentia, ita quoq; œconomica ab vniuerſalib. ad ſingularia deflectit; Singularia autẽ pendent a circumſtantiarum obſeruatione, neque omnia poſſunt præceptis comprehendi, etiamſi poſſint ad præceptorum methodum reduci.

Hoc eſt quod dicit Philoſophus 1. Polit. 11. De ſingulis in genere quidem dicimus; In ſpecie verò de his dicere, vtile quidem foret ad opera conficienda, φορτικὸν δὲ τὸ ἐνδιατρίβειν, ſed graue eſt illud in diſciplinã redigere. Præſtabimus tamen breuiter, quantum conducet ad locos cõmunes œconomicos colligendos. Ariſtoteli tribuitur lib. 2. œconom. In cuius primo c. diuidit ſpecies œconom. ita vt aliam vocet *Regiam*, & hanc vocat *ſimpliciſſimam*, aliam *præfectoriam*, ſiue *ſatrapicam*, aliam *ciuilem*, qualis eſt eorum qui magiſtratum gerunt in Rebuspub. ſiue ciuitatib. aliam deniq; *priuatam*. Contra hanc diuiſionem diſputat Caſus, & ſimul contendit hunc librum non eſſe Ariſtotelis, de quo ſupra dixi, nolle me contendere. Interim argumentum non eſt adeò ponderoſum, quo Caſus vtitur, nempe in hoc libr. contineri multa præcepta tyrannica, pertinentia ad exhauriendos ſubditos. Nam tradit Ariſtoteles exempla & hiſtorias in hoc libro, non vt doceat artes expilandi, ſed vt expilatorum artes & ſtratagemata in publicũ proferat, atq; adeò ſubditos cautiores reddat ad cauendum; ſicut rectè Faber Stapulenſis admo-

admonet. Cæterum quæcunq; à media parte c. 1. vſq; ad fin. lib. monentur, ea ad Politicam pertinent, vt ibi ſuo tempore monebimus.

Diuiditur ſpecialis œconomia partim ex perſona & modis acquirendi, partim ex ratione temporis, partim denique ex ratione locorum.

Primo reſpectu œconomia omnis vel eſt perſonarum publicarum, vel priuatarum.

Perſonarum publicarum œconomia iterum eſt vel ſuperiorum, vel inferiorum.

De œconomia Regia, vide *Donum Regium* Iacobi VI. Angl. & Scot. Regi.

Superiorum eſt vel Regis vel Principis, vel Comitis, vel Baronis, vel Præfecti, ſiue Capitanei, vel Nobilis, vel Magiſtratus vrbani.

Inferiorum eſt vel Politicorum, vt ſunt Officiarii; vel Eccleſiaſticorum, vel aliorum DD. qui ex publico viuunt.

Priuata œconomia ſecundum modos acquirendi, eſt vel prima, vel orta.

Prima eſt vel ſimplex, vt agriolarum, paſtorum, venatorum, ſub quibus piſcatores & aucupes; vel mixta, vt eſt agricolarum & paſtorum ac venatorum ſimul, ſiue eorum qui hos modos coniungunt.

Orta eſt vel mercatorum, vel opificum, vel cauponarum & hoſpitum.

Eſt etiam reſpectu perſonarum œconomia vel diuitum, vel pauperum, vel mediocris ſortis hominum.

De œconomia pauperum dicit Ariſtoteles 1. OEconomicor. 3. Pauperes boue vtuntur pro ſeruo.

Ratione temporis œconomia eſt vel in pace, vel in bello, quo vtraque etiam diuerſis obſeruationibus eget.

Ratione loci œconomia conſideratur vel in pago, vel in vrbe reſpectu loci minoris.

Reſpectu loci maioris œconomia diuidenda eſt ſecundum præcipua regna & prouincias Europæ: Alia enim eſt œconomiæ ratio in Germania, alia in Italia, Anglia, Gallia, Polonia, &c.

Itaq; qui locos communes œconomicos concinnare volent, facient peculiarem titulũ in hac parte ſpeciali accõmodatũ tũ ad prouinciã, in qua viuunt, tum ad particularem vrbem, ſeu pagum. Eumq; titulũ diuidãt tum reſpectu perſonarum œconomicarum, tum poſſeſſionum. Id quod Ariſtoteles etiam monuit, vt ſupra citauimus, vbi inquit: Patremfamilias ſingularium locorum obſeruationem inſtituere oportere. Nos quidẽ hîc Prudentiam œconomicam concludimus methodicè diſpoſitam, ſic vt ſimul contineat Logicã reſolutionẽ & explicationẽ tum œconom. Ariſt. tum 1. Pol. à c. 2. vſq; ad finẽ, tum etiam 7. Polit. quoad cap. duo poſtr. Studioſi Ph. Practicæ, vt ſpero, vtiliter hac noſtra Methodo vtentur ad locos cõmunes œconom. cõcinnandos, & ad Ariſt. omnẽ textũ œcon. rectè intelligẽdũ. Si quid v. ex S. literis ad hæc Ariſt. addere volent, legãt *OEconom. Ioh. Mattheſ.* & *Synopſin œconom.* ex his contractã *Caſmanni.* Quib. addeat *OEconom. Xenophontis* in quęſt. breues redactã à *Th. Freigio*; addãt etiã Fabri Stapulenſis introduct. œconom. itẽq; *Ioach. Camerar. annot. in œcon.* Ariſtotelis, itemque Iohan. Caſi theſ. OEconom. & *Pomp. Attici œconom.* edita à Beur. & *Iohan. Coleri œconom.* Germ. ſcriptã: nec nõ *Iauelli introduct. in œconom. Ariſt.* eiuſdemq; *œconom. Chriſtianã.* vtilia sũt ẽt *Axiom. œconom. Richteri Gorlicẽſis,* in quib. tamẽ multa sũt Phyſica potius quã œcon. A me quidẽ quicquid in hac diſciplina lucis mõſtratũ eſt, quoad methodũ, id verbis nolim prædicare; ſed Deo potius opt. max. tanquã primo ordinis œcon. fundatori ac magno amatori & cõſeruatori gratias magnas pro hoc dono deuotas agere, & deprecari, vt ad grauiſſ. diſciplinæ Polit. Syſtema adornandum nobis poſthac ſua gratia & Spiritu adeſſe dignetur.

FINIS.